



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>







Fragmentary text from the right edge of the page, including characters such as 'NO', 'ST', and 'P'.

*Lodovici Wernheri*  
IO. BALTIAS. WERNHERI

ICTI,

POTENTISS. POLONIAR. REG. ET ELECTOR. SAXON.  
A CONSIL. AVLAE ET IVSTITIAE, ATQ. ORDINARI  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI,

ANALECTA  
IVRIS NATVRAE  
ET GENTIVM

SEV  
ANNOTATIO  
SVCCINCTAE

AD

*HVG. GROTI. de IVRE BELLI ET*

ET

*SAM. PVFENDORF. de OFFICIO  
HOMINIS ET CIVIS.*

Accesserunt

B. FRATRIS

HENR. LVDOVICI WERNHERI,  
QVONDAM MORAL. ET CIVIL. IN EAD. ACADEM.  
PROF. PVBL. ORD.

DISSERTATIONES  
EIVSD. ARGVMENTI.

VITEMBERGAE,

APVD CHR. THEOPH. LVDOVICVM.

M DCC XXI.



[The page contains extremely faint and illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the document. The text is scattered across the page and cannot be transcribed accurately.]

PER-ILLVSTRI  
EXCELLENTISSIMOQVE

DOMINO,

DN. GOTTLOB

HIERONYMO

DE LEIPZIGER,

DYNASTAE IN HEYDA,

POTENTISSIMI POLONI-  
ARVM REGIS ET ELECT.

SAX. IN SVMMO SENATV

ECCLESIAST. PRAESIDI

GRAVISSIMO,

RELIQVA,


DOMINO SVO GRA-

TIOSO

PERPETVAM FELICITATEM!

THE  
MAGAZINE  
OF THE  
LITERARY  
AND  
ARTS  
OF THE  
CITY OF  
NEW YORK  
AND  
THE  
COUNTY  
OF  
NEW YORK  
FOR  
THE  
YEAR  
1850  
PUBLISHED  
BY  
G. W. WOODS  
AT  
NO. 107 NASSAU ST.  
NEW YORK

PER-ILLVSTRIS,  
EXCELLENTISSIMEQVE  
DOMINE,

 Emini mirum videri de-  
bet, arripere me qualem-  
cunque occasionem, pri-  
mum mihi oblatam, qua mei obse-  
qui, & in Te, PER-ILLVSTRIS DO-

A 3

MINE.

## DEDICATIO.

---

MINE, pietatis publicam significati-  
onem edere liceat. Diu est, quod  
excellentes Virtutes Tuas tacita  
veneratione admiror, quas & con-  
stans fama circumfert, & magna  
omnium consensione, præter Saxo-  
nes, Regia Danorum Aula suspicit,  
in qua splendidissimo legationis mu-  
nere functus, ita Tibi omnium ani-  
mos devinxisti, ut post Tuum ab  
illa discessum, maximum Tui desi-  
derium apud optimum quemque  
reliqueris. Tum vero ad Summi  
Senatus Ecclesiastici, qui in Terris  
Saxonis vigeat, gubernacula ad-  
motus, præclaram, quam de Te  
excitaveras, spem non tantum im-  
plevisti hæctenus, sed & longissime  
vici-

## DEDICATIO.

---

vicisti, & superasti. Laudat & veneratur quisque singularem Tuam in rebus gerendis dexteritatem, atque prudentiam, & inter summas Dotes raram animi moderationem, & sine labe mentis integritatem maximam; sed & admirabile illud ingenii Tui acumen, & iudicium subactum, quo utroque polles, omnium oculos in Te convertit. Quamobrem & mihi, spero, benigne permittes, ut hoc, quantumvis levius, devotissimi animi mei pignus Tibi demisse offeram, atque in clientum Tuorum numero nomen meum profitear. Accipe igitur, PERILLVSTRIS DOMINE, serena fronte hanc obsequii mei tesseram,

&



DEDICATIO.

---

& me Patrocinio Tuo, quoad il-  
lo non indignus videbor, comple-  
tere.

PERILLVSTRIS EXCELLEN-  
TIAE TVAE

Dab. Vitembergæ,  
Idib. Jan.  
1621.

*Cultor perpetuus*  
J. B. WERNHER, D.



PRAEFATIO  
AD LECTOREM.

**H**Abes hic, BENEVOLE LECTOR, breves atque succinctas Annotationes ad incomparabile Opus *H. Grotii de Jure Belli, & Pacis*, nec non egregium libellum *Puffendorfi de Offic. Hom. & Civ.* Quisque facile intelliget, non alium mihi animum fuisse, quam ut Auditores meos, qui primum ad utriusque lectionem accedunt, breviter juvarent, & sententiam eorum, quæ obscuriora videntur, intellectu faciliorem redderem. Namque ea mihi sedet opinio, rectissime eos rebus suis consulere, qui, prætermisissis initio & insuper habitis prolixis Commentariis, se ad memoratos Auctores legendos accingunt, & in veram eorum mentem penetrare satagunt; quibus ea, quæ hic paucissimis verbis proposui, passim prodesse queunt, ut inoffenso pede progrediantur,

A 5 antur,

## PRAEFATIO AD LECTOREM.

antur, & sigillatim circa sacra errores, in quos *Grotius* non semel incidit, caute evitent. Quod si tamen ne sic quidem operæ pretium me fecisse quis existimet, eum suo sensu abundare facillime patiat; cui satis est, id egisse, ut eorum, qui fidei meæ se commiserunt, copatus pro virili juvarem. Fratris mei, pie defuncti, Dissertationes eo libentius adjeci, quo prescius ille principia mea secutus est; quippe qui in scholis meis formatus, meisque doctrinis innutritus, ad scribendum accessit, atque ad publicum docendi Munus Lipsia huc evocatus, magno cum applausu, officio suo præfuit; cujus, præter omnium opinionem, in ipso ætatis flore extincti, corpus a me elatum est, quod contra decuit, ab illo meum. Debebam hoc dulcissimi Fratris memoriæ, ut, ejus Dissertationes perire, non sinerem, sed a situ & interitu vindicarem. Quem tu, BENEVOLE LECTOR, laborem æqui bonique consultes.

CON-

# CONSPECTVS

Eorum, quæ hoc opusculo  
continentur.

## I.

*Annotationes ad Hug. Grot. de Jure Belli & Pacis.* pag. 1. seqq.

## II.

*Annotationes ad Sam. Pufendorffii Libellum de Officio Hominis & Civis.* pag. 109. seqq.

## III.

*Dissertationes Juris Naturalis, in specie*

### DISSERTATIO I.

*De Equalitate hominum in statu naturali.* pag. 204. seqq.

### DISSERT. II.

*De Fundamento imputationis actionum moralium.* pag. 235. seqq.

### DISSERT. III.

*De Statu Summorum Imperantium ex lege.* pag. 261. seqq.

### DISSERT. IV.

*De Jure sibi ipsi nocendi.* pag. 301. seqq.

DIS-

DISSERT. V.

*De Evidentia, ac certitudine demonstrationum moralium.* pag. 328. *seqq.*

DISSERT. VI.

*De Quaestione: Num homines a Deo exleges creari, possibile fuerit?* pag. 368. *seqq.*

DISSERT. VII.

*De Lapsu Gentilium circa naturalem Dei notitiam.* pag. 393. *seqq.*

DISSERT. VIII.

*De Officiis, quae jure imperfecto debentur.* pag. 428. *seqq.*

DISSERT. IX.

*De Impedimentis cognitionis humanae praecipuis.* pag. 454. *seqq.*

DISSERT. X.

*De Bruto exlege.* pag. 487. *seqq.*

IV.

*Programma Academicum.* pag. 517. *seqq.*

AD



AD HVG. GROTIUM.  
DE  
JURE BELLI ET PACIS.

---

AD RVBRICAM.

**H**VG. GROTIUM.) Hic Jctus Batavus fuit, quem in patria male habitum Gallia benigne excepit, ubi, hortatu imprimis Nicolai Peirescii, Viri Summi, atque ad ornandas literas proni, ad suscipiendum incomparabile hoc de Jure belli & pacis opus animam appulit, idemque felicissimo successu perfecit. Vid. P. Gassendum de Vita Peirescii. Fortassis etiam Baconis de Verulamio liber de Augmentis scientiarum tam salubris consilii occasionem præbuit; quæ conjectura est Pufendorfii d. Orig. & Progress. 7. N.

DE JURE BELLI ET PACIS.) Ita visum est Grotio, opus hoc potius inscribere, quam de Jure N. & G. tum quia ad hæc duo tempora, belli nimirum & pacis, omnia in universum jura revocari queunt, tum etiam hoc consilio, ut titulus operis efficeret, ne temere imperfectio eidem posset objici, uti suspicatus est Pufend. l. c.

B

AD

## AD PROLEGOMENA:

## §. I.

ROMANVM.) Quod a Justiniano in ordinem redactum, Institutis, Pandectis, Codice, atque Novellis imprimis absolvitur, & per totam fere Europam maximæ autoritatis est, speciatimque a Germanis libere, sed in subsidium tantum receptum.

PAVCI.) Nempe in veterum Philosophorum scriptis, & in ipso Jure Rom. multa quidem Juris Naturæ & Gentium principia occurrunt, sed primus tamen omnium Grotius Jus illud a Civili Jure discrevit, idemque per modum peculiaris disciplinæ proposuit; ejus deinde exemplum alii secuti sunt, speciatim T. Hobbesius, Jo. Seldenus, & Pufendorfius, quorum hic postremus proximum a Grotio locum sibi jure suo vindicat, & Jus N. & G. eleganti ordine VIII. Libris complexus est; contra Hobbesius, subtilissimi licet vir ingenii, impiis tamen thesibus sua tradita superinstruxit; in Seldeno autem hoc imprimis desideres, quod Jus Naturæ juxta disciplinam Hebræorum exposuit, adeoque labor ejus non omnibus gentibus prodesse potest. Reliquos J. N. & G. Scriptores, quorum alii plus, alii minus, ad hanc disciplinam contulerunt, commemorare, nimis prolixum, & ab instituto nostro alienum est.

## §. 2.

EXTERARVM NATIONVM.) Liberi enim populi, erga se invicem spectati, in statu naturali, non civili, vivunt, adeoque leges etiam civiles

les, in controversiis eorum dirimendis, incongrue citantur; cum non alio, quam Naturæ & Gentium, Jure ipsos regi, constet.

## §. 3.

MANU CONSERTVM.) Manu conferere nihil aliud h. l. est, quam in Judicio de re aliqua disceptare; veteres enim, qui nihil sine aliquo solenni signo aggrediebantur, judicium apud Prætorum iniri, pugnae quandam speciem præbebant, commissis inter se gladiatorum loco festucis, instar militum inter se manus conferentium. Vid. *Briffonius de Form. & solenn. pop. Rom. Lib. 5. p. 357. Gravina in Orig. Jur. Civ. p. 393.* eosdem hos Ennii versus recitat & exponit *Agellius Lib. 20. c. 9.*

## §. 5.

CARNEADEM.) Hæc Carneadis disputatio describitur a *Lactantio Lib. 5. Divin. instit. c. 16.* cujus verba hæc transtulisse videtur Grotius.

UTILITATE SANXISSE.) Eadem est Hobbesii Philosophia, qui, homines, sola utilitate adductos, a naturali, quod fingit, odio, & in omnes bello discessisse, certa que jura sibi constituisse, contendit.

## §. 6.

APPETITVS SOCIETATIS) Hic homini naturalis est, secus atque rursus *Hobbesius* vult in *Elem. de Civ. c. 1. §. 2.* ubi hominem ad societatem aptum natum esse, prolixè negat.

## §. 7.

PRINCIPIO INTELLIGENTE.) Hoc tamen, quod nullum aliud esse potest, quam ipse Deus,



causa tantum mediata illorum actuum esse intelligitur; nam immediate illi ab interno principio, nempe instinctu naturali, veniunt.

§. 8.

FONS.) Inde igitur petendum est principium, quod fundamenti loco disciplinæ Juris N. & G. subterni debet, quod explicatum a *Pufendorfio d. J. N. & G. L. 2. c. 1. §. 5.*

§. 9.

NON TANTVM.) Possunt tamen officia in hoc §. commemorata, & ab homine erga seipsum præstanda, itidem ex socialitate suo modo derivari, ut ostendit *Pufendorf. d. J. N. & G. L. 3. c. 4.*

§. 11.

DARI NEQVIT.) Hujusmodi hypothesis absurda est, a qua Grotius merito abstinere debebat; cum, remota Numinis Divini existentia, nec jus, nec obligatio aliqua, locum habere possit.

§. 12.

LIBERA VOLVNTATE.) Dicitur hoc Jus Divinum positivum universale voluntarium, seu universale in specie sic dictum, ut a morali distinguatur.

§. 14.

ALIO.) Imo vero etiam eodem. Vid. *Ziegler. in Annot. ad b. l.*

§. 15.

DEBENT INTELLIGI.) Unde in constitutione Civitatum duo veluti pacta, & unum decretum, intervenisse intelliguntur; de quo lato agit *Pufend. d. J. N. & G. L. 7. c. 2. §. 7. & 8.*

§. 17.

§. 17.

GENTIVM.) Hoc tamen Juri Naturali contractum non est proprie & stricte Jus; cum non a Superiori proficiscatur, sed a mera conventione, saltem tacita, moratorum gentium dependeat.

§. 29.

PACIS ECCLESIASTICAE.) Cui quidem opera maxime danda, sed absque vitio Syncretismi, a cujus studio Erasmus non alienus fuit.

§. 36.

DE JURE FECIALI.) Cujus mentio apud Ciceronem occurrit, de Officiis Lib. 1. c. 11. L. 3. c. 29.

§. 40.

COMMVNIS CONSENSVS) Subintellige; saltem moratorum gentium; nam & ille consensus ratione niti debet.

§. 42.

NVLLAM SECTAM.) Procedit hoc tantum in naturalibus, non rebus fidei.

§. 44.

NON RECTE.) Rectius fundamentum cujusque virtutis in convenientia cum ratione, & Lege Naturæ, ponitur; indeque virtus describi potest, quod sit habitus animi agendi & vivendi juxta dictamen rectæ rationis, & Legem Naturæ.

§. 48.

ANTIQUAE ET NOVAE LEGIS.) Discrimen hoc Grotius a Socinianis hausit, qui Christum novum legislatorem faciunt, sed falso; non enim

enim venit in carnem Christus, ut legem Moſis  
 ejusque obligationem, auget, ſed ut gratuitam  
 ſalutem nos doceret; ad Hebræos 8. v. 10. & ſeqq  
 MAJORA.) Falfum & hoc, cum nihil poſſi  
 eſſe majus dilectione Dei & proximi, quæ jam in  
 Veteri Teſtamento duabus Legis Moſaicæ tabuli  
 continetur.

## §. 50.

COMMENDANTVR MAGIS.) Discrimen il-  
 lud, inter conſilium Divinum, atque præceptum,  
 ſcholas heterodoxas redolet, nec fundamentum in  
 Scripturis habet.

## §. 51.

RECTI.) h. e. Sacræ Scripturæ conſentanei;  
 nam & Concilia errare poſſunt, eademque ſæpius  
 erraſſe, conſtat.

SVADET.) Hanc diſtinctionem inter id, quod  
 Deus præcipit, & quod tantum majoris perfecti-  
 onis gratia ſvadet, jam ſupra rejecimus. Add.  
*Chemnitius in loco de Diſcrim. præcept. & conſil.*

## CAP. I.

## Quid bellum? quid jus?

## §. II. N. I.

COMMVNEM NATVRAM.) Non tamen  
 ſimpliciter, & absolute, ſed tantum certo  
 reſpectu; nempe utriusque belli, & publi-  
 ei, & privati, natura in violento ceſtamine conſiſtit,  
 ſed

sed tamen multa in publico licita sunt, quae non  
perinde in quovis bello privato permittuntur.

n. 3.

**SPECIEI.**) Exemplum est in actione, quae dividitur in petitionem & actionem. Vid. *L. 28. ff. d. O. 5 A*. Aliud exemplum occurrit in cognatione, item in adoptione.

§. IV. n. 1.

**QUALITAS MORALIS.**) Germ. eine *Rechtigkeit* / quod jus vel personarum est, vel rerum; hoc rursus vel in rem, vel in personam, seu reale, aut personale.

**ACTVS.**) Quatenus nempe facultas jus actuale, seu perfecte quaesitum, indicat; cum aptitudo non nisi in potentia consistat, seu ut homo aptus & idoneus sit, in quem jus aliquod perfectum conferatur.

§. V.

**SVL.)** Seu, quod cuique perfecte debetur, ita, ut suo jure illud exigere, & vel ab invito extorquere possit; quod in statu civili fit per actionem, in foro motam, in statu naturali per bellum.

**VI VSVSFRUCTVS.)** Liqueat, Grotium h. l. dominium minus plenum in latiori sensu accipere, prout omne jus reale, dominio stricte dicto contradistinctum, continet; nam alias dominium minus plenum proprie tale, quale habent vasalli, emphyteutae, & superficiarii, ab usufructu, tanquam servitute personali, multum differt.

**CREDITVM.)** In laxiori significato, prout  
B 4 omne

omne jus ad rem, sive ex contractu, sive ex delicto oriatur, includit.

## §. VI.

**EMINENS.**) Dicitur alias dominium *eminens*, de quo vide integram Dissertationem Boeckleri in *Annot. ad b. l. Grotii*.

**MAJVS.**) Non tamen aliter facile usurpandum, quam in casu publicæ necessitatis.

## §. VIII. n. 2.

**CONTRACTVS SOCIETATIS.**) Imo in hoc proportio simplex seu arithmetica attenditur, quis, seposito omni personæ respectu, tantum rei & operæ collatæ ratio habetur.

**VNVS TANTVM.**) Casus hic rarissimus, & si tandem eveniat, nihilominus merita personæ spectabuntur, & sic proportioni non simplici, sed comparatæ, locus erit.

## n. 3.

**DE RE SUA LEGARE.**) Atqui in testamento condendo, & legatis relinquendis, regulariter libera est testatoris voluntas, adeoque nec ad attributivis, nec ad expletivis, justitiæ regulas adstricta est, adeoque hoc exemplum ad institutum non quadrat.

**IMPENDERVNT.**) Hic vero civitas non quæ talis consideratur, sed tanquam alius privatus, cujus loco in omnibus contractibus, quos cum civibus iniit, esse intelligitur.

## §. X. n. 1.

**MORALEM TURPITUDINEM.**) Talis proprie concipi non potest, nisi in respectu ad legem, quo

quo pertinet illud Apostoli: *Ubi nulla lex, ibi nulla transgressio legis.* Itaque necessaria disconvenientia actuum cum natura hominis, rationali & sociali, non debet cum morali turpitudine confundi.

n. 2.

PER SE.) Ita rursus Grotius ex sua hypothese de perfectate, ut ita dicam, morali loquitur, quod commentum Scholasticorum est, dudum a Pufendorfio explosum.

VOLUNTARIO.) Quo referenda v. g. poena homicidii capitalis, it. prohibitio polygamiae, ut & nuptiarum in linea collateralis.

n. 4.

CITRA VOLUNTATEM HUMANAM.) Unde praecepta Juris Naturae in absoluta & hypothetica distingui solent. Vid. *Pufend. d. J. N. & G. L. 2. c. 3. §. 24.*

n. 5.

INTRINSECA RATIONE MALVM.) Rectius, quod cum natura, quam Deus homini dedit, necessario pugnat, & societatem humanam destruit.

§. XI. n. 1.

COMMUNE.) Unde Ulpianus in *L. 1. §. 3. ff. d. 3. & 7.* Jus Naturale definit, quod sit jus, quod natura omnia animalia docuit. Add. *pr. I. d. J. N. 6. & C.*

n. 2.

NIHIL REFERT) Neque enim a communione actuum ad communionem Juris valet consequentia.

B 5

§. XII.

## §. XII. n. 1.

NECESSARIA.) Quæ inde colligitur, si, ponendo, ab omnibus hominibus aliquid vel fieri, vel omitti, societatem humanam stare aut conservari non posse, appareat. Add. *Elem. nostra* J. N. & G. c. 5. §. 17. & seqq.

## §. XV. n. 1.

NIMIVM INDISTINCTE.) Ita Grotius loquitur, ut suæ hypothese de intrinseca actuum quorundam bonitate & turpitudine inserviat.

## n. 2.

PER CHRISTVM.) Pertinent hæc ad falsum Grotii suppositum, e scholis Socinianorum haustum, de quo supra.

## §. XVI. n. 2.

LEGIS HEBRAICÆ.) De fœnsi hoc Grotio concedendum, non autem perinde de ceremoniali.

AVDI ISRAEL.) Hæc verba non constituunt notam characteristicam Legis Divinæ particularis; similis enim etiam in præfatione Decalogi, qui legem universalem sine dubio continet, occurrunt.

## n. 3.

PROPRIAS.) Restringendum hoc rursus ad leges particulares, imprimis forenses; nam universales, ad quas etiam morales pertinent, totum genus humanum obligant.

## n. 4.

SEPARATO.) Non solum extra templum strictè dictum, sed & extra intermurale spatium constituto.

SIGNI-

**SIGNIFICARUNT.)** Quamvis non legantur significasse, sufficienter tamen ex revelatione constat, eos sine fide in Christum, in carnem venturum, salvari haud potuisse; nec vero apparet, quomodo Christus ipsis, extra legem ceremonialem, ordinatim innotescere potuerit.

n. 5.

**CREDIBILE.)** Conjecturam hanc valde incertam, imo falsam, reddunt Aegyptii, Aethyopes, alique, apud quos circumcisio in usu, nec tamen ex Abrahami posteris descendunt.

n. 6.

**HOSPITES JUSTITIÆ.)** Quibus opponebantur proselyti domicilii, qui pari jure non gaudebant.

n. 7.

**NULLA PARTE)** Imo vero obligamur ea parte, quæ moralis est; nempe illis Legibus, quæ voluntariæ quidem, sed tamen universales sunt.

**CETERA.)** Intellige Leges forenses.

§. XVII. n. 1.

**DIRECTAM.)** Imo vero Lex Mosaica, quæ in Decalogo continetur, directo nos obligat.

n. 3.

**CONTRARIUM.)** Atqui Christus legem novam haud tulit, sed tantum Leges Mosaicæ recte explicuit, & a falsis & pravis interpretationibus liberavit.

n. 4.

**EXIGIT.)** Nullam vero exigit ab illis virtutem



tem Christus, quæ non jam in Decalogo continentur.

**FRUCTIVVM DECIMA.)** Decimæ sunt Juris Divini, non formaliter, sed tantum materialiter; quatenus sustentationem ministrorum Ecclesie continent, quæ si aliis modis commode fiat, decimarum præstatione haud est opus.

## CAP. II.

### An bellare unquam justum sit.

#### §. I. n. 1.

**PRIMA NATURÆ.)** Hæc revera nihil aliud sunt, quam instinctus naturalis, qui etiam in brutis cernitur.

#### n. 2.

**PRIMUM VIDENDVM.)** Non quasi ex primis illis motibus naturæ, tanquam norma & regula, judicari debeat, quid justum sit, vel injustum, uti quidem Grotium h. l. intelligit, & propterea carpit Zieglerus; sed tantum ordinis causa, ut primo, quid natura appetat, deinde quid ratio velit, attendamus.

#### n. 3.

**OMITTI.)** Qualia respectu Juris Naturalis sunt, in bellis venenatis telis non uti, legatos hostium non violare, quæ deinceps Jure Gentium, in legem abierunt.

#### n. 4.

**MANVS.)** Præter manus maxima nocendi vis ipsi

ipsi etiam genio hominis inest, cujus solertia facile in alterius perniciem uti, & quo per vim non potest, astu pertingere queat.

n. 5.

**FACERET INJURIAM.)** Nam &, supposita primæva rerum communione, ratio pacis & tranquillitatis conservandæ exigebat, ne quis in usu rerum, quæ in medio omnibus hominibus expositæ essent, turbari aut impediri deberet. *Add. Pufend. d. O. H. & C. L. 1. c. 12. §. 2.*

§. II. n. 1.

**SINE SPECIALI DEI MANDATO.)** Hoc tamen certo asserti non potest, & contrarium potius ipsa indoles Democratias nobis persuadet; neque vero in rebus mere historicis a silentio Scripturæ firmam argumentum duci potest.

**DEI BELLA.)** A quibus distingvere solent bella ultronea.

§. III. n. 2.

**COMPETERET ACTIO.)** Scilicet de pauperie, ut vel damnum resarciatur, vel animal noxæ dedatur, *s. l. ff. Si quadrup. paup. fec. dic.* Unde animal alienum hoc casu nocet quidem, eoque actioni locum facit, sed tamen injuriam proprie non infert, indeque pauperie describitur, quod sit damnum, sine injuria facientis datum, *L. 1. §. 3. ff. eod.*

§. IV. n. 2.

**NON SOLENNE.)** v. gr. quod sine prævia denunciatione, aut inter patresfam. segreges, geritur; hujus-

hujusmodi enim bellum non quidem injustum, sed tamen minus solenne est.

§. V. n. 2.

**JVS CONTINERE.**) Et quidem universale; unde sequitur, Principem circa poenam homicidii dispensare haud posse; de qua materia merentur legi Dissertationes duæ, una B. Hannekenii, Theologi Vitembergensis, de Jure Gratia Principis Christiani in reos noxæ capitalis, Anno 1701. Vitembergæ habita, altera, eidem opposita, D. Rechenbergii, Theologi Lipsiensis, Anno sequenti in lucem emissa, quam inscripsit de Jure Principis Christiani aggratiandi circa homicidium negato.

n. 3.

**TANTVNDEM PATIATVR.**) Non tamen promiscue ab omnibus, sed ab illis tantum, qui jus puniendi habent, quod in statu naturali est penes patresfam.

n. 5.

**RESTRICTVM.**) Restrictio hæc ex ipsa status civilis indole repetenda est, ubi poenæ infliguntur arbitrio ejus, qui summam potestatem habet, quod ille per Magistratus & Judices exercet.

n. 8.

**APPARET)** Colligi tamen potest ex statu Democratico, in quo olim populus Hebræus vixit.

**NOAE)** Videtur mihi hoc mera commentum

tum esse, de quo late agit *Seldenus in Tr. d. J. N. juxta disc. hebr.*

n. 9.

NON LICVISSE.) h. l. id, quod præceptum, ab eo, quod licet, diligenter separandum est; nam capitalis poena homicidii est Juris Divini præceptivi, ejusdemque universalis, sed in reliquis delictis poenæ non sunt Lege Divina universali determinatæ, atque adeo arbitrio humani legislatoris subsunt, & ad capitale supplicium extendi queunt.

§. VI. n. 1.

VERVM NON PVTO.) Hoc tamen verum est, quod nihil in Novo Testamento sit præceptum, quod non sit Juris Divini moralis, vel voluntarii universalis, in Veteri Testamento jam promulgati.

n. 2.

NATVRALEM HONESTATEM.) h. e. quæ Jure Naturali vel præcepta, vel, si non præcepta, laudabiliter tamen fiunt, quamvis etiam sine turpitudine omitti possint; sic dici potest, Monogamiam honestatem habere naturalem, cum tamen polygamia Jure Naturali non sit prohibita, quo sensu vocem *bonesti* Grotius supra §. I. n. 3. sumsit, ut hinc nihil causæ habuerit *Wilhelmus van der Mühlen* cur hoc loco contradictionem aliquam Grotio imputaret.

JVS NATVRÆ.) Addendum ergo, vel Jus Divinum voluntarium universale, in Veteri Testamento jam propositum.

QVAM

QVAM SVIDENT.) Recte Grotius negat, hæc Jure Naturali esse prohibita, sed tamen non magnopere sudandum, ut illa in Veteri Testamento jam interdicta probemus. Sic divortiorum licentiam ob duritiem cordis Judæorum fuisse permisam, ab initio autem aliter rem habuisse, testatur Christus; Polygamiz prohibitionem ipsa matrimonii primæva institutio involvit; Denique concubinatum, sub vagis libidinibus, jam olim a Deo prohibitum fuisse, colligere licet, speciatim ex *Gen. 6. v. 2. seq.*

n. 3.

SONANT VERBA.) Sed non mens & sententia Christi, quippe qui non ad Scripturam Veteris Testamenti, sed ad traditiones Phariseorum, qui tantum corticem verborum, non vim legum, proponere solebant, respexit.

§. VII. n. 3.

A DEO ESSE.) Non quod Deus causa immediata summæ potestatis seu majestatis sit, quæ multorum erronea opinio est, sed quod illa, volente & approbante Deo, per pacta eorum, qui in civitatem coaluerunt, producta fuerit; unde nihil inviolabilitati & sanctitati summi imperii decedit.

n. 8.

ANIMI PURITATEM.) Hoc admitti nequit, quia, ut supra observavimus, Christus novas leges prohibitivas non tulit, eademque animi puritas tam in Veteri, quam Novo, Testamento requiritur.

§. VIII.

## §. VIII. n. 2.

QVAMDIV.) Imo semper, & in omnes homines, non tantum Judæos, habito scilicet ad Leges Divinas morales, & universales, respectu.

## n. 3.

QUALIS EST ALAPA.) Hanc leviolem injuriam esse, adeoque tolerandam, Grotius putat, cum tamen illa inter atroces censeretur soleat. Dicendum igitur, prohiberi h. l. tantum privatam ultionem, non eam, quæ legitima est, & sine rancore publice per Magistratum, etiam propter alapam, sumitur.

## n. 7.

MAJORIS PATIENTIÆ.) Imo eadem patientia, intuitu ultionis privatæ, æque in Veteri, ac Novo Testamento, absque injuriarum distinctione requiritur.

## n. 9.

HEBRÆVM SCIL.) Imo vero hoc dilectionis præceptum non ad solos Israëlitas, sed totum genus humanum pertinet.

COMMATE XVIII.) Imo vero in utroque versiculo nihil habetur, quod vocem proximi ad solos Israëlitas, cum aliorum exclusione, restringit. Genuinum vero Legis illius sensum explicat Christus *Luc. 10. v. 30. & seqq.*

## n. 10.

MAJOREM DILECTIONIS GRADVM.) Gradus dilectionis est idem, ut nempe quisque proximum perinde, ac se ipsum, diligit.

C

§. IX.

§. IX. n. 1.

MAGNAM VIM.) Sunt tamen hujusmodi argumenta tantum probabilia, & vetosimilia, non indubitata, & apodictica.

n. 4.

PRO PRÆCEPTIS.) Hoc discrimen inter consilia, & præcepta divina, jam supra rejecimus.

§. X. n. 7.

SYNODI NICÆENSIS.) Est hæc Synodus Oecumenica habita sub Imperatore Constantino M. in urbe Nicæa, unde nomen accepit, cui plus quam 300. Episcopi interfuisse leguntur.

n. 8.

LICINII.) Maximus hic fuit Christianorum persecutor, Constantini M. affinis, a quo tandem victus & occisus fuit.

## CAP. III.

Belli partitio in publicum & privatum. Summi Imperii explicatio.

§. I. n. 1.

JURISDICTIONEM.) Vel potius summam potestatem, seu majestatem, quæ fons est omnis jurisdictionis, Magistratibus competentis.

n. 2.

A FACTO SVNT HVMANO.) Non enim ceperunt judicia publica, nisi postquam civitates constitutæ sunt; hæ autem factum humanum, scilicet duplex pactum, & unum decretum, supponunt.

§. II.

## §. II. n. 1.

COPIA EST JUDICII.) Add. r. r. C. *Quando lic. unicuique se sine jud. vind.*

## n. 2.

DIES ILLVXERIT.) Non quod incertum sit furti, an caedis causa fur nocturnus veniat, sed quia interdum apprehendi, & ad judicem deduci potest, non vero noctu.

## §. III. n. 1.

PERFECTIORE.) Imo vero Evangelium jus aliquod perfectius, quam in Veteri Testamento promulgatum, haud continere, supra monitum.

NON DVBITO.) Dubitant tamen alii, sed citra solidam rationem; non enim violenta sui defensio est Juris Naturalis præceptivi, sed tantum *permissivi*.

## n. 3.

MORALI JUDICIO.) Pertinet huc vulgata illa Juris regula: *Dammum, quod quis sua culpa sentit, sentire non intelligitur.* Vid. *L. 203. ff. d. R. J.*

## n. 5.

ALAPÆ.) Imo vero & hanc vindicari posse, sed per magistratum, atque sine rancore animi, in superioribus jam est monitum.

## §. IV. n. 1.

SOLENNÉ.) Hoc proprie, & *κατ' ἐξοχήν*, publicam est, alterum illud, quod minus solenne vocat Grotius, non nisi improprie publici belli nomine venit, ut hinc non male Ziegler. ad h. l. omne publicum bellum simul solenne esse, dicat.



n. 2.

CITRA LEGES CIVILES.) Imo vero etiam Juri N. & G. maxime convenit, ut bellum, ad cuius eventum totius civitatis salus dependet, non nisi ab eo geratur, penes quem summa potestas est, unde magistratus non aliter bellum publicum gerit, quam ex voluntate ejus, penes quem τὸ κῆρυξ in civitate est.

§. V. n. 5.

PRIVATO CONSILIO.) Excusari hoc Bruti factum potest propter turbatum eo tempore Reip. Rom. statum, ubi nemo in commune consulere audebat, quo casu cujusque boni civis officio contineri intelligitur, civitatem contra vim intestinam tueri.

§. VI. n. 1.

PARTES.) Dicuntur alias hæ partes jura majestatica & regalia; ubi observandum, fieri per consuetudinem posse, ut in eorum numerum referantur, quæ antehac talia non fuerunt; exemplum est in Jure venandi.

§. VII. n. 1.

SUCCESSOREM.) De obligatione successoris in principatus, & clientelas, novissime Petrus Luddevvig, Jctus Halensis peculiari Dissertatione egit.

CIVITAS.) Quo loco sedulo cavendum, ne quis incidat in gravissimum errorem, in quo aliqui versantur, dum distinguunt inter majestatem realem, & personalem, atque hanc illo inepto plane

ne & periculossimo instituto subjiciunt; non enim nisi una majestas in civitate datur, quæ v. gr. in monarchiâ hereditaria penes Regem, & familiam regnatricam est, qua demum extincta, ad civitatem redit.

U. 2.

PROVINCIAE.) Quibus regendis Magistratus sub nomine Præsulum Provinciarum a Romanis mitti solebant.

PLURIVM POPVLORVM.) Exemplum est hodie in regno Hungariæ, & Bohemiæ, item in regno Angliæ, & Scotiæ.

SYSTEMA QVODDAM.) Talis olim Aggerum Respublica fuit, eandemque formam septem unitz Belgicæ provinciæ, ut & Helvetiorum Cantones, quos vocant, repræsentant; atque ad tale systema plurium liberorum corporum, sed inæquali foedere inter se nexorum, proxime accedere Remp. hodiernam Rom. Germanicam, aliqui recentiorum Juris Publici Scriptorum volunt. Vid. Severinus de Monzambano, sub quo nomine Pufendorfus latet, in libello de Statu Imperii Germanici.

§. VIII. n. 1.

PVNIRE LICEAT.) Pro qua opinione erronea, & exitiosa, præter ceteros, propugnavit Miltonus, in defensione Regicidii Anglicani.

LEGE HEBRÆA.) De hac videatur *Seldenus* 4. 7. N. & G. juxta disciplinam Hebræor. L. VI. §. 7.

ROMANA.) Vid. §. 4. I. d. Jur. person.

n. 2.

DIVERSORVM SVNT JVDICIA.) Plerique

C 3

tamen

tamen Politicorum monarchicam gubernandi formam reliquis præferunt; quo de argumento elegans disceptatio occurrit apud Barclajum in *Argenide L. r. c. 15.* n. 8.

**SACRA.**) Neque enim superioritas illa, quam Sacra Scriptura Regibus tantum de ordine, & dignitate, ut contrariæ sententiæ patroni voluat, sed de ipsa potestate, & jure, intelligi debet.

n. 10.

**CONVULSISSE.**) Factum hoc dicitur Lege Regia, de qua tamen parum vel nihil certi in historia reperire licet.

n. 12.

**DICTATORVM.**) Hos non temporarios Reges, sed tantum Magistratus fuisse, præter alios contendit *Pufendorf. in Tr. d. J. N. & G. Lib. 7. c. 6. §. 15.* eo imprimis argumento, quod summam potestatem non ut suam, sed ut alienam, quæ nempe penes populum Romanum esset, exercuerit; quod tamen difficilius probatur, quam asseritur, nihil enim obstat, quo minus quis summam potestatem ut suam ad tempus obtineat.

§. IX. n. 2.

**COGNITIONEM.**) In delatione imperii subditi circa ea, quæ ad civitatis administrationem pertinent, voluntates suas voluntati Imperatoris subjiciunt, nisi expresse in formula imperii delati aliud actum sit; unde sequitur, judicium, & cognitionem, an actus hic vel ille imperantis ad eum finem faciat, penes solum imperantem esse, non subditos.

§. XI.

## §. XI. n. 1.

VSVFRVCTVARIO.) Vocabulum illud ad præsens institutum minus recte quadrat, cum usufructus sit servitus, in re aliena competens; quod de imperio ita crude asserti non potest, ne quis existimet, civitatem, & Remp. populi magis, quam Principis esse; sicut etiam proprietas, seu dominium, quod facultatem re sua abutendi, eandemque perdendi, & corrumpendi, includit, cum imperio in personas confundi non debet.

## n. 2.

ITA CONSTITVVNTVR.) Ita notanter Grotius, quando nempe constitutio ea lege expresse facta, ut, interim durante minorenni ætate, aut furore, summam potestatem proprio jure exercere debeant; quod tamen regulariter fieri non solet, sed tutores & curatores Regum non nisi alienum jus tutorio & curatorio nomine exercent.

## §. XIII. n. 1.

NON PRÆSVMENDVM.) Censetur enim populus in delatione imperii personam Regis, ejusque virtutes spectasse, & parem in designando successore libertatem retinere voluisse; qua presumptione tamdiu standum, quamdiu de alia populi voluntate non constat.

IMPROBEMVS.) Improbavit autem *Francisc. Hotomanus. Quest. illustr. 1. ad verb. Commentationis*, speciatim, quod regnum Francorum attinet; illud non simpliciter hereditarium fuisse, constat,

quamvis in eligendo successore non facile a regio sanguine discessum fuerit.

n. 2.

REDDIDISSE LEGITVR.) Dubia tamen adhuc donationis illius, ut & Constantini fides est, neque ejus certum aliquod documentum ex historia produci potest; indeque multi pro mero commento habent.

§. XIV.

NON PLENE.) i. e. alienari, & pro lubitu in alium transferri non possint.

§. XVI. n. 1.

IMPERII RATIONEM.) Inde orta est distinctio, ut summum imperium in absolutum & limitatum dividatur.

n. 2.

EXERCITIVM ACTVS.) v. gr. quod sine consensu procerum nova vectigalia impositurus haud sit.

IPSAM FACVLTATEM.) v. gr. Si Rex facultati nova vectigalia imponendi prorsus renunciet.

INJVSTVS.) Imo & invalidus, atque nullus.

n. 4.

CADAT.) Dicitur hæc vulgo clausula Commissoria.

NON ABSIMILE.) Nec tamen cum illo prorsus idem, quia in tali clausula conditio potestativa subest, quam nunquam existere penes Regem est.

§. XVII.

## §. XVII. n. 1.

**DIVIDATVR.**) Quo casu mixtam Reip. formam produci volunt, quam tamen rectius cum Pufendorffio irregularem dicas, cum ad omnem perfectam, & regularem civitatem talis unio requiratur, ut omnia negotia, quæ ad finem civitatis procurandum faciunt, ab una velut anima, & una voluntate procedant, atque omnes & singuli communi aliquo imperio regantur.

**ALIVS ORIENTEM.**) Sed tunc revera non unum, sed duo distincta imperia fuerunt, licet uno communi nomine venirent.

**TRES.**) Tali casu vel summum imperium actualiter tantum penes unum fuit, & alter Collega non nisi Vicarii generalis simul & futuri successoris instar habebat, vel certe forma imperii iterum irregularis fuit. *Pufend. d. 7. N. & G. L. 7. c. 5. §. 15.*

**MANENTIS PRÆCEPTI.**) Vel potius conventionis, seu regulæ fundamentalis, ubi nulla Majestatis divisio contingit; præceptum enim, quod proprie Superiorem supponit, ad hoc institutum applicari non potest, nisi rursus forma irregularis emergere debeat.

**COGI AVT PVNIRI.**) Ita vero penes illud Concilium, quod cogere Regem & punire potest, revera summa potestas, penes Regem autem inane nomen erit.

n. 2.

**OMNI EX PARTE.**) Sed incommoda illa  
C 5 multo

multo majora sunt, si ex intrinseca structura, & irregulari statu orientur.

§. XVII. n. 2.

PRÆSUMPTVR.) Imo vero præsumptio est in contrarium; nemo enim præsumi potest, tam solennem actum, qui in testamenti factione occurrit, celebrasse, nisi voluntate priori revera mutata, ut hinc specialis revocatio hujusmodi clausulæ utilis forte ad lites omnes præscindendas, non vero necessaria sit. Vid. *Dissert. nostr. d. Clausul. derog. ult. vol. adject.*

§. XIX.

QUOTIDIANAM ADMINISTRATIONEM.)

Quocirca modus administrandi Remp. seu exercitium ab ipsa forma, seu statu illius, probe distingvi debet.

§. XX. n. 1.

REGIBVS HEBRÆIS.) Quæ h. l. de Rege Hebræorum ex Rabinis, silente Sacra Scriptura, Grotius hausit, partim incerta, partim fabulosa sunt, de quibus vid. *Ziegler. ad b. l.*

n. 5.

ROMANORVM.) Reip. Romanæ sub Regibus non una & eadem facies fuisse videtur; imo hac in parte in historia quædam deesse, monet *Bæckler. ad b. l.*

n. 7.

ATHENIENSIVM.) Imo Atheniensis Reip. status revera vere popularis fuit; licet forma illa  
videa-

videatur Aristocratice temperata fuisse, adeoque Democratia limitata. Cont. *Bæckler. ad b. l.*

§. XXI. n. 1.

MUNDIBVRGII.) h. e. defensionis, seu tutelæ jus; mundipurdium enim & advocatia sunt synonyma. Vid. *Bingnonius ad formulas Marculfi, pag. 405. seq.*

n. 4.

RECVPERATORVM.) Hi dicebantur, qui de rebus privatis recipiendis, reddendisque, cognoscebant, quorum apud Ciceronem, Livium, & Gellium mentio fit; unde judicium recuperatorum ortum est. Vid. *Carolus Sigonius de Antiqu. Jur. pop. Rom. rubr. de Judiciis, L. 1. c. 22.*

n. 11.

PARTITIO FIT.) Imo talem divisionem salva indole status regularis fieri non posse, supra monuimus.

§. XXII.

SVMMVM IMPERIVM.) Ut ut enim subditi conditio semper involvat obligationem ad præstanda tributa, nisi forte quis speciali privilegio immunitatem impetraverit, non tamen vice versa hæc illam necessario infert.

§. XXIII. n. 1.

GERMANICARVM GENTIVM.) Ita plerique volunt, sed tota hæc res in mera conjectura consistit, & fateri oportet, primam feudorum originem, cui genti illa potissimum adscribenda sit, incer-



incertam esse. Vid. *Stryk. in Exam. Jur. Feud.*  
L. 1. c. 2.

n. 2.

**OBLIGATIO PERSONALIS.)** Hæc potissimum in fidelitate consistit, quæ tanquam essentielle feudi ab illo abesse nequit.

**IUS LIBERTATIS.)** Neque obligatio illa subditum facit, sed vasallum, qui non simpliciter ut subditus domino obligatus est, sed solum ratione rei, seu feudi, quod possidet.

**LIGIVM.)** Aliquando sic dictum, quod sic arctissimo nexu domino teneatur vasallus, si contra omnes sine exceptione fidelitatem promittat, 2. F. 99. Vid. *Eubenius in Elect. feud. c. 3. §. 8.* Opponitur illi feudum non ligium.

**LATIVS PATEBAT.)** In quo lato sensu omnis vasallus ligius appellatur.

§. XXIV.

**DEMETRIVS.)** Aliud exemplum de Francisco I. Galliarum Rege, a Carolo V. capto, refert *Quirsdhartini Histor. Lib. 16.*

## CAP. IV.

### De Bello Subditorum in Superiores.

§. I. n. 1.

**ABRAHAMVS.)** Qui h. l. a Grotio consideratur in ordine ad civitatem, seu Remp. cui utique non præfuit, quamvis familiarum suarum satis amplæ caput & princeps fuerit.

n. 3.

**CONTRARIVM.)** v. gr. Si quis jubeatur a Prin-

Principe falsum testimonium contra alterum dicere, aut foemina stuprum pati; secus est, si demandetur alicui nuda executio actus, de quo, an Legibus Divinis conveniat, nec ne, subditus judicandi facultatem non habet.

## §. II.

DUBITANDVM NON EST.) Pacta enim, quibus civitates coaluerunt, omnem resistendi vim illi, vel illis, in quem, aut quos summa potestas collata est, excludit.

## §. III.

JURE VERO.) Ita puto cum Grotio, quamvis cum aliis dissentiat h. l. Ziegler. qui verum jus regium ibi describi existimat, sed cui non alter, quam urgente Reip. necessitate, locus sit.

## §. IV.

NON MAJOREM.) Major exigi non potest illa obedientia, quam Decalogus injungit, ut supra monitum.

## §. V.

CONSVETVDO VETERVM CHRISTIANORVM.) Quodsi contraria quaedam facta ex historiis proferri possint, illa ejus generis erunt, quæ hœdem, & approbationem, regulariter haud mereantur.

## §. VI. n. 1.

VIRI, ERVDITI.) Multa, quæ hac de re superiori tempore ultro citroque disputata sunt, congestit *Hortleder. Part. 2. L. 1. § 2.*

PRIVATI SUNT.) Potestas carnis, & jurisdictio,

ctio, quam illi exercent, tota dependet ab eo, p  
nes quem summum imperium est, nec nisi in o  
dine ad inferiores, & subditos, sese exerit.

§. VII. n. 1.

**SVMMÆ NECESSITATIS.)** Quia legislat  
quisque, cum legem sancit, censetur ante ocul  
habere conditionem subditorum, neque id velle  
ut ea ad talem casum extendi debeat, ubi obse  
vationem legis comitaturum esset malum, hum  
na constantia majus, nisi hanc voluntatem sua  
esse, liquido expresserit; & hoc sensu verum e  
proverbium: necessitas non habet legem.

n. 2.

**INTERROGARENTVR.)** Imo vero dictu  
essent, adversus Summam Potestatem nihil se ju  
ris retinere velle; cum finis civitatum, tranquill  
tas publica, alias commode obtineri haud posse  
Quis enim æstimabit, an casus necessitatis, & ultim  
mi discriminis adsit, nec ne? Hoc enim arbitriu  
si subditi sibi sumant, in eorum potestate semper  
erit, hoc obtentu publicos eiere motus, eoque pu  
blicam salutem convellere, aut labefactare.

n. 3.

**SPONTE ADDUCTOS.)** Sed tamen ex dicta  
mine rectæ rationis, placitoque Dei. *Pufend. d. 7*  
*N. & G. L. 7. c. 3. §. 2.*

**PROBAVIT.)** Non tantum consequenter, &  
ex postfacto; sed & antecedenter homines Divi  
nam voluntatem intellexerunt; cum conditionem  
multiplicati generis humani, & quod extra civita  
ten

tem nulla securitas esset, secum expenderent. *Puffendorf. c. l.*

n. 4.

INSIGNI EJUS PARTI.) Hæc distinctio inter insignem, & minorem partem, nulla omnino probabili ratione nititur. Quis enim, quæso, determinabit, quantus ille numerus subditorum esse debeat, ut insignem populi partem constituat, an centum sufficiant, an mille, aut plures requirantur? Ad Davidis exemplum, ut & Maccabæorum in n. 5. respondet *Zieglerus ad b. l.* quem vide.

n. 8.

EXACTIOREM.) Recurrit hic error Grotii, toties notatus. Par enim patientiæ gradus & in Veteri, & Novo Testamento, exigitur.

§. IIX.

SVB POPVLO.) Tales solo nomine Reges sunt; res vero & potestas penes populum residet: adeoque status Reip. non Regius, sed popularis est.

§. IX.

NEGLIGENTIVS.) Solent huc referri exempla destitutorum Cæsarum, *Adolphi Nassovii, Henrici IV. & Wenceslai*; de quibus vid. *Boecklerus Annot. ad b. l.*

§. X.

LEGITIMO TEMPORE.) Explicatio hæc non satis convenit *L. 58. ff. d. Jur. dot.* ut ostendit *Zieglerus b. l.* Hinc plerique Dd. dissentiunt; & per hujusmodi cessionem usufructuarium jure suo excidere putant. *Add. Kinn. ad §. 3. l. d. Usufr.*

n. 4.

n. 4. Neque tamen illa doctrina, quæ Juris Romani est, ad casum præsentem, qui non nisi ex Naturalibus & Gentium principiis, ubi nulla illius auctoritas, definiri debet.

## §. XI.

HOSTEM.) Qualem Caligulam, & Neronem Historia Romana repræsentat.

## §. XII.

TVNC QVOQVE.) Si modo de feloniam, aut quod casus clausulæ commissoriæ existat, aperte constet.

## §. XIII.

PARTEM.) Tum vero Reip. formam irregularem fieri, supra ostendimus.

## §. XV.

ID MALLE.) Recte *b. l. Grotius* ad præsumtam voluntatem ejus, qui jus imperandi habet, recurrendum putat; Nam si vis obligandi tantum ex coactione & violentia esset, ut *Zieglerus b. l.* vult, quisque subditorum pro arbitrio invasori resistere, & sic summa confusio & perturbatio Reip. induci posset.

## §. XVIII.

DISERTA AVTORITAS.) Negat *Zieglerus ad b. l.* eo casu, ubi pactio inter tyrannum & populum oppressum intercessit, sufficere auctoritatem ejus, qui verum jus imperandi habet; præsertim si statuamus, præsumtam veri Regis voluntatem, quæ maluerit ille quovis modo servari Rempublicam, quam perire. At enim vero pactum tale in præjudicium

dicium veri domini non valet, neque ullam vim obligandi habere potest. Deinde in aprico est, præsumtionem cessare, ubi de vera voluntate constat.

## CAPVT V.

## Qui bellum licite gerant.

## §. I.

**VINDICEM.**) Cum enim in statu naturali Magistratus non detur, per quem quis jus suum persequi possit; consequitur, cuius licitum esse, id proprio Marte & privata autoritate facere.

## §. III.

**EST SVBDITVS.**) Grotius ipse in verbis seqq. ostendit, quo sensu hanc inter servum & subditum comparationem instituat, quatenus nempe uterque ei, cui subest, instrumenti loco inservit.

## §. IV.

**SVMME NECESSITATIS.**) Tali igitur casu etiam clerici ad munia bellica adigi & compelli possunt; præsertim, ubi magna illorum copia datur.

## LIBER II.

## CAP. I.

De Belli causis, & primum de defensione sui & rerum.

D

§. I.

## §. I. n. 1.

**M**OVENT.) Quæ hinc causæ favorizæ vocari solent; quas plerumque dissimulant illi, qui bellum suscipiunt, nec nisi justas causas evulgari sinunt.

## n. 4.

**INJURIA.**) Late dicta, ut non tantum illam, quæ actu illata est, sed & eam, quæ tantum imminet, comprehendat.

## §. II. n. 1.

**CONDITIONES QUÆDAM.**) Sigillatim hæc conditio furtiva pertinet, quæ domino contra furem, ejusque heredes competit; cum aliæ conditiones non dentur sub formula: *Si apparet, rem meam esse*, sed sub illa: *Si apparet, alterum dare, vel facere oportere*. Plura autem conditionum genera spectant id, quod nostrum fuit; ut conditio indebiti, causa data, causa non secuta &c.

**EX LEGE.**) Dicuntur hæc obligationes legales; quæ tamen semper factum aliquod obligatorium supponunt; ut obligatio patris ad alendos liberos, ad edendum, ad exhibendum &c.

**CONDITIONES CÆTERÆ.**) Quæ in lato sensu omnes actiones personales includunt; sicut reales omnes vindicationum nomine veniunt.

## §. III.

**SIBI COMMENDAT.**) Quod pertinet tritum illud: *Amor ordinatus incipit a se ipso*. Et satis est, quod alter non habeat jus me invadendi; co- que

que nulla mihi obligatio incumbat, ad malum, quod intentat, perferendum. Add. *Pufendorf. d. J. N. & G. L. 2. c. 5. §. 5.*

## §. IV.

EQVAT.) Quia tamen nobis alterum non præfert; Legem illam dilectionis haudquaquam obstatre puto, quo minus excusationem mereatur, qui innocentera inter fugiendum, in via angusta obvium, si admonitus de via non decesserit, forte quod infans, aut claudus sit, impellendo, aut saltum supra eundem moliendo, viam salutis sibi aperuit. Sicuti enim a quavis alia Lege, ita & ab illa de proximo diligendo, eoque haud lædendo, exceptus intelligitur esse casus extremæ necessitatis. *Pufend. c. l. c. 6. §. 4.* Vnde etiam non dubito, per *Naturam* h. i. Grotium non solum instinctum, & prima Naturæ, ut vulgo Commentatores tradunt, sed ipsa Juris Naturalis principia intellexisse. Hoc enim ex eo luculenter patet, quod Legem dilectionis positivam Naturæ opponat. Vox autem illa, *præsertim*, quam Grotius adjicit, Legem Evangelicam non a naturali, sed tantum a Mosaica distinguit.

## §. V. n. 1.

LATITVDINE.) Quæ tamen major est in statu naturali, quam civili; ut egregie ostendit *Pufendorf. L. 2. c. 5. §. 6.* Speciatiusque vindicta etiam, & cautio de non amplius offendendo in libertate quidem naturali propria autoritate, in civitate



vitae autem non nisi per Magistratum exigi atque urgeri potest.

n. 2.

SI AVT. ) Imo vero ne sub hac quidem restrictione admitti potest illa quorundam Moralistarum sententia; cum utique statum Civilem supponant; cujus indoles hujusmodi caedem, ubi alter vim praesentem non intentat, nullo modo permittit. Nec sane tali casu homicida in foro poenam Legis Corneliae effugiet. Add. *Pufend. d. J. N. & G. L. 2. c. 5. §. 7.*

§. VI.

PERICVLVM MORTIS. ) Ex hoc imprimis fundamento desumenda est ratio, cur eo casu, ubi homicida vulnerandi tantum, non vero occidendi, animum habuit, nihilominus capitali supplicio plectendus sit; cum vulnera ad mensuram non dentur.

§. VII.

IN HISTORIIS EXTANT. ) Et nuper demum tale exemplum Edenburgi in Scotia contigisse, novissimae relationes publicae nos docuerunt.

§. VIII.

PARVM TVTVM. ) Sed tamen nihil obstat, quo minus tali casu defensionem sui in obligatione, alias vero tantum licitam esse, dicamus; Nam qui aliorum utilitatem insigniter promovere potest, & tamen patitur, ad hoc se inutilem reddi, cum impedire possit, utique peccare videtur. Add. *Pufend. d. J. N. & G. L. 2. c. 5. §. 2.*

§. IX.

## §. IX.

MULTIS SIT UTILIS.) Hoc restringendum puto ad casum, ubi quis præterea peculiari nexu invadenti obstrictus est; ut si Princeps, Magistratus &c. per vim aliquem invadat. Alias vero non sequitur: Aggressor pluribus potest esse utilis, quam ego; Ergo pati teneor, ut ille me potius occidat, quam ut eundem cum cæde repellam. Qua ratione cælebs, aut orbis nunquam facile proletarium occidere posset, ut recte judicat *Pufend. c. l. §. 14. circa fin.*

## §. X.

ALAPÆ.) Eadem, quam supra attuli, distinctione inter statum naturalem, atque civilem, rem expediendam esse, censeo; ut in illo etiam modica injuria, per extrema repelli possit; in hoc autem ferri potius, & per Magistratum reparari debeat. *Add. Pufend. c. l. §. 12.*

## n. 2.

EXCELLENTER.) Hanc Grotii Philosophiam vitæ civilis morem non ferre, monet *Pufend. c. l. §. 12. in fin.*

## n. 3.

FUGERE.) Fuga ab illis, qui in civitate vivunt, semper capienda est; si modo commode fieri, & per eandem malum, quod alter nobis intentat, declinari possit. Sed inter Principes & civitates, in libertate naturali viventes, secus est; ubi, qui invaditur, non tenetur fugere; ne, dum resistit,

sistit, aliquos ex aggressoris copiis occidat; sed ho-  
sti in infinitum nocere potest. *Pufend. c. l. §. 13.*

## §. XI.

**INEQUALITAS.**) Falsum est, proportionem  
aliquam seu aequalitatem requiri, quando agitur  
de malo, quod alter nobis intentat, avertendo  
cum defensionis media ad leges justitiæ vel exple-  
tricis, vel attributricis exigere haudquaquam debe-  
ant; sed aggressori in infinitum resisti potest, qua-  
tenus hanc resistendi facultatem LL. Civiles non  
restrinxerunt.

## §. XII. n. 1.

**POSSE RECUPERARI.**) Hæc sola mihi ge-  
nuina videtur esse Legum illarum ratio.

**NEMINEM DEBERE.**) Hoc verò neque ex  
adductis Legibus, neque aliunde probari potest.

## n. 3.

**CVM CLAMORE.**) De hoc nihil in LL. XII.  
Tabb. habetur; ut hinc laciniæ hæc in L. 4. §. 1.  
*ff. Ad L. Aquil. inter emblemata Triboniani referri*  
debeat.

## n. 4.

**DE VI ILLATA.**) Exemplum hoc ad proban-  
dum id, quod Grotius intendit, frustra adducitur;  
cum ibi Lex vim illatam esse præsumat; de qua præ-  
sumptione Leges in casu furis nocturni occisi omni-  
no silent. *Pufend. d. 7. N. & G. L. 2. c. 5. §. 18.*

## §. XIII. n. 1.

**PERFECTIOR.**) Recurrit error Grotii, sæpe  
notatus; quem ex scholis Socinianorum hausit.

## §. XIV.

## §. XIV.

QUOVIS DELICTO.) Imo omnis delicti poena, Lege Divina universali non determinata, si utilitas Reip. & publica tranquillitas ita ferat, a Potestate Civili ad mortem extendi potest.

## §. XV.

CONCEDAT.) Concessio hæc ipso facto per violentam invasionem fieri intelligitur; ut hinc nihil causæ habeat Zieglerus, cur h. l. a Grotio dissentiat.

## §. XVI.

VLTCISCENDI.) Ut & cautionem de non amplius offendendo exigendi; quod aliquando fieri potest, vires hostis adeo debilitando, ut in posterum non amplius nocere queat.

## §. XVII.

QVIDAM.) Speciatim Albericum Gentilem, in margine citatum, Grotius innotuit.

## LIB. II. CAP. II.

De His, quæ hominibus communiter competunt.

## §. I.

PROPRIETATIS.) Quam in laxiori sensu Grotius h. l. accipit. Nam in stricta significatione notat jus ab usufructu separatum. Est vero dominium jus, quo alicujus rei velut substantia ita ad aliquem pertinet, ut eodem modo in solidum non pertineat ad alium. Distingvi solet in plenum,

D 4

&amp;

& minus plenum. Hoc rursus est vel directum vel utile; quod contingit in feudo, emphyteusi, & superficie.

§. II. n. 1.

GENERALITER.) H. e. jus aliquod indefinitum; sed modum res possidendi, iisdemque utendi non præscripsit; ita ut eorum arbitrio fuerit relictum, an cuilibet in qualibet, an vero in certam duntaxat partem competere deberet. *Pufend. d. J. N. & G. L. 4. c. 4. §. 4. Qui & §. 2. in fin. seqq.* differentiam inter communionem positivam, & negativam inculcat. Illa involvit aliorum exclusionem ab ista re, quæ communis dicitur; hæc vero indicat, res omnes fuisse in medio positas, & non magis ad hunc, quam ad illum, jure proprietatis pertinuisse.

n. 1.

NON POTERAT.) Vi tacitæ conventionis, quæ tunc inter homines intercessisse videtur.

n. 4.

DISCESSVM EST.) Eandem Grotii Philosophiam pluribus persecutus est *Pufend. d. J. N. & G. L. 4. c. 4. §. 6. seq.*

§. III.

HIC CESSAT.) Addi potest & hæc ratio, cur moraliter Oceani occupatio impossibilis sit; quia opus ad illam foret, ut occupans tantam Classem aleret, ut per illam omnes alios populos ab illius usu excluderet; quod nunquam futurum esse, qui-

via

vis intelligit. Cæterum nota est peculiaris Grotii Dissertatio de *Mari libero*; cui Seldenus aliam de *Mari clausa* opposuit.

LEGEM.) Hinc patet, inanem esse distinctionem inter aërem simpliciter seu absolute, & secundam quid, consideratum. Nam in priori sensu nullus usus aëris esse potest. Quatenus vero certis limitibus continetur, nunquam a proprietate vacuus est.

## §. V.

CIRCUMSCRIBERE.) Talia enim, quæ Jure Nat. tantum sunt licita, non vero præcepta, non sunt proprie Juris N., quippe quod, ut omnia alia Jura, tantum in præcipiendo, vel prohibendo, versatur.

## §. VI. n. 4.

NECESSARIUM EST.) Qualis tamen casus in civitate non facile contingere potest; cum in tali casu Magistratus egenti subvenire soleat.

## §. VIII.

PARI NECESSITATE.) *Pufendorfius d. 7. N. & G. L. II. c. 6. §. 6.* putat, ex hypothese Grotiana, quod a primæva rerum communione hæc velut lege, ut illa in casu necessitatis quodammodo reviviscere deberet, discessum fuerit, aliud dicendum esse. Nam, inquit, si in necessitate quis accipit jus afferendi sibi res alienas, velut in media istæ forent positæ, non apparet, quare quis easdem ipsi domino, qui pari necessitate premitur, ubi viribus prævaluerit, non possit eripere. Enim-

vero ut ipse Pufendorfius fatetur, inter eos etiam, qui in primæva communionione vixerunt, hoc tacitum pactum intercessisse intelligitur, ut quamdiu quis re a se apprehensa uteretur, ab aliis tantisper impediri haudquaquam deberet; Vnde consequitur, multo minus post introducta rerum dominia, egestatis obtentu, domino, in pari necessitate constituto, rem eripi posse. Et videtur res eodem redire, siue cum Grotio ad reliquias primævæ communionis recurras, siue cum Pufendorffio dicas, imperfectam alias obligationem tali casu in perfectam transire.

## §. XI.

UTILITATIS INNOXIÆ.) Vnde vulgata regula; Quod mihi non nocet, & alteri prodest, id a me fieri æquum est. Vnde plurima consuetaria Ed. deducunt; v. gr. quod beneficium cedendarum actionum locum habeat, quamvis eidem renunciatum sit.

## §. XIII. n. I.

TRANSITV.) Si de totius exercitus transitu, quæstio sit, raro eveniet casus, ubi sine ullo incommodo permitti possit.

## n. 4.

RATIONES CAVENDI.) Prima cautio commodissima, ut diviso agmine, per catervas exercitus transeat; secunda enim in milite armato vix locum habet; & tertia nimis sumtuosa est, & tractum temporis requirit. *Pufendorf. d. J. N. & G. l. 3. c. 3. §. 5.*

n. 5.

n. 5.

NEMINI JUS EST. ) Intellige per vim; pacto enim impediri posse, ipse *Grot. §. ult. hujus libri* concedit. Sicuti etiam jus stapulæ, quod passim invaluit, vi cujus merces in certo foro fisti, & ibi venum exponi debent, nulla iniquitate laborat.

§. XXI. n. 2.

SPECIALES EFFECTVS. ) Ita quando justas nuptias soli Cives Romani contrahere dicuntur, in *pr. l. d. Nupt.* id tantum de effectibus civilibus, v. gr. patria potestate, intelligendum est.

§. XXII.

NEGARI NON POTEST. ) Quo casu retorsonum Jura inter populos passim frequentari videas, Vid. *JCI ad tit. ff. Quod quisque jur. in alt. stat.*

§. XXIV.

PROHIBERI. ) Pleraque enim hujusmodi metropolia Reip. dampna sunt.

## LIB II. CAP. III.

### De Acquisitione originaria rerum, ubi de mari, & fluminibus.

§. I.

OCCUPATIONEM. ) Quocirca ne tunc quidem divisio hodie modus acquirendi originarius est, quando novæ occupantur terræ, & inter singulos illæ per assignationem dividuntur, quod vult *Zieglerus Annot. h.* Neque enim acquisitio



quisitio originaria dici potest, quando res *jam ante* in dominio universitatis extitit. Atqui hoc toties contingit, quoties novæ terræ per multitudinem aliquam occupantur; hoc ipso enim statim universis dominium earum acquiritur.

## §. II.

VIRTUTE.) Quamvis enim dominus in re propria pignoris jus non habeat; habet tamen facultatem illud constituendi.

## §. III.

FECIMVS.) Vocatur specificatio, quæ inter species accessionis artificialis referri solet.

## §. IV.

DISTINGVITVR.) Imperium enim Superioritatem notat, cui subordinatur dominium seu proprietas singulorum.

## §. V.

ANTEVERTI.) Exemplum est in venatione; ubi Princeps privatos in occupando prævenisse intelligitur.

## §. VI.

AD ACTVM SECVNDVM.) Imo, etiam ad hunc pertingit. Tutores quippe & curatores habent nudam administrationem juris, & rei alienæ.

## §. XVI.

ARCIFINIVM.) Talis est ager, qui nulla certa mensura continetur.

## §. XIX.

DERELICTÆ.) H. e. eo animo, abjectæ, quod quis illas in numero rerum suarum amplius habere nolit.

n. 2.

D. 2.

FIDEICOMMISSVM.) Imo vero talis fideicommissarius nullum jus in re, sed tantum spem, eandemque incertam habet. *Ziegl. b. l.*

n. 3.

REDIT.) Quo fundamento nititur regula Juris, quod bona vacantia fisco cedant.

## LIB. II. CAP. IV.

De Derelictione præsumta, & eam secuta occupatione: Et quid ab usucapione & præscriptione differat.

§. I.

LEGE CIVILI.) Imo etiam Gentium. Alias enim inter Reges & populos locum habere non posset. *Pufendorfius d. J. N. & G. L. 4. c. 12. §. 9.* illam dicit esse appendicem & velut consecrarium. dominii rerum pacis causa introducti. Illud certum est, determinationes v. gr. temporis, ex solo Jure Civili esse. Quo principio præstructo facilius multæ quæstiones solvantur, quam ex fundamento, quod in tacita & præsumta derelictione sola constituitur. Vnde ipse *Grotius infra §. 9.* eidem Jus Gentium conjungit.

§. III.

JVRIS EFFECTVS.) Qualis est dominii amissio, quæ sine factis & voluntate nostra regulariter hæc contingit.

§. IV. n. 1.

CHIROGRAPHÆ REDDITIOE.) *Vid. L. 2.*

§. 1.

§. 1. ff. d. Pact. Secus est, si pignus redditur tunc enim jus pignoris tantum censetur remissum non debitum.

## §. V. n. 1.

VIDETVR CONSENTIRE.) Dicitur consensus tacitus, & est species veri consensus, atque præsumto differt.

## §. V. n. 2.

NON EST DEFINITVM.) Definitum tamen est Jure Saxonico; quo est spatium 31. annorum 6. Sept. & 3. dierum.

## §. VI.

INTER PRÆSENTES.) Inter hos Jure Romano ad ufucapiendas res immobiles sufficit spatium decem annorum, cum inter absentes non nisi viginti annis illa procedat. Quæ distinctio tamen apud Saxones negligitur.

## §. VII.

MEMORIAM EXCEDENS.) Dicitur hæc præscriptio immemorialis, quæ in omnibus, ubi ordinaria præscriptio cessat, locum habere intelligitur.

## §. X. n. 3.

RECEPTIOR SENTENTIA EST.) In foro tamen contraria sententia magis invaluit; quæ hæc ratione nititur; quod v. gr. agnatus, aut simultaneæ investitus non prius agere, & præscriptionem interrompere queat, quam ordine successione ad eum devoluto; ei autem, qui agere non valet, præscriptio haud currat.

## §. XII.

## §. XII. n. 1.

**NEMO POTEST.**) Qui enim sibi ipse legem ponit, quodcumque voluerit, ab illa se rursus liberare potest; h. e. actus statim liber est. Quod si Princeps ipse secundum leges a se latas se judicari patiator, id non ad obligationem & necessitatem, sed ultroneam submissionem referri debet.

## §. XIII.

**OMNINO SVBJACENT.**) Imo ob rationem, præc. Not. allegatam, non subjacent; nisi Princeps ita voluerit. Unde ad privilegium de non appellando, immunitatem ab oneribus, jus venandi, similiaque jura, per præscriptionem acquirenda, ordinarium tempus non sufficit, sed immemorialis requiritur.

## §. XV.

**LVITIO PIGNORIS.**) Hinc præscriptio actionis pignoratitiæ demum a tempore soluti debiti incipit.

**JURA LIBERTATIS.**) Dicuntur actus meræ facultatis, scil. naturalis; cum quibus confundi non debent actus meræ facultatis, quorum exercitium unice a contractu vel pacto dependet; qui tanquam peculiaria jura, ordinariam præscriptionem admittunt.

## LIB. II. CAP. V.

**De Acquisitione originaria juris in personas: Vbi de jure parentum, de matrimonio, de collegiis, de jure in subditos, servos.**

§. 1.

## §. I.

**I**N PERSONAS.) Jure Civili jus personarum  
 Ius personale inter se differunt. Illud ex se  
 hominum oritur; hoc vero est species juris rerum  
 & ex obligatione descendit.

## §. II. n. 2.

**Q**VORVNDAM POPVLORVM LEGIBVS  
 Secundum Jus Civile inter peculium *filiifam*: ca-  
 strense, quasi castrense, profectitium & adventitium  
 um, regulare & irregulare distingvitur.

## §. VII.

**F**AMILIÆ PROPRIÆ.) Hodie *filiusfam.* in-  
 stituendo peculiarem œconomiam, virtualiter a  
 patria potestate liberari intelligitur.

## §. VIII.

**N**ON EST COMMVNE.) Jure Natur. tamen  
 nihil videtur impedire, quo minus pacto uxor im-  
 perium consequi possit. Cujus rei exempla haud-  
 quaquam deficiunt.

## §. IX. n. 1.

**P**LVRES VNA VXORES.) Propter dispen-  
 sationem Divinam nempe. Nam polygamia per pri-  
 mævam matrimonii institutionem toti humano ge-  
 neri prohibita esse intelligitur.

## n. 2.

**D**IMITTERE VXOREM.) Divortiorum li-  
 centiam a Mose non nisi ob duritiam cordis *Juda-*  
*orum* permissam fuisse, ipse Salvator monet.

## n. 3.

**N**EFAQS ESSET.) Imo est nefas. Neque enim  
 Chri-

Christus novam legem de divortio tulit. Et prima matrimonii institutio sat luculentam polygamiae prohibitionem involvit.

§. X. n. 1. in fin.

NVLLVS SIT ACTVS.) Liquet igitur, parentum consensum Jure N. tantum honestatis, non vero necessitatis ita esse, ut, eo neglecto, matrimonium sit nullum.

n. 2.

IRRITVM NON FACIT.) Jure Civili enim sola patris potestas attenditur; cujus mulier incipax habetur. §. 10. I. de Adopt.

§. XI.

LEGE AVTEM CHRISTI.) Quae tamen non est nova; sed Legis in Veteri Testamento latae genuina explicatio.

§. XIV. n. 1.

FILIAM FRATRIS.) Imo etiam hanc ducere, vetitum est; ob paritatem gradus & rationis, quae in propinquitate conjunctionis consistit.

n. 2.

DVAS SORORES.) Etiam hoc matrimonium est contra Legem Divinam universalem, tanquam in primo lineae transversae affinitatis gradu.

§. XV.

CONCVBINATVM.) Cum Leges Divinae non aliam concubitus, quam inter conjuges admittant, concubitus universis hominibus interdictus esse intelligitur.

¶

§. XVI.

## §. XVI. n. 1.

IRRITVM FORE.) Valet hæc regula in prohibitionibus humanis, non vero Divinis; Vt matrimonium, contra Leges Divinas contractum pro nullo declarari potest, ne perpetuâ ince- reiteratione contingat.

## §. XXVI.

PLENE IN EVM TRANSEAT.) Potest tam transferri patria potestas quoad effectus civiles.

## §. XXXII.

ALIENO JVN XISSENT.) Item si quis majoribus 20. annis ad pretium participandum se venundari patiatur.

## LIB. II. CAP. VI.

De Acquisitione derivativa facta  
hominis: Vbi de alienatione Imperii,  
& rerum Imperii.

## §. I. n. 1.

TRANSFERRE.) Nisi hæc transferendi facultas per conventionem aut legem restricta sit.

## n. 2.

EX LEGE EST CIVILI.) Quod vel inde luculenter constat, quod etiam Jure Civili aliquando dominium sine traditione transeat; v. gr. in legatis, societate omnium bonorum, & in Judiciis divisiis.

RELATIO IN ACTA.) Sic speciatim in Saxonia

tionia dominium rerum immobilium sine judiciali  
 assignatione haud transfertur.

## §. II.

CVM SVO SIGNO.) Inde est, quod acceptatio regulariter non præsумatur, ne quidem in donatione; sed probari ex signis externis debeat. Et ante acceptationem revocationi locus est.

## §. IV.

CONSENTIAT.) Id quidem regulariter fieri debet. Sed casus necessitatis tamen semper exceptus esse intelligitur. Add. *Conring. d. Fin. Imp. c. 19.* Si enim tunc pars a reliquo corpore, eo invito, se separare potest, consequitur, idem juris etiam corpori in partem competere. Vnde rationes in seqq. a Grotio adductæ ad regulam tantum, non ad casum necessitatis exceptum, referri debent.

## §. X.

MINORES VERO FVNCTIONES.) Quæ nempe summo Imperio subordinantur; ut si quis Præfecturam aliquam hereditario jure consequatur.

## §. XI.

PATRIMONIUM.) Quod hodie bonorum domanialium nomine venire solet.

## §. XIV. n. 1.

EST TESTAMENTUM.) Non tamen hoc proprie alienatio vocari potest, sed tantum abusive; cum in simplici declaratione consistat, quid post mortem quis fieri velit; alienatio autem sine interventu & acceptatione alterius intelligi non possit.



lit. Quod pluribus ostendit. *Pufend. d. 7. N. G. L. 4. c. 10. §. 2.*

## LIB. II. CAP. VII.

De Acquisitione derivativa, qua fit per legem: Vbi de successione- bus ab intestato.

### §. I.

**NAVFRAGORVM.)** Palam enim est, hos non eo animo res suas ejicere, quod eas habere nolint, sed ut periculum effugiant. Vnde hujusmodi consuetudo damnatur in *Authent. Navigia. C. d. Fürt. & L. 1. C. de Naufr.*

### §. II. n. 1.

**TANTVNDEM.)** Ex quo fundamento defendi potest factum Hebræorum, Ægyptiis res & bona in compensationem operarum præstitarum auferentium.

### n. 2.

**JVS CREDITI AMITTAT.)** Pertinet huc celebratissimum Edictum Divi Marci, quod habetur in *L. 13. ff. Quod met. caus. & L. 7. C. Vnde vi.*

**DEFICIAT PROBATIO.)** Vix est, ut huic doctrinæ locus in civitate sit. Non enim ibi attenditur jus, cujus probatio deficit. Et tali casu Judex ab altero imploratus confestim restitutionem rei oblatae imperabit.

### §. IV. n. 1.

**ILLO SENSU LAXIORE.)** Imo vero etiam in

in sensu stricto; cum debitum alimentorum sit perfectum; cui jus exigendi in liberis respondet. Unde actio de agnoscendis & alendis liberis ex ipsa Lege Naturæ est.

n. 3.

**DAMNATO LEGIBVS CONCVBITV.)** Intellige ex adulterio, vel incestu. Quales liberi ne ali quidem apud Romanos a parentibus debebant; ut eo velut solatio carerent

**NECESSARIA.)** Unde fluit, liberis jam adultis, & qui sibi ipsi jam de victu prospicere queunt, nullam omnino legitimam secundum Jus Naturæ debent.

§. V. n. 2.

**PRIMA BONORVM SVCCESSIO.)** Nempe ab intestato; & ubi nullum testamentum adest.

§. VI.

**REPRESANTATIONEM.)** Opponitur illi successio, quæ fit in capita.

§. VII.

**EXHEREDATIO.)** Quæ tamen justam causam supponit, neque a mero parentum arbitrio pendere debet.

§. VIII. n. 1.

**NATVRALITER.)** Ex præsumta voluntate defuncti, qui eundem a successione non exclusit. Sed in foro civili, si probari possit, eum aliunde conceptum, successioni locus haud est.

n. 2.

**CVRIÆ OBLATIONEM.)** Qui modus legiti-

E 3

man-

mandi, de quo in §. ult. I. d. Nupt. postea ab u.  
recessit.

n. 3.

**MORGENGABICAM.**) Seu Morganaticam, u.  
alias vocatur; de quo in Jure Feudali ex institut  
agitur. Vid. 2. F. 29. Cujus primaria capita eo re  
dire solent, ut uxor cum liberis certa bonorum  
parte, loco alimentariae provisionis, contenta esse  
& liberi ab Insignibus paternis abstinere debeant.

§. IX. n. 2.

**VIVENTIBVS, AVT DEFVNCTIS.**) Pri-  
mo igitur, deficientibus liberis, vocantur ad suc-  
cessionem defuncti parentes, si sint supersti-  
tes; si minus, eorum liberi, h. e. defuncti fratres.  
Jure Civili. bilaterales fratres, eorumque liberi, si-  
mul cum parentibus succedunt.

n. 4.

**PARENTI SUPERIORIS GRADVS.)** h. e.  
avo. Jure Saxonico fratres non aliter admittuntur,  
quam si cujuscunque gradus parentes defecerint.  
Quamvis enim ea, quæ hic Grotius de ordine suc-  
cedendi tradit, rationem habeant, non tamen sunt  
Juris N. præceptivi; ut ipse §. 11. n. 1. monet.

§. XIII.

**NATV. EST MAXIMVS.)** Dicitur hoc jus pri-  
mogeniturae, quod vel maxime ad regnorum vali-  
ditatem facit.

**AVT FOEMINA.)** Deficientibus nempe ma-  
sculis. Sic filia natu major junioribus præferenda  
est.

§. XV.

## §. XV.

DESCENDUNT A PRIMO REGE.) Perinde ut in feudo regulariter illi tantum succedunt, qui a primo acquirente in linea recta descendunt.

## §. XVI.

NATURALES TANTVM.) Licet forte postea legitimati sint. Quam quæstionem hodie in Gallia acerrime agitari, constat.

## §. XIX.

ETIAM SINE BONIS.) Quo casu successor non tenetur ad æs alienum ab antecessore, non qua Rege, nec Regni intuitu, contra-ctum.

## §. XXI.

LONGOBARDICA ILLA.) Jus Feudale Longob. enim non nisi in subsidium a Germanis receptum est; quatenus jura & consuetudines domesticæ deficiunt, perinde ut Jus Civ. Rom.

## §. XXII. n. I.

LINEALIS.) Inde sic dicta, quod, ubi semel ad aliquam lineam successio devoluta sit, quamdiu in ea personæ regni capaces supersunt, non transeat ad aliam.

CONDITIONATA.) Spes debendi enim hic etiam ad heredes transit. Quod secus in legatis, sub conditione relictis.

## §. XXVII. n. F.

IN STATV NATVRALI.) Vbi Judiciis locus haud est; sed lites exortæ per arbitros, aut tandem bello definiendæ.

## §. XXVIII.

SVSPENDITVR.) Quia incertum, an masculus nasciturus sit, qui sorori præferendus.

## LIB. II. CAP. VIII.

De Acquisitionibus, quæ vulgo dicuntur Juris Gentium.

## §. I. n. 1.

**A**NTECEDAT.) Quo v. gr. occupatio referri debet.

MVLTARVM CIRCA NATIONVM.) Cujus generis Grotio est aluvionis jus.

## §. II.

NON MINVS COERCENT.) Superest tamen diversitatis ratio; quod nempe pisces in piscina, & animalia fera, vivario inclusa, revera apprehensa jam & occupata sint.

## §. III.

CREPVNDIA.) Item si quis feram fugientem cum probabili spe recuperandi persequatur.

## §. V.

CERTO RERVM STATV.) Dicuntur alia talia Juris N. tantum permissive & reductive esse; Qualia libero humani Legislatoris arbitrio subsunt.

## §. VII.

IN GERMANIA.) Non tamen in omnibus illius terris. Sic in Saxonia hodiernum Jus Rom. quod thesaurum in solo proprio citra magicas artes repertum inventori addicit, usum servatur.

## §. VIII.

## §. VIII.

NON AVFERAT. ) Quamvis effectum, & exercitium dominii tantisper impediatur.

## §. X. n. 2.

RETINERI POSSESSIO. ) Hæc possessio tamen ad alium a piscando repellendum non valet, nisi actus prohibitivus intervenerit; aut certe loci proprietas liquido ostendi possit.

## §. XII. n. 1.

ALIIS AGRIS. ) Quos arcifinios appellant.

## n. 2.

FIERI POSSE. ) Et factum hoc est Jure Rom. quod hodiernum in Saxonia, & alibi observari solet.

## §. XVII.

NIHIL POTEST AFFERRI. ) Utique hic nihil Jus N. definit; sed Jus Civile, quod partum sequi jubet ventrem suum, ratione non caret; si alimenta imprimis spectentur, quæ foetui, cum adhuc in utero esset, per matrem suppeditata sunt.

## §. XIX. n. 2.

REM COMMVNEM. ) Sed & hæc communio non ita Jure N. præcipitur, quin Lege Civili ad evitandas lites, ex communiione oriri solitas, dominium novæ speciei uni in solidum adjudicari queat.

## §. XXI.

ERRORES. ) Excusat tamen Jctos, atque ab errore liberat *Zieglerus. b. l.*

## §. XXVI.

JUS NASCI. ) Non tamen aliter, quam si le-

gem de exteris etiam loqui, evidenter appareat. Alias enim & regulariter Lex Civilis in solam civium utilitatem lata censeretur debet.

## LIB. II. CAP. IX.

### Quando imperia vel dominia desinant.

#### §. I.

**VOLUNTATE CESSANTE.**) Si modo de hoc ex signis sufficientibus externis constet.

**FIENT OCCUPANTIS.**) Nisi aliud Lex Civilis constituat. Hodie bona vacantia fisco deferuntur.

#### §. III. n. 1.

**ESSE IMMORTALES.**) Idem prædicari de omnibus Universitatibus & Collegiis potest. Quatenus nempe in eorum, qui deficiunt, locum semper alii succedunt, eademque semper jura manent.

#### §. IV.

**DE COLLEGIO.**) Hoc tamen etiam in uno membro conservari posse, cautum est in *L. 7. §. 2. ff. Quod cujusque Univ.*

#### §. VI.

**PERFECTA JURIS COMMUNITATE.)** Quasi summum Imperium supponit, quo amisso, civitas interit, & in provincie formam degenerat.

#### §. VII.

**NON DESINIT.)** Quia nempe sic solum territorium mutatur, salvo vinculo morali, quo populus coheret.

#### §. VIII.

## §. VIII. n. 3.

IN CONVENTIBVS.) V. gr. Si populus ille cum aliis civitatibus in unum systema coaluerit.

## §. XI. n. 4.

PECULIARI CORONATIONE.) Quæ vero inde a Caroli V. temporibus in usu esse desit; Quo ipso tamen nihil juris, quod in Italiam Imp. habet, amissum esse intelligitur.

INVESTITURAS TRIBVAT.) Imo vero talis Vicariatus nullo idoneo fundamento probari potest, atque adeo inter fabulas, perinde ac donatio Const. M. referri debet. Nihil juris in Regnum Italiae Pontifex habet, sed id totum penes Imp. R. G. refidet.

## §. XII.

DOMINII CONTINUATIONEM.) Non possessionis; hæc enim ipso jure non transit; quamvis & hoc Lege Civ. interdici posse, non dubitem.

## LIB. II. CAP. X.

De Obligatione, quæ ex dominio oritur.

## §. I. D. F.

NON EXTANTIBVS.) V. gr. Si res nostra, quam alter possidebat, perierit, jamque de fructuum perceptorum restitutione agatur.

## D. 2.

INDICARE.) Unde qui rem invenit, publice hoc significare debet; ut dominus sciat, apud quem  
illam



illam repetere debeat. Quodsi illam animo lucrandi occultet, furti crimine se obstringit.

n. 3.

NACTVS SIT.) Si modo ex postfacto resciscat, ad quem res pertineat. Inde est, quod secundum Jus Canonicum, quod mores hodierni sequuntur, quæcunque mala fides, etiam superveniens, usucapionem impediatur.

n. 4.

SINGVLARES CONTRACTVS.) V. gr. commodatum, depositum. Hinc non deponenti, sed domino, si concurrat, res deposita restitui debet. *L. 31. ff. Depos.*

HINC POTIVS.) Quia nempe fiscus in domini, cujus bona publicata sunt, locum successit.

§. II. n. 2.

PROVOCANTES.) Vnde vulgatum illud in omnium Jctorum ore est: Nemo cum alterius damno debet fieri locupletior.

lit. b.

UTILIS.) Talis dicitur, quæ non ex verbis, sed mente, atque sententia Legis oritur.

lit. c.

REPETERE.) Quod nempe donationes intervirum & uxorem Lege sint prohibitz, in *tit. ff. d. Don. int. vir. & ux.*

lit. f.

DEBITOR TENEBITVR.) Non creditor, quia non suo, sed debitoris nomine vendidit.

lit.

lit. g.

MIHI A TE REDDI.) Vnde conditio, quæ hoc casu competit, dicitur Juris Gentium; ejusque sedes est in famosa *L. 32. ff. de Reb. cred.*

§. III.

EX FACTO SVO.) i. e. delicto. Quare ad rei restitutionem præstandam non tantum perceptos, sed etiam percipiendos fructus restituit.

§. V.

CONSUMTORVM.) Aliud tamen constitutum est Jure Civili; quod hodie usus fori præsertim Saxonici sequitur.

§. VIII.

PLVRIS VENDIDERIT.) Ad quod consequendum datur domino actio in factum.

§. IX. n. 1.

REPETI.) Sed ad præstandam evictionem conveniendus est autor, a quo quis rem accepit.

n. 2.

NATURA INDVLGEAT.) Quocirca nihil attinet, contractum cum defuncto fingere, ubi actionem ipsa natura suppeditat.

§. XI.

IGNORATVR.) In Saxonia, si res sit inventa, nec dominus appareat, duæ partes fisco, tertia inventori cedit.

§. XII.

INTRODVCTVM EST.) Unde Jure Civili distinguitur, an utriusque, dantis et accipientis, tur-

turpitudine subsit; an vero solius accipientis; Priori casu repetitio cessat; Posteriori vero conditio quod turpem causam locum habet.

## LIB. II. CAP. XI.

### De Promissis.

#### §. I. n. 1.

**CONNANVS.)** De hujus sententia ex Instituto egi in *Sel. Obs. For. P. 2. O. 380.*

#### §. II.

**DE FUTURO.)** V. gr. si quis alteri dicat, se de ipso herede instituendo cogitare. Quam voluntatem si non habeat, sine vitio quodcumque mutare potest.

#### §. III.

**DETERMINAT.)** Ut tamen nullum jus in alterum conferat; neque cogi velit. V. gr. si quis dicat: Honorem tibi serio destinavi, & volo, ut mihi credas; ut tamen rursus coactioni & juri poscendi in altero locus haud sit.

#### §. IV. n. 1.

**PROMISSA FACIENDI.)** Inter quæ duo insignis differentia est, quam & Jus Civile inculcat, quod ad dandum obligatus rem præcise tradere teneatur, sed qui ad factum se obligavit, liberetur præstando id, quod interest.

#### §. V. n. 2.

**RESTITUTIONIS BENEFICIUM.)** Quando nempe pupillus, interveniente tutoris autoritate,

COR-

contraxit, & læsus est; Nam si absque tutore solus contrahat, plane non obligatur, sed respectu illius negotium nullum est.

§. VI. n. 2.

ITA SE NON HABEAT.) Hic vero error is ipse est, quem Juri substantialem vocant. Qualis est v. gr. in nuptiis contrahendis error circa qualitatem virginalem.

§. VII. n. 2.

OBLIGARI.) Eadem est Juris Civilis sententia ob rationem naturalem, quod coacta voluntas etiam voluntas sit. Obligatio tamen J. Civ. non est efficax, sed per exceptionem metus eliditur.

§. VIII. n. 3.

FUTURI MATRIMONII.) Talis promissio turpis atque illicita habenda, adeoque nullam obligationem parit.

§. IX.

CESSARE INCIPIT.) Imo vero ne peracto quidem crimine obligatio adest. Jure Civ. distingui solet, an res actu tradita, an tantum promissa sit. Priori casu actio denegatur. Posteriori casu, cum utriusque turpitudinis subit, repetitio cessat, & possidentis conditio melior habetur.

§. XI.

MODVM PROMITTENDI.) Legem tamen Civili certa signa determinari queunt, quibus voluntas nostra significari, & quibus non adhibitis, obligatio nulla oriri debeat.

§. XIII.

## §. XIII.

QUALITAS ACTIONVM.) Sic enim datur v. gr. actio institoria emti, locati. Incongrue igitur vulgo Dd. Actionem Institoriam & Exercitoriam vocant actiones adj. qual. auctas; cum potius sint ipsæ qual. adjectitiæ, quibus directæ & principales actiones augentur.

MALE.) Sed tamen licite; Est enim hæc materia J. N. indifferens. Non enim quid æquitati Nat. convenit, statim est Juris Natural. præceptivi.

## §. XIV.

REVOCARI VETAT.) Præsertim cum justam causam supponat, vel promissionem jam impleri coeptam.

## §. XVII. n. 1.

ALIVD IN TABELLARIO.) Inter hunc ergo, qui nudum instrumentum est, & procuratorem, qui ipse negotium tractat, magna differentia est.

## n. 2.

DETVR ACTIO.) Datur vero Jure Rom. si defunctus jam implere cœperit, contra heredes, ut, si idonei sint, nec personæ industria electa, perficiant.

## §. XVIII. n. 1.

JVS ROMANVM.) Quo invaluit regula, quod alteri per alterum nulla obligatio & actio acquiri regulariter possit; nisi ejus potestati subiectus sit, aut ejus speciatim interfit; qua vero neglecta mores Germanorum hodie simpliciter

Jus

Jus Nat. & Gent. sequuntur; de quo prolixè  
egi in *Sel. Obs. P. 1. O. 182.* ubi & hanc *Grotii* do-  
ctrinam fufius perfecutus fum.

§. XX.

EX METU.) Quo casu metus ex postfacto  
purgatus esse dicitur. Cætera, quæ *Grotius* in hoc  
§. tradit, etiam in foro civili servantur; ut non  
præcisè verbis fit opus, sed quævis per actum ex-  
ternam facta declaratio sufficiat.

§. XXII.

ID, QVOD INTEREST.) Ne in foro civili  
quidem; nisi dixerit, se effecturum.

LIB. II. CAP. XII.

De Contractibus.

§. II.

DOMINIUM TRANSFERTVR.) Seu illa do-  
natio, quæ incipit à datione; Illa enim, quæ  
à promissione incipit, actionem parit, & sic juris  
effectum post se relinquit.

COMMODATIO.) Nam & commodans te-  
netur commodatario ad indemnitàtem. Quo in-  
cursu actione commodati contraria in foro con-  
venitur.

CVJVS SPECIES.) Si nempe mandatum late  
sumas, & in sensu Juris N.; Quas enim, & in sen-  
su stricto acceptam, est contractus mere consen-  
sualis, depositum vero realis.

§. III. n. 2.

NOMINATOS.) Hi omnes actionem peculia-

F

rem

rem sui nominis pariunt; cum ex aduerso ex omnibus contractibus innominatis una & generalis actio præscriptis verbis nascatur; Idemque non aliter, quam vi *συναλλάγματος*, obligent.

§. III. n. 3.

SIMPLICIOR & ANTIQVIOR.) Qua ratione adducti Dd. quidam putant, in dubio permutationem, non emtionem, præsumendam esse. Ego contra existimo, præsumtionem pro contractu frequentiori & validiori capiendam esse.

§. VI.

PLERVMQVE MANDATVM.) Quandoque etiam negotiorum gestio; Si quis pro altero, non mandante, fidejubeat.

§. VII.

CONTRACTVVM.) Jure Civ. contractus dicitur conventio cum causa; seu habens vim ex se & sua natura, producendi actionem civilem.

§. IX. n. 3.

VITIA NOTA.) Vel etiam talia, quæ facile sciri possunt, & in oculos incurrunt. Unde eorum nomine nulla præstatur evictio.

§. XII. n. 2.

DIMIDIUM IVSTI PRETII.) Recte hoc restringit Grotius ad inæqualitatem, ex ipsa re venientem; Nam si dolus intervenerit, vel minima læsio, etiam in foro civili, attenditur.

§. XIII. n. 2.

ROMANIS LEGIBVS.) Secundum has invaluit regula: Quod is, qui solus utilitatem ex contractu

tractu sentit, omnem culpam, etiam levissimam, is vero, qui nullam utilitatem sentit, tantum latam, & denique is, qui æque, ac alter contrahens, commodum percipit, levem culpam præstare debeat.

## §. XIV. n. 2.

DILATA AUT ANTICIPATA.) Quo casu interusuri ratio haberi debet; quod quomodo computari debeat, docetur in *Sel. Obs. P. 1. O. 191.*

## §. XV. n. 1.

COMMENTA JURIS CIVILIS.) Quæ tamen nihil, rationi naturali contrarium, involvunt; cum & hæc materia Jure N. indifferens sit.

## n. 2.

DOMINII TRANSLATIONEM.) Idem constitutum est Jure Civili, per *L. 15. C. d. R. V.*

## §. XVIII.

DAMNO CONDUCTORIS.) Jure Civili tamen propter insignem sterilitatem, extrinsecus eventientem, merces vel tota, vel ejus pars, remittenda est.

## §. XIX.

DE SINGVLIS.) Hac doctrina defendi potest Advocatorum consuetudo, quando in uno, ut vocant, termino plures causas tractant; & a singulis clientibus sumtus factos in solidum repetunt.

## §. XX. n. 1.

USURÆ.) Hæ in effectu nihil aliud sunt, quam merces, pro usu pecuniæ, præstanda; adeo-



que, si moderatæ sit, nihil quicquam iniquitatis continent.

§. XXIII.

SCIVERIT.) Quod tamen hoc casu, sicut Lex in sponsionibus, limstandum puto, nisi quis scientiam suam alteri aperuerit, nec tamen apud eam fidem invenerit.

§. XXIV. n. 3.

SINE LVCRO.) Qualis societas leconia dicitur, & Jure Civ. quoque improbatur; omnis vero alia inæqualitas est licita, si partibus placuerit.

§. XXVI. n. 1.

PRO ÆQUALITATE.) Jure Civ. hoc limstandum, nisi læsio sit ultra dimidium.

## LIB. II. CAP. XIII.

### De Jurejurando.

§. II.

INSEPARABILIS.) Si modo omnia juramenti obligatorii requisita, quæ inferius recensentur, concurrant.

§. III. n. 2.

PVTAT INTELLIGI.) Generaliter hoc tenendum, ita juramentum a Deo accipi, quomodo quis scit, aut credit, ab eo, quicum agitur, intelligi.

§. IV. n. 1.

DOLO ELICITVM.) Pertinet huc regula, quod Jusjurandum sequatur naturam actus, cui  
acce-

accedit. Quæcunque igitur excludunt consensum, vim juramenti quoque impediunt.

## §. VI.

RE ILLICITA.) Non enim vinculum iniquitatis esse debet jusjurandum. Et qui tale præstat, & servat, bis peccare censendus est.

## §. X.

FORMA JURISJURANDI.) In foro civili tamen, quando solenne juramentum requiritur, non quævis formula pro sufficiente habetur, speciatimque verba illa, *So wahr mir Gott helffe!* præcise exiguntur.

## §. XII.

FALSOŒ DEOS.) Inde formula jurandi in eum sensam concipienda, quem juraturus de Numine Divino fovet.

## §. XIV.

DEO OBLIGETVR.) Imo vero obligari non videtur; quia tale juramentum nonnisi in alterius gratiam præstat; adversus quem si nulla obligatio oriatur, vis quoque nulla juramento inesse potest. Vnde nec relaxatio jurisjurandi, quæ tali casu peti solet, necessaria est.

## §. XVII.

HEREDEM.) Imo si vel maxime obligatio ad hunc transeat, non tamen, si contra faciat, perjurus fit; quia effectus hic personalissimus est, nec ultra jurantem extenditur.

## §. XX. n. 4.

IMPEDIMENTVM.) Huc referri potest v. gr.

F 3

jura-

juramentum minoris, quo contractus alias invalidus, vel per restitutionem rescindendus, convalescit. *Auth. Sacram. Puberum. C. Si adu. vendit.*

## §. XXII.

PRO JURE JURANDO VALERE.) Unde hodie quandoque personarum Illustrium verba: *Bey Fürstl. Gräfl. Ehren und Worten* vim juramenti in promissis habere, indeque negotia in foro civili dijudicari solent; sed, ubi in iudicio jusjurandum præstari debet, talis formula nunquam sufficit.

## LIB. II. CAP. XIV.

De Eorum, qui summum Imperium habent, promissis, & contractibus, & juramentis.

## §. I. n. 2.

EX JURE CIVILI.) Non tamen omnis, sine discrimine, restitutio; Illa enim, quæ non ob minorem aetatem, sed propter errorem, vel metum fit, originem suam ipsi Juri N. debet.

## §. II. n. 2.

LEGUM REGULAM.) Inde vulgatum illud; Quod Princeps, in pactis & contractibus, quos tanquam privatus init, privatorum quoque jure utatur.

## §. III.

DEO OBSTRINGI.) Hanc Grotii doctrinam nullo idoneo fundamento nitî, jam in superioribus ostentum.

## §. VI.

## §. VI. n. 2.

DECLARETVR JVS CREDITORIS.) Unde etiam Principes. & Reges videas saltem permittere, ut ab illis, quibuscum contraxerint, instituta in foro civili actione, conveniantur; non quod cogi velint, sed quod declarent, si jus creditoris & auctoris ad liquidum perducatur, velle se ultro incumbenti obligationi satisfacere.

## §. IX.

PECCAT.) Imo vero cum Leges mere Civiles ab arbitrio Imperantis pendeant, revocare illas, & mutare, nulla licet causa svadente, potest.

## §. X.

OBLIGATA.) Non quasi creditorum quisque jus reale in bonis defuncti haberet; sed eo cum effectu, ut ex illis heredes satisfacere creditoribus, & personalia quoque debita exsolvere, teneantur.

## §. XII. n. 1.

VTILITER GESTVS.) Quamvis etiam in hoc quasi contractu intentio sufficiat, licet forte eventus illi haud respondeat, nec aliqua utilitas superfit.

## §. XIV.

IN REM VERSO.) Hæc enim actio, ipsa Lege Nat. dictante, toties locum habet, quoties in alterius utilitatem res mea versa est; quod, ut supra dictum, iniquum sit, quenquam cum alterius damno locupletari.

## LIB. II. CAP. XV.

## De Foederibus ac sponſionibus.

§. I.

**CIRCA NEGOTIA PRIVATA.)** In his enim Reges & Principes Jure privatorum utuntur.

§. III. n. 1.

**PATRE PATRATO.)** Erat hic feccialium primus, qui omnium nomine loqui solebat.

§. III. n. 3. in fin.

**AD ID, QVOD INTEREST.)** Quod secundum conditionem ejus, cujus ratihabitionem quis promissit, an is solvendo sit, nec ne, estimari debet.

§. V. n. 2.

**JVRIS EST NATURÆ.)** Quamvis enim hoc citra foedus sponte homines facere debeant, quod Lex N. imperat; sæpe tamen ob eorum ad nocendum proclivitatem peculiari vinculo opus est. Eadem distinctio etiam in Legibus Civilibus occurrit.

§. XII.

**JAM OLIM INITVM.)** Quod tamen optato effectu caruit; Maximum impedimentum ab æmulatione, invidia, animorum distractione, natum.

§. XIII. n. 4.

**DOMINIVM TRANSTVLERIT.)** Cujus rei sedes est in *L. 15. C. d. R. V.* cujus summa est, quod inter plures emptores ille præferri debet, cui prius

prius res tradita. Vera autem legis ratio in hoc consistit, quod prior emptor contra secundum, qui rem possidet, nullam actionem habeat; sed tantum personalem adversus venditorem ad id, quod interest; nisi fortassis in dolo fuerit; tunc enim contra eum agi, & res ab eo repeti potest.

## LIB. II. CAP. XVI.

## De Interpretatione.

## §. I. n. i.

**RECTA INTERPRETATIO.**) Id enim quisque voluisse in vita humana censendus est, quod externa, quibus usus est, signa indicant.

## §. V.

**CIVILIBVS.**) Qui simul noctes includunt, adeoque 24. horarum sunt.

## §. VIII.

**IVISSE MOTAM.**) Vocatur hæc causa impulsiva, qua, ut & causa finali adæquata, in universum cessante, ipsa lex cessare intelligitur.

## §. X.

**FAVORABILIA.**) In his lata, in odiosis autem stricta interpretatio adhiberi debet.

## §. XI.

**EX JURE ROMANO.**) Juxta quod omnes contractus bilaterales sunt b. f. & omnes unilaterales stricti juris; exceptis, permutatione, contractu affirmatorio, & stipulatione de dote repetenda.

## §. XVI. n. 1.

PERSONALIBVS AC REALIBVS.) Dantur etiam pacta mixta, quæ partim personalia, partim realia sunt, scil. diverso respectu. *Vid. L. 57. ff. de Pact.*

## n. 4. in fin.

PERSONAM TANTVM.) Nempe quoad effectum perjurii, quippe qui personalissimus est, neque jurantis personam egreditur.

## §. XXI.

NON DESIDERATO.) Quod in primis a Principum Legatis observandum, ut nihil facile suo arbitrio agant; sed specialissimum mandatum semper, ubi fieri possit, expectent.

## §. XXVI. n. 1.

SI ADESSET, EXIMERET.) Quo sigillatim casus necessitatis referri debet, quæ nisi expresserit legislator, a lege sua exemisse regulariter censi debet. *Add. §. 27. n. 1.*

## §. XXIX. n. 1.

QVOD PERMITTIT.) Hinc quæ Jure N. tantum permissa sunt, recte per Legem Civilem vel præcipiuntur, vel prohibentur.

## §. XXX.

NI ALIVD CONVENERIT.) Qualis contractus in scriptis celebrari dicitur. *Vid. L. 17. C. de Fid. Instrum.*

## §. XXXI.

EX JURE ROMANO.) Quæ interpretandi ratio cum Limnæo, tum aliis Juris Publ. Doctoribus

bus usitata; sed inepto instituto; cum inter Principes, & Resp. liberas, inter se pacificantes, nulla sit Juris Rom. autoritas.

## §. XXXII.

NVLLVM JVS.) Hoc enim sine acceptatione non transit.

## LIB. II. CAP. XVII.

## De Damno per Injuriam dato.

## §. I. n. I.

LEGEM.) Seu potius æquitatem naturalem, Legge Civili confirmatam; quo etiam referendæ sunt obligationes, quas Jcti ex variis causarum figuris oriri dicunt.

CVLPRAM OMNEM.) Adeoque non latam solum & levem, sed & levissimam.

RESARCIAFVR.) Quo intuitu Jure Rom. actio L. Aquiliæ competit.

## §. II. n. I.

EXACTAM DILIGENTIAM.) Non tamen exactissimam; Vnde tutor levem quidem, non tamen levissimam, culpam præstat. Hinc notari meretur distinctio, quam & usus fori comprobatur, inter culpam in contractu, & extra contractum, admissam.

## D. 2.

MINVS PROPRIE.) Seu jure imperfectum, sine facultate cogendi.

## §. IV.



## §. IV.

AD FRUCTVS PERCIPIENDOS. ) Vnde impensas fructuum quilibet possessor, siue in bona siue mala fide sit, deducit.

## §. VI.

CONSENSVM. ) Sine quo, nempe alter damnatum daturus non fuerat.

## §. VII.

CONSILIVM. ) Præsertim si id non simplex, sed instructorium fuerit; quod in ipsam actum verum influxum præbuit. Add. §. X.

## §. XI.

IMPERIO. ) Ut pater, dominus.

IN SOLIDVM. ) Sine exceptione divisionis, quippe cui in maleficiis locus haud est. Vnius tamen præstatio reliquos liberat.

## §. XII.

EX ACTVS VI. ) Non vero de illis, quæ aliunde, & per accidens, euenerunt.

## §. XIII.

OCCISVS ALERE. ) Apud Saxones propter homicidium culposum Wergeldum præstatur; pro foemina decem, pro masculo 20. thaleri.

## §. XIV.

CICATRICIS. ) In foeminis tamen, propter imminutam nuptiarum spem, hujus etiam ratio habenda. Plane dolorum æstimatio hodie in utroque sexu attendi solet.

## §. XV.

EA PROMISSIONE. ) Quod fori usus ita obseruat,

servat, ut parentum dissentium in favorem vitiatæ feminæ tali casu non attendat.

## §. XVI.

JUDICIO INJUSTO.) Dicitur hoc casu Judex litem suam facere, & tenetur actione, quam in foro de Syndicatu appellant.

## §. XX. n. 2.

SINE CULPA SVA.) Modo talis plane non, neque in eligendo, neque in retinendo, malo ministro occurat.

## §. XXI.

EX JURE CIVILI.) Quo actio noxalis, & de pauperie, datur ad hoc, ut vel damnum resarcia-  
tur, vel servus aut animal noxæ dedatur.

## §. XXII.

PECUNIA.) Hinc ob injuriam illatam actio affirmatoria competit; quæ tamen in Saxonia novissima lege abrogata est.

## LIB. II. CAP. XVIII.

## De Legationum Jure.

## §. II. n. 2.

IMPARI FOEDERE.) Hinc & Principes Imperii, qui juxta recentiorum opinionem impari foedere Cæsari junguntur, jure legationis gaudent.

## §. IV. n. 2.

JUS NATURALE.) Secundum hoc legatus, ab hostibus missus, quamdiu nulla de par-  
cendo

cendo ipsi fides data, vel qui hostilia machinatur sine dubio coerceri & poenis subijci potest.

§. VIII. n. 1.

ABSTRAHENDI NON SVNT.) Male igitur Cromwellius, Regni Britanniarum usurpator egit, dum legati Lusitani fratrem, & comitem, propter homicidium commissum, per vim abstractum ultimo supplicio affecit.

§. IX.

OMNIS COACTIO.) Quid nostra ætate contra Russorum Imperatoris legatum, ad Annam Reginam missum, ob debita contracta, a Mercatoribus quibusdam Anglis perpetratum fuerit, nondum e memoria excidit.

## LIB. II. CAP. XIX.

### De Jure Sepulturæ.

§. I. n. 2.

**A**D DEOS REFEREBANT.) Unde loca, in quibus mortui sepelirentur, Diis inferis sacra erant, eoque, tanquam res religiosæ, commercio erant exempta.

§. III. n. 3.

CONFLARI AVT VENDI.) Non enim tantum in casu necessitatis, sed & pietatis, venditio rerum sacrarum licita habetur.

§. IV. n. 1.

INSIGNITER FACINOROSIS.) Horum sepultura quandoque ideo omittitur, ut eorum cadavera

davera diutius conspecta alios magis terreant, & sic finis poenæ hoc melius obtineatur.

§. V. n. 4.

PRÆSUMTAM VOLUNTATEM.) In hujusmodi facto, quod Deus prohibuit, contrariæ voluntatis præsumptio locum habere non videtur.

## LIB. II. CAP. XX.

### De Poenis.

§. II. n. 3.

EXPLETRICEM JUSTITIAM.) H. e. commutativam. Poenæ enim regulariter, sine personarum respectu, imponi debent; quamvis hujus quoque ratio, in æstimanda delictorum gravitate, haberi solet.

§. VII. n. 1.

FINIVM PRIMVM.) Qui tamen in poenis capitalibus cessat; nec nisi in reliquis locum habet.

§. IX. n. 6.

JVS PVNIENDI PLENVM.) Quo & Romani Jure veteri gaudebant; sed illis deinceps ademptum, nec nisi modica castigatio relicta.

§. X. n. 2.

PER EVANGELIVM.) Imo jam in veteri Testamento ad omnes homines pertinuit, & male ab interpretibus ad solos Judæos restrictum fuit.

§. XV.

PVBLICA POTESTATE.) Dicuntur Fiscales, seu

seu Advocati Fisci, qui ex officio accusare, & Judici indicia suppeditare tenentur.

## §. XVIII.

IN EXTERNAS INFLVNT.) Qua ratione etiam is poenam meretur, qui somnium contra Principem alteri narrat, si hoc ipso ad pravam facinus eundem stimulet.

## §. XXV.

A POENA LEGIS.) Observandum, quod hæc causæ sufficiant tantum in poenis lege humana definitis, non illis, quas ipse Deus determinavit; v. gr. in crimine homicidii.

## §. XXXII. n. 1.

TANTVNDEM NOCVMENTI.) Haberi inprimis ratio violatæ pacis, & tranquillitatis publicæ debet. Unde furum poena, propter crescens delictum, ad ultimum supplicium recte extensa est.

## §. XLV. n. 1.

RELIGIONEM VERAM.) Salvifica tamen esse nequit, nisi præcipuum in Christi Salvatoris merito fundamentum collocet.

## §. XLIX. n. 1.

INSINCERVM ALIQVID.) Quo plura Pontificiorum dogmata referri debent; speciem illud, quod cives a summa aliqua potestate Ecclesiastica, extra civitatem constituta, pendeant; unde multis turbis occasionem dari, experiendo discimus.

## LIB. II. CAP. XXI.

## De Poenarum Communicatione.

## §. I.

## §. I. n. 1.

**MALITIA NOTABILIOR.)** Jure Rom. tamen omne damnum, etiam levissima culpa datum, delicti nomine venit, & L. Aquilia vindicatur.

## §. II. n. 1.

**EX SERVI.)** Ne quidem actione de peculio; quippe quæ tantum ex contractu, non vero ex delicto servi competit.

## §. III. n. 1.

**DISSIMVLANDA.)** Non enim imperans obstrictus est, ut quævis subditorum delicta poenis civilibus coerceat; sed arbitrari prudenter debet, quæ puniri, & quæ dissimulari, e re civitatis suæ sit; nisi qua Lex Divina universalis aliter expresse disponit.

## §. IV. n. 1.

**ARBITRIO INTERPELLANTIS.)** Hujus rei illustre exemplum nostra ætate occurrit in Comite de N. N., qui ab Imperatore Josepho Suecorum Regi, propter sermones quosdam, contra ipsum in convivio, præsentem illius legato, Straletzenhemio, habitos, deditus, ejusdemque arbitrio permissus, sed ab hoc tandem dimissus fuit. Vid. *Campagnes de Charle XII. Roi de Suede, Tomo 3. p. 213. & p. 257.*

## §. V. n. 1.

**IMMÉRITO ODIO.)** V. gr. propter homicidium casuale. Vnde ad dolosum jus asyli non pertinet.

n. 5.

TRANSMITTI INVALVIT.) Ita, ut remissiones delinquentium non amplius, ut apud Romanos olim, necessitatis, sed liberæ voluntatis sint.

§. VI. n. 1.

DEFENDI SVPLICES.) Quæ defensio etiam in ipsa causæ cognitione haud negligenda; cum Judex pro innocentia rei ex officio laborare debeat.

§. VII. n. 2.

VICTI SVNT.) In delictis enim pluralitas vocatorum non attendenda; neque hinc in illis, qui non consenserunt, aliqua ad pœnam obligatio oriri potest.

§. X. n. 1.

PVTEVM APERVI.) Simile exemplum est, si quis molendinum in solo suo extruat, unde alter propter aquæ penuriam, vel alias in suo molendino damnum sentit. Hinc vulgatum illud: Qui jure suo utitur, nemini facit injuriam.

§. XI. n. 2.

OCCIDI NEMO POSSIT.) Hinc in causis criminalibus, ubi ad pœnam corporis afflictivam deveniri potest, non admittendus fidejussor, si copia fontis haberi possit. Secus est in casu impetrandi specialis salvi conductus; ubi tamen non nisi damnus pecuniarius in promissione est.

§. XIV. n. 4. in fin.

MORTIS SVPLICIO.) Imo & tormentis subjici. Neque enim calamitas matris ei, qui in ventre est, & nihil deliquit, nocere debet.

§. XVI.

## §. XVI.

AVFERRI IPSIS POSSE.) Quo & existimatio civilis pertinet, quæ perduellum liberis adimitur, iidemque infamia notantur.

## §. XIX.

IN BONIS.) Hinc actiones rei persecutoriæ, ex delictis oriundæ, contra heredes dantur; ut conditio furtiva; non autem mere pœnales.

## §. XX.

LITEM CONTESTATAM.) In litis contestatione enim novatio quædam legalis, & quasi contractus subest.

## LIB. II. CAP. XXII.

## De Causis Injustis.

## §. I. n. 1.

Aritias.) Causæ hæc svasoriæ plerumque latent, nec, nisi illis, qui ad interiora Principis consilia admittuntur, cognitæ sunt.

## §. V. n. 1.

MORALI MATERIA.) H. e. ea certitudo sufficit, quam vitæ civilis indoles permittit.

## §. IX.

INVENTIONIS TITULO.) Hoc solo videntur Hispani usi, cum, Duce Columbo, Indos subjugum mitterent.

## §. XII.

NATURALITER SERVOS.) H. e. natura stupidos;



pidos; Nam alias servitus, primavæ hominum conditioni adversa, Gentium Jure demum cœpit.

## §. XVI.

LEGES DIVINÆ ET HVMANÆ.) Possunt enim hæc jus, quod sua natura imperfectum est perfectum reddere; quod cum fit, remediis coercitivis locus est.

## LIB. II. CAP. XXIII.

## De Causis dubiis.

## §. II. n. 1.

ANIMI JUDICIUM.) Hinc eodem Pauli dicto utitur Pontifex in *c. ult. X. d. Præscr.* ubi cautum, quod ab omni præscriptione mala fides abesse debeat.

## n. 2.

ALTERUTRUM.) Hic tamen casus in malis moralibus evenire nequit; ubi ab utroque semper abstinendum.

## §. V. n. 1.

NOCENTEM ABSOLVERE.) Regula hæc Judicibus notanda, qui in causis, licet dubiis, nimium sæpe rigorem contra reos exercent.

## §. IX.

PER SORTEM.) Eadem media sapiendarum litium, colloquium, compromissum, fors etiam, in causis privatorum, utiliter adhibentur.

## §. XIII. n. 3.

SINE CVLPA SVA.) Hæc tamen ignorantia regu-

regulariter est vincibilis; eademque non attenditur, cum Leges sufficienter promulgari soleant.

n. 5.

JURIS EFFECTVS.) Talis enim sententia, si in rem judicatam transeat, pro veritate habetur, & possessio remediis certis defendi potest, quamvis nullo jure nitatur. Hinc diversitas inter possessorium & petitorium judicium.

## LIB. II. CAP. XXIV.

Monita de non temere etiam ex justis causis suscipiendo bello.

§. II. n. 3.

LEX EVANGELII.) Non potest hæc majorem dilectionem exigere, quam Decalogus jam requirit, ut quis amet proximum, tanquam se ipsum.

§. III. n. 2.

DISSIMULANDA.) Hoc eodem fundamento niti videtur dispositio, quæ habetur in *L. ult. C. Si quis Imp. maled.* ubi contumeliæ in Principem ad hoc referri jubentur, ut declaret, an eas puniri, an vero dissimulari, velit.

§. VII.

REPARATIONEM DAMNORVM.) Quam sponte facere debet Princeps; cujus tamen exempla rariora sunt, cum nullus Imperans facile videtur velit, levi de causa bellum suscepisse.

## LIB. II. CAP. XXV.

De Causis belli, pro aliis suscipiendi.

G 3

§. III.

§. III. n. 4.

**COGI POSSE.)** Ex pactis, quibus civitas co-  
luit, non videtur tanta illius in singulos cives  
potestas derivari posse, ut cogere queat innocen-  
tem, ad se directo perdendum. Add. *Ziegl. b.*

§. IV.

**BONI EXITVS.)** Supponendum tamen, quod  
id manifestum, & extra omne dubium positum  
sit. Nam alias in proclivi esset, quorumvis fœ-  
derum vim, effectumque, eludere.

§. VII. n. 2. in fin.

**SEMPITERNI.)** Propter peccatum mortale,  
in quo aggressor versatur; cum invasus contra in-  
statu gratiæ constitutus esse queat.

## LIB. II. CAP. XXVI

De Causis justis, ut bellum geratur  
ab his, qui sub alieno imperio  
sunt.

§. III. n. 1.

**CONSTAT IPSIS.)** Hic tamen casus raro eve-  
nit; nec miles id sibi arbitrium regulariter fu-  
mere debet, ut iudicium de eo ferat, bellum ju-  
ste susceptum sit, nec ne; cujus veræ causæ sa-  
pius latent, nec in publicum proferuntur.

§. IV. n. 4.

**ABSTINERE BELLO.)** Sic vero sæpissime ci-  
vitas in præsentissimum periculum conficeretur,  
si subditi prius de justitia belli convinci oportere-  
ret,

ret, quam arma sumere tenerentur. Satis civibus esse debet, quod ipsis de injustitia belli non constet.

n. 9.

COGNITA ESSE DEBERE.) Hoc non putato; cum carnifex sit merum & nudum instrumentum Superioris, eidemque nonnisi physicum actum præbet, cujus moralitas in illum unice redundat.

§. VI. n. 1. in fin.

EX JURE NATURÆ.) Quippe quod cuique sui defensionem non tantum permittit, sed & regulariter imperat; præsertim cum subditi nihil deliquerint; & sic puniri non mereantur.

### LIB. III. CAP. I.

Quantum in bello liceat; regulæ generales ex Jure Naturæ: Vbi & de doli, & mendacio.

§. II. n. 2.

NATURALITER MIHI JVS EST.) Non tantum in statu civili; in quo nemo sibi propria autoritate jus dicere potest. Vid. *l. ff. Quod met. caus. l. 7. C. Unde vi.*

§. III.

JVS NOVVM.) V. gr. quod actio ex delicto adversus heredes etiam continetur; propter notationem legalem, quæ in litis contestatione subest.

§. VII.

SED NON MALVM.) Bonus dolus igitur nihil

nihil aliud est, quam solertia, jure non prohibita  
qua damnum alteri inferitur.

§. X. n. 3.

OMNINO PATEFIAT.) Breviter; Quoties  
alter jus habet, animi nostri sensa cognoscendi  
toties mendacio uti haud licet; sed ubi tale jus  
deficit; simulatio atque dissimulatio a vitio & pec-  
cato abest.

§. XI. n. 1.

JUDICANDI LIBERTAS.) Quae in hoc con-  
sistit, ut eo sermone utar, ex quo alter de animi  
mei sententia vere judicare possit; quam utique,  
falsum dicendo, alteri adimere videor. Quod si  
alter hac libertate ex pravo affectu abutatur, sine  
dubio peccat, secus atque Ziegler. Annot. h. l.  
putat.

§. XIII. n. 1.

OBITER ID AUDIT.) Aliud igitur dicendum,  
si destinato consilio, & animo tertium decipiendi,  
falsum proferatur.

§. XIV. n. 1.

NON COMMITTI.) Plane hoc mendacium  
non esse, monet h. l. Zieglerus. Sed manifestum  
est, ludi vocabulo mendacii, quod indistincte vi-  
tiosum esse, idem contendit. Quid vero impe-  
dit, quo minus tam late illud accipiamus, ut, quo-  
ties aliud ore profertur, aliud corde premitur, eo  
nomine veniat?

§. XVII. n. 3.

INTELLIGI POSSE.) Sunt haec reservationes  
menta-

mentales, quæ a nonnullis frequenter usurpari solent; qui hinc omnem propemodum fidem jamdudum decoxerunt.

§. XXII.

INIQVVM NON ESSE.) Vix est, ut factum tale, quod subditum in pravo facinore confirmat, ab iniquitatis nota liberari possit. Add. *Ziegl. b.*

LIB. III. CAP. II.

Quomodo Jure Gentium bona subditorum pro debito imperantium obligentur: Vbi de repressaliis.

§. II. n. 1.

AVT CAPITI SVBSVNT.) Quicquid enim Imperans, qua talis, facit, id toti civitati recte imputatur. Quæ obligatio ex pactis, unde civitates extiterunt, consequitur.

§. IV.

JVS REPRESSALIARVM.) Hoc jus tum in genere, tum speciatim, quatenus inter Principes Imp. locum habeat, ex instituto in peculiari Dissertatione exposui; quæ extat *SeL. Obs. For. P. 3. Oris.*

§. VII. n. 4.

IPSO NATVRALI JURE.) Hoc enim cuius restitutionem damni, sua culpa dati, injungit.

LIB. III. CAP. III.

De Bello justo sive solenni Jure Gentium: Vbi de indictione.

## §. IV.

**PRO PARTE.)** Atqui vero Majestas nullam divisionem admittit; indeque falsum est, quod dicitur Resp. mixta.

## §. VII. n. 1.

**CONDICERE.)** Conditionis vocabulum notat in lato sensu omnem actionem personalem; sicut vindicatio pro omni actione reali sumitur.

## §. XIV.

**OPVS NON ERIT.)** Quod si tamen alter, qui Jus Gentium in legatis violavit, paratus sit ad satisfactionem præstandam, causa belli cessat.

## LIB. III. CAP. IV.

**De Jure interficiendi hostes in bello solenni, & alia vi in corpus.**

## §. II. n. 1.

**LAUDABILIOR.)** Si modo quis dono continentia instructus sit; alias coelibatus peccato non vacat.

## n. 2.

**SCORTARI LICET.)** Hinc & Jure Rom. concubinatus licitus habetur. Quo pertinet vulgata illa Juris regula: Non omne, quod licet, honestum est.

## §. VIII. n. 1.

**EJVS POPVLI HOMINIBVS.)** Tali enim casu Imperans totam civitatem representare intelligitur,

gitur, ut, quod ipse voluerit, aut fecerit, id tota civitas voluisse, aut fecisse, censei debeat.

§. XV. n. 1.

VENENO.) Non tamen hoc Juris Gentium universalis est; unde a multis populis negligitur.

§. XVIII. n. 2.

VBIVIS LICET.) Cum enim juxta Jus Gentium hosti in infinitum nocere liceat, etiam quocunque modo eundem e medio tollere regulariter fas est.

§. XIX. n. 1.

MELIVS ALII.) Cum stuprum sine peccato & vitio committi non possit, nec in bello illud licitum habendum erit.

## LIB. III. CAP. V.

### De rebus vastandis eripiendisq.

§. II. n. 1.

A FINE.) Quod nempe immediate sint Deo destinata; cum ex adverso res ecclesiasticæ non nisi mediate Deo inserviant.

§. III.

FAMILIÆ.) Dantur enim etiam sepulchra familiaria, atque hereditaria, quorum proprietas tamen ad totam ecclesiam pertinet.

## LIB. III. CAP. VI.

### De Jure acquirendi bello capta.

§. II.



§. II. n. 4. in fin.

**PRIMI POSSESSIONEM.)** Hinc acquisitio rerum hostilium species occupationis est; eoque ad modos acquirendi originarios refertur.

§. III. n. 2.

**VIGINTI QUATVOR.)** Quibus elapsis spes recuperandi decollasse intelligitur; perinde ut feras bestias in alterius territorium per tantum temporis spatium persequi licet.

§. X.

**ACTVS PRIVATOS.)** Intelligit per hos *Grotius* liberas excursiones, quæ a militibus, injussu Ducis, sed tamen illius permisso, fiunt.

§. XII. n. 1.

**EXTRA ILLVD.)** Distinctionem hanc *Zieglerus b. l.* in dubium revocat, quod bellum nullum sine publica autoritate geri possit. Enimvero aliud est bellum proprie dictum, aliud, in statu belli, excursiones libere susceptæ.

§. XIV. n. 1.

**DOMINIVM NANCISCITVR.)** Præsertim cum milites hodie operas pro mercede locent; ultra quam proinde nihil stricto jure ex iis, quæ capiunt, sibi vindicare queunt.

§. XXII. n. 1.

**ANTE EAM.)** Sic, ut alacriores fiant milites, sæpe ipsis universa præda promitti solet.

§. XXVI. n. 1. in fin.

**NIHIL OBSTAT.)** Qui enim rem in bello capit,

capit, in omne jus, quod hostis in illa habuit, succedit.

§. XXVII.

IN COMPENSATIONEM.) Hinc non plus capi aut retineri debet, quam pro quantitate debita; Quod excedit, alteri restituendum.

LIB. III. CAP. VII.

De Jure in captivos.

§. I. n. 1.

CONTRA NATVRAM.) Et libertas naturalis facultas dicitur, h. e. primo hominum status consentanea.

§. III. n. 1.

LEGE ROMANA.) Quæ prohibet, ultra modum servire in servum; adeo, ut dominus propterea ad vendendum servum cogi possit.

§. V. n. 1.

POST MORAM.) Nisi fides de parcendo data sit; quæ utique servanda.

§. VI. n. 2.

CIVILIA JVDÍCIA.) Intellige Romana; Nam Canonico & hodierno Jure semper b. f. requiritur. *C. ult. X. de Prescr.*

§. IX. n. 1.

MERITO SANE.) Sunt tamen, qui putant, subjectionem servilem non magis caritati Christianæ adversam esse, quam civilem illam, qua subditi imperantibus subiecti sunt; eoque optant, ut ser-

servitus in orbem Christianum revocetur. VIC  
*Beyer. Pos. ad Pand. t. de Stat. hominum.*

## LIB. III. CAP. VIII. De Imperio in victos.

§. I. n. 3.

**I**N PATRIMONIO.) De quibus nempe Rex  
 perinde, ut de aliis rebus, in patrimonio suo exi-  
 stentibus, libere disponit.

§. IV. n. 2. in fin.

**NON POSSIDET SIBI.)** Hinc differentia in-  
 ter verum possessorem, & nudum detentorem,  
 qui alieno nomine in possessione est.

## LIB. III. CAP. IX. De Postliminio.

§. II. n. 1.

**E**ASDEM SEQUUNTUR.) Hi enim eodem  
 nobiscum jure censentur; cum ex adverso  
 illi, qui amici, sed non earundem partium sunt, neu-  
 tri parti magis, quam alteri, favere debeant.

§. IV. n. 3.

**RETINERI ILLOS.)** Quæ tamen retentio  
 statum libertatis non tollit, utut effectus & exerci-  
 tium ejus quodammodo impediatur.

§. V.

**NISI VOLENTIS.)** Nam jus postliminii bene-  
 ficium est, quod invito non datur.

§. VI.

§. VI. n. 2. in fin.

CVM SVA CAUSA,) Res enim cum suo onere etiam in singularem successorem transit.

§. VIII.

POSTLIMINIO REVERTI.) Idque non ex sola ratione civili, ut vult *Ziegl. b.* Sed ex ratione naturali. Tales enim, qui ita deduntur, non prorsus abdicantur, sed sub tacita postliminiū conditione.

§. IX. n. 2.

NOVO CONSENSV.) Quo tamen opus haud est Jure Divino, secundum quod matrimonium sola captivitate non solvitur.

§. X. n. 3. in fin.

ACTIONE RESCISSORIA.) Vbi fingitur, finita licet usucapione, rem usucaptam haud esse, & sic dominium penes absentem mansisse.

§. XIII. n. 2.

SOLO ADHÆRET.) Hoc enim ejusdem juris est cum ipso solo, ejusdemque pars esse intelligitur.

§. XVI. in fin.

LIBENTER IMPENSURVS.) Quæ est exceptio a regula, juxta quam regulariter res vindicanti domino sine pretio restituenda est; salvo tamen possessori contra autorem suam regressu.

§. XIX. n. 1.

ITA ET POSTLIMINII.) Quocirca etiam fides *L. Corneliz*, quam Romani introduxerunt, hodie cessat.

LIB.

## LIB. III. CAP. X.

Monita de his, quæ fiunt in bello  
injusto.

## §. III.

**I**NTERFICIENDO.) Si homo occisus, impensa in curationem factæ refundi, & illis, quos occisus alere debuerat, alimenta præstari debent. Huc pertinet vulgatum illud: Non tollitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

## §. V. n. 2. in fin.

**AD ÆQUALITATEM REDVCERE.)** Intellege, secundum naturalem æquitatem. Nam in foro civili læsio, nisi sit ultra dimidium, si dolus absit, resarciri non debet.

## §. VI. n. 2. in fin.

**LOCVPLETIOR FACTVS.)** V. gr. si tem majori pretio, quam ipse emerit, rursus vendiderit. Quo intuitu etiam in foro civili actio in factum competit.

## LIB. III. CAP. XI.

## Temperamentum circa Jus interficiendi in bello iusto.

## §. II.

**N**ON ABEAT.) Putat abire *Ziegler. b. l. sed* citra rationem. Toties enim rerum defendendarum causa furem vel raptorem occidere nocet, quoties per Judicem res nostræ ab illo recuperari

perari nequeunt, quamvis vitæ nostræ discrimen ab illo haud imminet.

§. III. n. 1.

INFORTVNATORVM.) Qui nempe non ex proposito, seu scientes, & volentes, sed vel casu, vel per vim externam adæcti nocuerunt.

§. IV. n. 3.

PRÆSERTIM CAPITALEM.) Vnde in foro civili etiam nullum homicidium, nisi dolo admiffam, ultimo supplicio punitur.

§. X. n. 1.

GENTIVM OMNIVM.) Docent tamen hiftoria, evenisse quandoque, ut ministri etiam armati in aciem prodirent, & vel Ducum officio fungerentur.

§. XII.

PACEM AMAT.) Non ergo huc pertinere videntur illi opifices, qui arma fabricant, ad bellum instruendum necessaria. Vid. *Ziegl. b. l.*

§. XVII.

SORTITIO.) Quo & ritus decimationis pertinet, hodie inter milites passim usitatus; cui tamen citra summam iniquitatem locus esse nequit, nisi omnes deliquisse certum sit.

§. XIX.

VIRIVM OSTENTATIONEM.) Dissentit h. l. *Zieglerus*, sed citra rationem. Quamvis enim in bello hosti nocere liceat quovis modo, finis tamen legitimus, & justus esse debet; qualis non est sola virtutum ostentatio.

## LIB. III. CAP. XII.

## Temperamentum circa vastationem, &amp; similia.

§. I. n. 1.

**RES PERDITA IMPETITUR.**) *Obicit Zieglerus* h. l. quod nemo sibi jus dicere queat. Sed enimvero hæc ratio inter concives quidem valet, non vero inter eos, qui in statu naturali, ubi nullus Judex datur, vivunt.

§. VI. n. 1.

**NULLVM PERICVLVM.**) Secus ergo est, si forte justus metus adsit, ne hostis in talia ædificia se recipiat, indeque damna nobis inferat.

§. VIII. n. 1.

**MAGNVM TELVM.**) Sæpissime enim desperationem animos acuisse, eandemque victoriæ atque salutis occasionem fuisse, historiæ passim testantur.

## LIB. III. CAP. XIII.

## Temperamentum circa res captas.

§. I. n. 2.

**PACTIO CIVITATIS.**) Quatenus nempe civitates non aliter, quam intervenientibus pactis, extitisse, atque coaluisse, intelliguntur.

§. IV. n. 1. in fin.

**NIHIL FACIT.**) Quia debitor ad sacrum & peram usque excuti potest, nisi quod quibusdam perso-

personis beneficium competentiae Leges Civiles indulgent.

n. 3.

IN SVBSIDIVM. ) Igitur humanitas jubet, ut etiam hic beneficio ordinis, atque excussionis, locus sit; cum subditi debitores principales haud sint, sed pro alieno debito tantum obligati videantur.

## LIB. III. CAP. XIV.

### Temperamentum circa captos.

§. II. n. 1.

POENÆ SERVI. ) Talis servitus, quæ olim apud Romanos in usu fuit, hodie exolevit.

§. VI. n. 2.

ALIMENTA. ) Quæ proinde stricto jure non debentur, ubi servus operas præstare non valet; quamvis aliæ regulæ humanitatis jubeant.

n. 3.

NATURALITER INTELLIGITVR. ) Unde regula: Quoties subest obligatio naturalis perfecta, toties conditio indebiti cessat.

§. VII. n. 1.

OB ALIMENTA. ) Pertinent hæc, quæ de filio ingratulo in *L. 2. C. d. Patr. qui fil. distax.* habentur.

§. IX. n. 1.

IN VSV NON EST. ) Ut inter Christianos in partibus, apud quos capti in bello servi haud sunt.

H;

LIB.



## LIB. III. CAP. XV.

## Temperamentum circa acquisitionem imperii.

§. III. in fin.

**COMMVNIS PATRIA.**) Vnde forum quoque omnes olim Romæ sortiebantur; quia ibi quisque domicilium habere censebatur. Quod forum tamen hodie ab usu recessit.

§. IX.

**ALIQVID IMPERII.**) Sed quantum relinquere debeat, a victoris arbitrio dependet.

§. X.

**MINORES LEGES.**) Quas tamen victor, tanquam imperans, pro lubitu mutare possit.

§. XII. n. 1.

**CLEMENTER HABEANTVR.**) Loquitur hic *Grotius* non de eo, quid Juris Gentium, sed quid consilii sit, & facere expediat.

## LIB. III. CAP. XVI.

## Temperamentum circa ea, quæ Jure Gentium postliminio carent.

§. I. n. 1. in fin.

**NON PROBE.**) Id est, non secundum regulas justitiæ internæ, quamvis in judicio externo vincat.

§. III. n. 1.

**IN QVANTVM.**) Quod & in foro civili, arbitrio Judicis, attendi debet.

§. V.

## §. V.

LEGIBVS IPSORVM.) Quæ nempe de Usurpationibus, & præscriptionibus latæ sunt.

## LIB. III. CAP. XVII.

De his, qui in bello medio sunt.

## §. 1.

EXTRA BELLVM.) Si modo tales revera manent, nec jus, quod vocant, neutralitatis, ut sæpe fieri solet, hostem clanculum juvando, violant; alias enim jus nascitur, ipsos etiam hostium loco habendi.

## §. III. n. 1.

IMPROBAM CAUSAM.) Si modo hoc liquidum sit; Certe prudentiæ regulæ id sudent, ut, bello inter duos orto, tertius, qui medius est, regulariter se illorum causæ non immisceat, nec de justitia, vel injustitia belli judicet; alias facile fieri potest, ut cum detrimento civitatis suæ, alieno bello implicetur.

## LIB. III. CAP. XVIII.

De his, quæ in bello publico privatim fiunt.

## §. I. n. 2.

PRO NVLLIS.) Imo vero hoc non tantum ex Jure Gentium externo, sed & interno, & ipso Jure N. est; quod utique hosti in infinitum nocere permittit.

H ;

§. IV.

§. IV. in fin.

INDIGNVS.) Verissima est hæc *Grotii* Philosophia; quamvis illam communiter a militibus negligi, *Grotius* h. l. notet.

## LIB. III. CAP. XIX.

## De fide inter hostes.

§. I. n. 3

FIDEM DATAM.) Hæc cuivis homini, etiam hosti, & multo magis hæretico, servanda est; secus atque olim in Concilio Constantiensi Sigismundo Imper. ab inimicis Jo. Hussi persuasum fuit.

§. V. princ.

ET DEO.) Non tamen hæc peculiaris quædam obligatio est; sed quæ conjuncta cum illa, quæ in ordine ad hominem, cui juratum est, oritur.

§. IX.

SVBTILITATES.) Quæ tamen hodie in foro negliguntur; ubi alteri per alterum acquiri potest, licet ejus speciatim non interfit.

§. X.

STATVS MIXTOS.) Tales proprie non dantur, sed summum Imperium indivisibile esse, supra jam notavimus.

§. XIV.

PER MODVM CONDITIONIS.) Hæc regula in foro civili non valet; sed ibi quisque adversus alterum ad implendum negotium agere debet, non vero ob illius perfidiam a contractu regulariter resilire potest.

§. XVIII.

§. XVIII. n. 5. pr.

HOSTIBVS DATA.) Hi enim, quando de pactis, iisdem servandis, agitur, non ut hostes, sed ut alii homines spectantur, eodemque jure cum aliis fruuntur.

## LIB. III. CAP. XX.

De fide publica, qua bellum finitur: Vbi de pacis pactioe, de sorte, de certamine condicto, de arbitrio, deditioe, obsidibus, pignoribus.

§. III. n. 1.

NON LIBERO.) Præsertim si id, quod Rex captivus facit, non sponte, sed vi, metuque, adactus egerit.

§. VI.

COMPREHENSÆ EST.) Id quod ex formula, qua Imperium delatum, æstimari debet.

§. XII.

INTERDICTO.) Seu remedio recuperandæ possessionis; quale est interdictum: *Vnde vi.*

§. XV.

ACTIO NON SIT.) Solet tamen & hoc ut plurimum pacto, quo a bello disceditur, expresse inseri.

§. XXI.

CLAUDICANT.) Seu ubi unus tantum obligatur; quemadmodum etiam Jure Civili negotia unilateralis, paucis exceptis, stricti juris sunt.

H. 4.

§. XXX.

## §. XXX.

TEMPORIS SPATIUM.) Quod tamen latitudinem habet. Et in civitate tamdiu crimina puniri queunt, quamdiu illis præscriptum haud est, quod regulariter vicennio fieri solet.

## §. XXXVI.

ID ACTVM.) Ut nempe poena speciali, quæ adjecta est, soluta, pacis violatio condonari debeat.

## §. XL. n. 2.

ATROCITER LÆSIS.) Hic enim domino non aliter injuriarum actio competit, quam si apparet, læsionem servo in contumeliam domini illatam esse.

## §. XLIV. in fin.

ETIAM DOMINI.) Propter spem aperturæ feudi, quæ Domino directo citra ejus consensum adimi nequit. Imo nulla feudi alienatio, Domino haud consentiente, valet.

## §. XLVIII.

JVRIS CIVILIS.) Convenit tamen etiam Juri Naturæ, ut, qui possidet, interim, dum de proprietate litigatur, in possessione sua defendi debeat.

## §. LX.

NE LVITIO SIT.) Hinc præscriptio actionis pignoratitiæ non incipit, nisi a tempore soluti debiti.

## LIB. III. CAP. XXI.

De fide manente bello: Vbi de induciis, comæatu, captivorum redemptione.

## §. II.

§. II. in fin.

**NON PAX.** ) Manet enim status belli, & pax  
regulariter in perpetuum iniri solet.

§. IV. n. I.

**CIVILES DIES.** ) Qui coepti pro completis habentur. Vnde naturalis computatio temporis civili opponi solet.

§. XXI.

**PER MORTEM.** ) Idem effectus est formulæ: Solves, quando voles; Nam a vivo quidem exigi debitum non potest; sed tamen post mortem ejus ab herede.

§. XXVIII.

**SPECIALITER APPREHENDENT.** ) Neque enim hic dominium sine traditione acquiritur.

§. XXX.

**PRÆSCRIPTIS VERBIS.** ) Datur hæc actio ad implendum contractum innominatum, sed conditio causa data, causa non secuta, ad eum resolvendum, sive ex capite non secuti implementi, sive etiam Jure Rom. ex capite poenitentiz.

## LIB. III. CAP. XXII

## De Fide minorum potestatum in bello.

§. III. circa fin.

**NON HABERENT.** ) Neque enim talia pacta in passibus solum utilibus acceptari, in odiosis vero reprobari queunt; Sed omnia capita per

H §

modum

modum conditionis, ut cunctis satisfieri debeat, coherere intelliguntur.

§. IV. n. 1.

MANDATA ARCANA.) Mandatum enim plerumque verbis generalibus concipi, sed insuper instructio arcana dari solet; quam qui negligit, tenetur quidem præponenti, sed hunc tamen efficaciter obligat.

§. IX. n. 2.

SVB CONDITIONIBVS.) Has igitur is, pones quem summa potestas est, implere tenetur; cum alias deditio ipsa pro nulla haberi deberet.

§. XII.

LOCVPLETIOR.) Ob regulam Juris N. generalem; Quod nemo cum alterius damno locupletari debeat.

## LIB. III. CAP. XXIII.

### De Fide privata in bello.

§. II.

**P**RÆSTANDVM ERIT.) Imo non est præstandum; quia latro nullum jus me obligandi habet; ubi vero nulla obligatio oritur, ibi nec jusjurandum accedens vim aliquam habere potest.

§. III.

CIVILL.) Jus N. enim ad efficacem obligationem contrahendam nihil requirit, præter intellectum, & consensum; adeoque restitutionem in  
inte-

integrum, quam Prætor ex capite ætatis indulget, ignorat.

## §. XV.

**NON INJICERE.**) Aliud enim est conditio, aliud modus; neque hic obligationem remoratur, nec suspendit, quamvis agi ad modum implendum queat.

## LIB. III. CAP. XXIV.

## De Fide tacita.

## §. I.

**PRIVATIS.**) Tacitus enim consensus pro specie veri consensus habetur. Exemplum est in *L. 28. ff. Mandati.*

## §. V. in fin.

**PETITI COLLOQUII.**) Quo casu statim ad colloquium descendi, & interim hostilis intermitti solent; nisi probabilis suspicio fraudis appareat.

## §. VII.

**POENÆ.**) Vel potius vindictæ, ut recte *Zierglarus* h. l. notat.

## LIB. III. CAP. XXV.

Conclusio, cum monitis ad fidem, & pacem.

## §. I. n. 3.

**ID IPSVM FACERE.**) Quocirca Princeps sibi ab hujusmodi Ministris & Consiliariis cavebit, qui, dum



dum fidem fallere sudent, satis indicant, nec sibi  
cordi esse, fidem servare, quam Principi debent.


§. V. in fin.

**DESPERANTIVM AVDACIA.)** Est enim hæc  
validissimum quandoque telum, quod hosti, æquæ  
conditionibus propositis, eripi; plerumque expedit

§. VIII.

**REGENDOS HOMINES.)** Saluberrimum  
hoc monitum est, Principibus notandum, ut per-  
petuo cogitent, se populi causa, ut hujus salutem  
tueantur, atque defendant, in tam sublimi  
gradu a Deo collocatos esse.

**FINIS.**



AD  
SAM. PVFENDORFII  
LIBELLVM  
DE  
OFFICIO HOMINIS  
ET CIVIS.

## LIBER I.

## CAP. I.

## §. I.



BLIGATIONIS.) Hæc ad essentiam & rationem formalem officii pertinet; citra hæc enim, si quid agatur, non officium, sed actus liberi arbitrii erit. Unde sicut obligatio vel perfecta est, vel imperfecta, prout illi in persona creditoris jus agendi respondet, vel non, ita & officium easdem duas species agnoscit.

## §. II.

VOLUNTATE.) Nullo respectu habito ad bonum vel malum, cum & actio humana indifferentem esse possit; hinc errant, qui illam ita definiunt ut dicant, actionem humanam esse actionem hominis ad bonum vel malum morale; Ultima enim hæc verba in definitione abundant, eandemque nimis restringunt.

## §. III.

MODO VNIFORMI.) Qualis in brutis cernitur, quæ mero instinctu naturali impelluntur, & hinc, positis omnibus ad agendum requisitis, non possunt non agere, cum ex adverso homo agere & non agere, agere hoc, & aliud, agere hoc & illud modo possit, quam Scholastici libertatem contradictionis, contrarietatis, & modi appellant.

§. IV.

§. IV.

**INTELLECTVS.**) Hic enim, velut complexum aliquod, per duas alias facultates sese exercit; una est apprehensiva, quæ magis naturalis, quam libere videtur; altera dijudicativa, circa quam non parum industria humana valet.

**MATURA ÆTATE.**) Quæ pro subjectorum varietate generali aliqua regula definiri nequit; Unde & pubertas naturaliter non ex solis annis, sed vel maxime ex capacitate doli, quæ in aliis maturius, in aliis tardius adest, æstimanda venit.

**COMPREHENDERE.**) Intellige, proprio Marte, ac citra prævia aliorum institutionem, eoque sensu Jus Naturæ homini connatum dicitur; nempe non in actu secundo, ut loquantur, sed quoad potentiam proximam, saltem generalia illius principia cognoscendi, quamprimum intellectus sese in homine exercere cœperit.

**FORI HUMANI.**) In hoc tamen pro delicto proprie non habetur, nisi quod a sciente ac volente contra Legem fit; in foro autem Divino potest aliquid peccati vicem habere, quod non ex peculiari destinatione animi in quolibet subjecto procedit; quo peccatum, quod vocatur originis, referendum erit.

§. V.

**CONSCIENCIA.**) Hæc in genere nihil aliud est, quam iudicium intellectus de bonitate vel malitia actionis.

PRO.

PROBABILIS.) In qua innititur Scholasticorum probabilissimus moralis.

## §. VI.

DVBIA.) Datur etiam conscientia scrupulosa, quam auctor h. l. prætermisit, quando nempe intellectus judicat quidem actionem suscipiendam aut omittendam esse, verum ita, ut judicium illius non satis firmum & constans, sed cum aliqua fluctuatione conjunctum sit.

SUSPENDENDA.) Quæ regula extra spheram disciplinæ moralis non semper valet; in rebus indifferentibus enim prudentia sæpe & vitæ communis ratio, ac periculum, quod in mors subest alterutram partem, dubiis licet nondum penitus discussis, amplecti jubent, eandemque eadem animi firmitate persequi, ac si nihil circa illam dubium occurrisset.

## §. VII.

ERRORE.) Hic in falsa animi persuasionem consistit, adeoque differt ab ignorantia, quippe quæ simplicem cognitionis absentiam notat. De conscientia erronea duæ regulæ notandæ sunt. Prior est: Si conscientia in errore versetur, circa rem malam, peccat homo, sive secundum, sive contra conscientiam agat. Posterior hæc est: Si conscientia in errore versetur circa rem indifferentem, peccat homo, si contra, non, si secundum conscientiam agat.

COMMVNIA PRÆCEPTA.) Error circa hæc admissus, vocatur error Juris, & regulariter nocet, qui

qui vero circa singularia negotia committitur, dicitur error facti, qui semper excusat; cum facta etiam prudentissimos fallere queant.

§. VIII.

**IN CVLPA SIT.**) Dicitur alias hæc ignorantia invincibilis in se, sed non in sua causa; altera vero ignorantiae species est invincibilis in se, & in sua causa simul.

§. IX.

**VOLVNTAS.**) Definiri hæc potest, quod sit altera animæ rationalis facultas, per quam homines, quæ cognita sunt ab intellectu, appetit, vel averfatur, atque ad agendum inferiores facultates excitat.

**SPONTE.**) Spontaneitas voluntatis per actus duplices, elicitos, & imperatos, sese exerit; quoad hos voluntas cogi potest, non quoad illos.

**FINIS.**) Actus voluntatis circa finem occupati sunt volitio, intentio, & fruitio; illi vero, qui circa media versantur, sunt consensus, electio, & usus.

§. X.

**IN FORO HVMANO.**) Nam in foro Divino etiam illi motus interni homini imputari queunt, qui citra voluntatis assensum in eo suboriuntur, & ex peccato originis sunt.

§. XI.

**BONVM IN GENERE.**) Intellige bonum naturale, non morale, nec metaphysicum; bonum  
I  
vero

vero naturale dicitur, quicquid homo sibi congruere putat.

## §. XII.

INGENII DISPOSITIO.) Quam præceteris ex instituto, & eleganter descripsit *Barclajus in icon. animor.* Add. *Charron de la Sagesse Lib. 1. cap. 42.*

## §. XIII.

REPETITIO.) Si hujusmodi actus lege sicut præcepti, vel prohibiti, habitus iis respondentem virtutum vitiorumque nomine veniunt, de quibus ethicorum vulgus.

## §. XIV.

PLVS FAVORIS.) Vnde si quis forte, moderamine inculpatæ tutelæ non satis servato, in violenta sui defensione excedat, talis excessus mitius, & tantum extra ordinem punitur; imo in eo, qui deprehensus in adulterio occidit, homicidium plane impunitum relinquitur. Vid. *L. 24. ff. ad L. Jul. d. adulteriis.*

## §. XV.

ODIVM POTIVS.) Regulariter tamen poena delictorum ordinariâ, ob extremam ebrietatem, in foro civili cessat, nec nisi arbitraria in ejus locum substitui solet; nisi aliud forte lege expressè constitutum sit; quo *Mandatum Elect. Sax. de duell.* pertinet.

## §. XVI.

COMMVNE.) Quo referendum est vulgatum

DE OFFICIO HOMINIS ET CIVIS. 85

nam illud, quando coacta voluntas etiam voluntas esse dicitur.

PLANE NON.) V. g. Si quis violentum sui iniuriam, omnibus inculpatae tutelae requisitis attentis, interfecerit, est haec actio mixta, quae plane homini non imputatur.

NON ITA GRAVITER.) V. g. Si filius a patre, aut servus a domino coactus, injuriam alicui fecerit; sic & contractus, metu iniiti, non obligant in foro civili, quamvis per subtilitatem Juris Rom. sustineantur; Praetor tamen eosdem, data restitutione in integram rescindit. Vid. *t. r. ff. Quod met. caus. g. est.*

§. XVII.

IMPVTARI.) Imputatio haec nihil aliud est, quam relatio actionis ad alterum, tanquam auctorem, ut inde vel laudem, & praemium, vel vituperium, & poenam, mereatur.

§. XVIII.

AB ALIO.) V. g. uxore, filio, seruo, alumno, discipulo.

OMISIT.) Sic excessus, v. g. a militibus committi, eorum praefectis non aliter imputantur, quam quatenus, debita disciplina neglecta, causam occasionemque dederunt.

ANIMALIA.) Hoc fundamento fere nititur actio de pauperie; item de pastu, quam propter damnum, ab alieno animali vel contra, vel secundum naturam datum, Leges Civiles suggerunt. Vid. *Th. Inst. Si quadrup. pauper. fec. dic.*



RERVM NATVRALIVM.) Sic sterilitas agrorum colono imputatur, si negligentia ejus provenerit.

## §. XIX.

SVPPLEVIT.) Sic ergo ignavo recte imputatur ingenii stupiditas, qui in eo excolendo industriam omisit.

## §. XX.

IMPVTARI NON POSSVNT.) Præsertim, si ignorantia non mere concomitans, sed efficax sit, & hinc influxum in actionem præbeat.

## §. XXI.

CIRCA LEGES.) Quæcunque illæ sint, sive naturales, sive positivæ; in foro tamen civili quandoque jus, præsertim subtilius, quibusdam personis impune ignorare licet.

## §. XXII.

OCCASIO.) Hinc v. g. Jurisdictio per non usum haud amittitur, si occasio exercendi illam defuerit.

## §. XXIII.

IMPOSSIBILIVM.) Intelligentur physice tantum; nam moraliter impossibilia dicuntur omnia, quæ legibus sunt interdicta.

SVA CVLPA.) Exemplum est in malitioso decoctore, cui recte imputatur, quod creditoribus non satisfaciat, quippe qui media solvendi dolo & culpa sua consumpsit.

## §. XXIV.

APPLICAT.) Ut si quis ex edito loco forte, citra culpam suam, ab aliquo præcipitatus, præter euntem

quantem afflixerit, non hoc ipsi, sed deicienti, imputati debet.

**GLADIO AVT SECVRI.)** Quocirca supponendum est, nudam executionem actus per vim extortam esse, ut si Princeps satelliti necessitatem imponat, infontem occidendi; huc ergo non recte refertur exemplum, si quis matri stuprum inferre jubeatur, quod adducit Autor in *Tr. d. J. N. & G. L. l. c. 5. §. 9.*

§. XXV.

**INFANTVM.)** Secus dicendum est de illis, in quibus vis intellectus quam quodammodo sese exercere incipit, utputa in infantia vel pubertati proxima; quamvis & hi propter infirmitatem consilii, & ætatis, mitius, quam alii, puniri soleant.

**FVRIOSORVM.)** Nisi forte furor dilucidis intervallis distingatur, iisdemque durantibus, actio patrata sit.

§. XXVI.

**RARISSIME.)** Aliquando tamen, v. g. si quis somnium contra Principem forte turbulentis hominibus, & ad seditionem pronis, referat, eosdemque hoc ipso ad tumultum disponat; quod capitale esse potest.

§. XXVII.

**MANDANT.)** Sic ergo, qui mandat, injuriam alicui fieri, æque puniendus, ac is, qui injuriam intulit; sic in crimine assassinii, ubi quis cædem alterius mandavit, & patratorem mercede conduxit, uterque assassinus, & assassinator, capite pœnantur.

## CAP. II.

## §. I.

**NECESSARIUM.**) Igitur facile responderi potest ad quaestionem: An Deus hominem ex legem creare potuerit? Cum enim Deus creare vellet hominem, h. e. animal rationale, & sociale, necessario etiam debebat ea praecipere, sine quibus socialitas salva stare non potest, & ea prohibere, quae naturae hominis rationalis & socialis disconveniunt.

## §. II.

**SVPERIOR.**) Intellige respectu juris, & potestatis; nam alia superioritas, forte ratione dignitatis, ad legem, alteri praescribendam, haud sufficit; ceterum ex definitione hac facile colligi potest, in quo lex a consilio, & pacto, differat.

## §. III.

**VINCVLVM JVRIS.**) Cum hac definitione convenit illa Justiniani in *princ. Inst. d. Oblig.* nisi quod verba ultima: *Secundum nostrae civitatis jura*, in hypothesis Remp. Romanam respiciant.

## §. IV.

**VNIFORMEM.**) Unde sequitur, in bruta nulum Jus, ne quidem naturale, cadere, adeoque nec proprie illa puniri posse; quia ad uniformem agendi modum ex intrinseca necessitate sunt adstricta, & quicquid agunt, ex mero naturali instinctu agunt.

**SVPERIOREM.**) Hinc duo colliguntur, 1. quod non detur Jus Gentium proprie tale; quia Gentes pares sunt, & superiorem non habent; 2. quo

quod ipse Legislator sua lege nunquam obligetur, quia se ipso superior non est.

§. V.

RATIONES.) Observandum, quod imperiū summi atque civilis causa vera nonnisi unica sit, altronea scilicet subjectio, quæ ex pacto est; reliquæ rationes, h. t. adductæ, nempe merita insignia, benevola erga alterum voluntas, naturæ eminentia, & actualis imperii vindicatio ad hoc non sufficiunt; causa tamen subalterni imperii, v. g. patris in filium, repeti inde potest.

§. VI.

AVT ILLIS.) Quæ dicitur interpretatio doctrinalis, estque vel declarativa, vel extensiva, vel restrictiva; illa, quæ ab ipso Legislatore fit, authentica vocatur. Datur etiã aliud interpretandi genus, per usum, seu consuetudinem, quæ hinc optima Legum interpretes audit. Sed, recte rem æstimando, sola doctrinalis est vera, & proprie dicta interpretatio; a qua ubi Authentica, vel usualis, recedit, nova lex inde existit.

§. VII.

PERFECTÆ.) Imperfecta Lex vocatur, quæ præscribit, quid faciendum vel omittendum sit, sed sine adjecta in transgressorem poena; qualis Lex Cincia fuisse dicitur; in cujus fine hæc clausula habebatur: *Qui secus fecerit, improbe fecisse videbitur.* Vid. Autor in *Tr. d. J. N. & G. L. 1. §. 6. §. 14.*

ALTERA.) Pars hæc Legis speciatim sanctio appellatur.

## §. VIII.

**UTILITATEM.)** Inde est, quod plerique imperantes præmittere Legibus rationes soleant, quibus easdem ab utilitate commendent.

## §. IX.

**DISPENSARE.)** Dispensatio talis vulgo privilegium dicitur; de quo, ejusdemque divisionibus, pleni Jctorum libri sunt. Atque illa in primis notari meretur regula, quod privilegia in dubio laxam interpretationem recipiant, quoties de præjudicio concedentis agitur; strictissimam vero tunc, quando tertii præjudicium subest.

## §. X.

**ÆQVITAS.)** Hæc sumitur vel absolute, quatenus æquipollet justitiæ, quo sensu omnis Lex justa simul æqua esse dicitur; vel respective, & in speciali significato, uti h. l. ubi denotat dextram Legis interpretationem, quando ostenditur, Legislatorem sub Lege, generaliter lata, hunc vel illum casum comprehendere haud voluisse; ita sub Lege generali, neminem occides, haud continetur casus violentæ sui defensionis, quæ fit, servato moderate inculpatæ tutelæ.

## §. XI.

**PERMISSÆ.)** Unde tales actiones plane ad Jus proprie non pertinent; eoque Jus permissivum non nisi Jus improprie appellatur.

**CVM LEGE CONGRVAT.)** Nulla enim actio per se & intrinsece bona est, sed omnia moralitas a Lege dependet.

## §. XII.

§. XII.

CONSTANS ET PERPETVA.) Nempe ratione intentionis, & propositi; quamvis forte eventus illi non semper respondeat.

§. XIII.

DIFFERAT.) Vnde dici potest, quod omnis actio, in hoc sensu stricto justa, sit etiam bona, sed non vice versa.

§. XIV.

VNIVERSALEM.) Vulgo hæc cum Aristotele dicitur complexus omnium virtutum; particularis autem, quæ de bonis externis suum cuique tribuit.

DISTRIBVTIVAM.) Hæc proportionem geometricam, seu respectivam; commutativa vero arithmeticam, seu simplicem attendit.

§. XV.

EX HVMANITATE.) Non ergo injuria est, si quis vel ingratus sit, vel pauperi stipem denegat.

CVLPA.) Quo intuitu Romani actionem Legis Aquiliæ dederunt, ad damnum, quavis culpa illatum, resarciendum.

§. XVI.

ALIA POSITIVA.) Positiva rursus est vel universalis, vel particularis; illa est vel moralis, vel voluntaria, seu universalis, in specie sic dicta; hæc, particularis scilicet, est vel ceremonialis, vel forensis.

## CAP. III.

## §. I.

**NATVRAM.**) Inde enim Jus Nat. dicitur, quod ex ipsa hominis natura fluat, & per naturam homini innotescat.

## §. II.

**COMMVNE.**) Ex quo tamen minus recte inferitur, Jus Nat. etiam homini cum brutis commune esse; nam a communione actuum ad communionem Juris consecutio haud valet.

## §. III.

**ALIVD ANIMAL.**) Bellua enim in lucem edita non multum temporis exigit, ut carere alieno auxilio, sibi que proprio Marte de victu prospicere queat.

## §. IV.

**AFFECTVS.**) Hi enim proprie dicti, animam rationalem supponunt, adeoque in bruta haud cadunt.

## §. V.

**GRAVISSIMVM.**) Cum enim mors destructionem naturæ inferat, omne animal a nulla re magis, quam ab illa, abhorret.

## §. VI.

**VNVS ET IDEM.**) Quæ infinita appetitus in singulis prope hominibus varietas imprimis in diuersa eorum ætate cernitur.

## §. VII.

**SOCIABILIS.**) Quia nempe talem hominaturam

turam nactus est, ut citra socialitatem conservari non possit. Socialitas vero describitur, quod sit ejusmodi dispositio, & proclivitas erga alios homines, qua ipsis benevolentia, pace, & charitate, mutuaque adeo obligatione, conjunctus intelligitur.

*Ant. d. 7. N. & G. L. 2. c. 3. §. 15.*

## §. IX.

FUNDAMENTALEM LEGEM.) Vocatur aliis principium Juris Nat. scil. cognoscendi; circa quod investigandum variaz ac inter se dissentientes hypotheses sunt. Præcipuz illarum hæ recensentur: 1) Septem præcepta Noachica, 2) Rectitudo, 3) Voluntas Divina, 4) Status integritatis, 5) Omnium in omnes bellum, 6) Naturalis omnium erga omnes benevolentia, 7) Intrinseca actuum bonitas & malitia, 8) Consensus morationum Gentium, 9) Amor DEI & proximi, quarum plerasque examinavi in *Elementis Juris Nat. & Gent. Cap. 5. §. 7. seqq.* Requisita hujusmodi principii sunt, ut 1) sit evidens, 2) Ex solo lumine nature innotescat, 3) Sit adæquatum seu omnibus Juris Nat. præceptis & prohibitionibus respondeat, ac suo ambitu includat.

CIVILIBET HOMINI.) Obscurior paulo hæc regula est, & suis difficultatibus premitur; clarius proposui in *cit. element. §. 17.* ubi duas propositiones fundamentales formavi, quarum una omnia Juris Nat. præcepta, altera omnes prohibitiones complectitur. Prior est: Quicquid habet necessarium nexum cum natura hominis rationa-



li & sociali, h. e. quicquid ita est comparatum, ut si illud ab omnibus hominibus omitteretur, societas humana stare non posset, illud Jure Natur. præceptum est; Posterior hæc est: Quicquid involvit necessitatem disconvenientiam cum natura hominis rationali & sociali, h. e. quicquid est ita comparatum, ut si ab omnibus hominibus fieret, humana societas destrueretur, illud Jure Nat. prohibitum est.

## §. X.

DEVM ESSE.) Vnde absurdum est, quod sic *Grotius d. J. Bell. & Pac. in Proleg. §. 11.* Juris Nat. præcepta locum habitura, licet detur, quod sine summo scelere dari non possit, non esse Deum.

## §. XI.

ITA DEMONSTRATUR.) Demonstratio hæc breviter huc redit: Creavit Deus hominem, non ut periret, sed ut servaretur, ergo etiam necessario simul per ipsam naturam ea facere jussit, sine quibus servari homo nequit, & illa omittere, quæ destructionem generis humani inferunt.

DIVERSA.) Nam statum quendam integritatis fuisse, ratio sibi relicta ignorat. Sed is demum ex verbo Dei revelato patescit.

## §. XII.

SACRIS LITERIS.) Præsertim *ad Rom. 1.* quo intuitu gentiles ἀναπολόγητοι seu inexcusabiles dicuntur.

## §. XIII.

§. XIII.

**HUIUS VITAE.)** Post hanc enim aliam vitam expectandam esse, ad quam religio naturalis perducere debeat, nullo apodictico argumento, ex sola ratione petito, constat; utut argumenta probabilia non desint.

CAP. IV.

§. I.

**THEORETICIS.)** Si nempe propositiones formaliter considerentur; nam virtualiter omnes sunt practicae.

§. II.

**IN PRIMO ALIQUO.)** Propter absurditatem progressus in infinitum. Qua enim via analysis seu resolutio corporum retrorsum it, eadem via synthesis sive compositio & productio eorum antrosum procedit; si ergo causa prima ab effectu infinite abesset, hic nondum, & nec unquam, existere posset.

§. III.

**SVMMA.)** Dicitur alias a Scholasticis natura naturans; sicuti mundus ab illis natura naturata appellatur.

§. IV.

\* **ORDINE.)** Atque adeo ex bonitate & sapientia Dei; cum enim quilibet opifex naturali charitate & cura in suam opus feratur, Summus rerum Effector, Deus, non potest creaturas admirabili artificio productas negligere.

§. V.

## §. V.

ATTRIBVTVM.) *Attributa Divina dicuntur perfectiones, quæ secundum nostrum concipiendi modum ex essentia Dei fluunt, realiter autem ab ea non differunt.*

## §. VI.

HONORE.) *Nulla hic fit mentio fidei salvificæ; quippe quam religio naturalis ignorat.*

## §. VII.

JVRET.) *Præstitum tamen etiam per Deum, quem quis pro vero Numine colit, iuramentum non minus obligat, ac illud, quod per verum Deum præstitum est; qui enim hoc casu pejerat, quantum in se est, etiam verum Numen contempnit; utpote cujus conceptum generalem ante oculos habuit.*

## §. VIII.

CVLPAM HVMANAM.) *Scilicet peccatum originis.*

## §. IX.

LIBERTATE NATVRALL) *Vbi nempe omnes homines æquales sunt, nec alter alteri subiectus. Opponitur statui civili, qui est inter imperantes, & parentes.*

ACTA ET PROBATA.) *Ab his si dicentur iudicis conscientia, integrum ipsi est, semoto tantisper iudicandi munere, testis vice in causa defungi.*

CAP. V.

§. I.

**A**MOR SVI.) Hic officiorum, quæ homo sibi ipsi debet, principium secundarium absolvit. Primarius enim illorum fons est custodia societatis humanæ; unde si quis forte insuper habito amore sui, v. g. violentas manus sibi inferat, nihilocius graviter peccare intelligitur.

§. II.

**HONESTI SENSU.)** Hic si adsit, facillime homo in reliqua officia, sibi incumbentia, fertur. Sin vero desit, vix aliter illa exercere solet, quam quatenus rationibus utilitatis congruant.

§. III.

**INTER SENTENTIAS.)** Recte harum mentio h. l. fit; cum vel imprimis ad officium hominis erga se ipsum pertineant; quamvis hoc institutum a quibusdam improbetur; atque adeo, quæ hic sequuntur, in quibusdam editionibus prætermissa sint.

§. IV.

**SE IPSVM.)** In hac sui cognitione adeo gentiles maximam humanæ sapientiæ partem posuerunt,

runt, ut verba: *γνώσι σαυτὸν*, Delphico tempore aureis literis inscriberent.

**INTELLECTVS.)** Hujus vitia imprimis sunt ignorantia, error, præjudicia, quæ maxime vitari oportet.

§. V.

**ERECTORIS.)** Hinc vulgatum illud: Qui gloriam contemnit, virtutem quoque contemnit; quamvis satius sit, per se hanc sectari, non laudis captandæ gratia.

§. VI.

**AFFECTVS.)** Huc in genere omnes passiones animi pertinent, quas regere homo, in easque imperium certo respectu acquirere potest. Nam absolute in eas dominari, supra infirmitatem humanæ naturæ est; quamvis id fieri posse, quorundam philosophorum, ac imprimis Renati Cartesii, sententia sit.

§. VII.

**ARTIVM.)** Sive liberales illæ sint, sive non, nempe pro cujusque conditione & captu.

§. VIII.

**FVLTVRIS CORPORIS.)** Propter intimam & arctissimam animæ cum corpore cohexionem, quæ efficit, ut, nisi organa corporis recte se habeant, anima suas operationes rite exercere non possit.

§. IX.

**PECCARE SVNT CENSENDI.)** Unde etiam tales

tales propticidæ dolosi non honesta, sed asinina, quam vocant, sepultura, affici solent. Secus de his dicendum, qui vel in furore, vel melancholia, violentas sibi manus inferunt, quibus honesta sepultura denegari nequit.

§. X.

(**QUIN SIT LICITVS.**) Cum ex eo nullum iniquum damnum redundet, nec quisquam justam conquerendi causam habeat, si contra futuras injurias omnia media defensionis conquirat.

§. XI.

(**FACIUNT ILLICITVM.**) Violentam sui defensionem licitam esse, probatur: 1) quia homo sibi proximus est, & amor ordinatus a se ipso incipit; 2) quia ipsum Jus Naturæ & Lex socialitatis sui conservationem cuiusvis injungit; 3) quia hujusmodi instinctus se defendendi etiam bestiis a natura inest.

§. XII.

(**LEVIS INJURIAE.**) Offensio ejusmodi esse debet, quæ in presenti vitæ discrimine aliquem constituat, alias non est justa violentæ defensionis causa. Sic ergo verba contumeliosa haud sufficiunt, & propterea non immerito poena ordinaria quandoque cessare solet.

§. XIII.

(**LIBERTATE NATVRALI.**) In qua hodie-  
num Principes, & libera Respublicæ, inter se spectant, vivere intelliguntur.

R

§. XIV.

## §. XIV.

**NON FERT.)** Regulariter enim nemo in  
vitate sibi ipsi Jus dicere debet; ne tumultibus  
caso detur, adeo, ut, qui rem suam, ab altero  
tentam, privata auctoritate, eidem invito, eripit,  
omni jure, quod in ea habet, excidat, per *Edict.*  
*Marci in L. 13. ff. Quod met. caus. § L. 7.*  
*Unde vi.*

## §. XV.

**NON SVFFICIT.)** Breviter: Justum tempus  
violentiæ defensionis in statu naturali incipit, quan-  
do alter, præter facultatem, etiam voluntatem no-  
cendi ostendit; durat autem tamdiu, donec pro-  
babiliter nihil amplius ab eo metuendum sit.

**BENIGNITATEM FATI.)** Quo & connubia  
referri debent, per quæ in primis Domum Austria-  
cam maxima incrementa cepisse constat.

## §. XVI.

**PERDV RAT.)** Quodsi justum hoc tempus  
neglectum sit, id considerari in poena infligenda  
oportet, utrum brevi, an longo tempore post  
aliquis aggressorem occiderit. Priori casu arbitra-  
ria, hoc vero ordinaria poena locum habet.

## §. XVII.

**ERROREM.)** Unde etiam actio injuriarum lo-  
cum habet, licet is, qui injuriam intulit, circa per-  
sonam erraverit; cum dolus in genere sufficere in-  
telligatur.

## §. XVIII.

**DVELLVM.)** Idem dicendum in genere de  
auto-

autore rixæ, qui exceptione violentæ defensionis regulariter uti nequit, cum sibi imputare debeat, quod alterum laceffiverit, & provocaverit.

§. XIX.

INTENTIO.) Unde etiam in foro civili, cum cædes perpetratur, intentio non attenditur, an ea occidendi, an saltim vulnerandi fuerit, cum vulnera ad mensuram dari non soleant.

§. XX.

PVDICITIA.) Neque aliud in foro civili obtinet, ubi etiam quodvis stuprum violentum regulariter capitale est.

§. XXI.

DEFENSIO RERVM.) Nec obstat, quod inter res, & vitam, nulla sit proportio; hæc enim non ex objecto, sed respectu ad Legem socialitatis, & publicam tranquillitatem, æstimanda venit.

NOCTVRNOS.) Secus est in furibus diurnis, quos non aliter, quam si telo se defendant, occidere licet. Add. *L. 4. ff. ad L. Aquil. Ord. Crim. art. 150.* Imo & fur nocturnus si capi possit, licite haud occiditur.

§. XXII.

PRIOR.) V. g. Si is, qui ad duellum provocavit, deinceps, abjectis armis, culpam deprecatur, & cautionem sufficientem de non lædendo offerat; tunc, si alter nihilo secius cum armis persequi instituat, a favore necessitatis haud excludendus est.



## §. XXIII.

MORS POTIVS.) Vt in bello fieri solet. enim miles stationem deserere, sub poena moris prohibetur.

## §. XXV.

IN SCAPHAM.) In *majori Opere d. J. N. G. Libr. 2. Cap. 6. §. 3. seqq.* Autor judicium suum de hoc, similibusque casibus, susperdit.

## §. XXVI.

SI DVO.) Ratio horum, similibusque casuum est, quod Leges socialitatis velint, ut ex duobus unus potius servari, quam uterque perire debeat; quisque vero sibi sit proximus.

## §. XXVII.

PECVLIARI OBLIGATIONE.) V. g. Si Princeps sit, vel pater.

## §. XXVIII.

INOPIA.) Qualis casus saltem in civitate non facile existere potest, cum ibi Magistratus egentibus succurrere soleat, ac debeat. Vid. exemplum in *Element. Jur. Nat. & Gent. cap. 10. §. 10.*

CITRA CRIMEN FVRTI.) Nam Lex, quae furtum prohibet, ad talem casum necessitatis haudquaquam pertinere intelligitur, praesertim, cum illud lucri faciendi animum, qui hic abest, requirat.

EX OBLIGATIONE PERFECTA.) Hujus enim naturam tali casu imperfecta obligatio induit. Fallitur *Grotius*, qui fundamentum hujus rei ex tacito pacto, circa distinctionem dominiorum inito, vi cujus tali casu proprietates cessare, & res communis

munis fieri debeat, repetit in *Tr. de Jur. B. & P. L. 2. c. 2. §. 6.*

§. XXIX.

LEGES NAUTICÆ.) Pertinet huic imprimis l. Rhod. de jactu. Ex eodem fundamento præstatio cautionis de damno infecto, & concessio viz ad fundum suum, confinibus undique agris circumdatum, fuit.

CAP. VI.

§. I.

HYPOTHETICA.) Hæc antegressum aliquod factum, & institutum humanum supponunt; in absolutis vero hujusmodi respectus cessat.

§. II.

ALTERVMLÆDAT.) Necessarius nexus præcepti hujus cum vita sociali in proclivi est; quippe quæ citra talem obligationem nullo modo consistere potest.

§. III.

QUÆCVNQVE.) Est hoc officium generalissimum; idemque absolutum; & hinc in utroque statu, naturali, & civili, locum habet; secus, atque *Hobbesius* contendit.

§. IV.

QUANTVM POTEST.) Quod si res ipsa resistere non possit, interesse præstandum venit.

§. V.

PENSARI DEBEAT.) Unde nec actio tali casu locum habet, neque in foro naturali, neque in foro

foro civili; & actio ingrati inter figmenta, omni fundamento destituta, reputari debet.

## §. VI.

**FRUCTVS.)** Quales autem fructus restitui debeant, Jure Nat. definitum haud est. Jure Civili distinguitur inter possessorem b. & m. f.; hic tenentur omnes fructus, etiam consumptos, imo & percipiendos, restituere; ille vero non nisi extantes, & nondum usucaptos, restituit.

**IMPENSIS.)** Scil. necessariis, ac utilibus. Nam voluptuarias tantum tollere licet.

## §. VII.

**NON TENEBITVR.)** Imo & poena publica tali casu longe mitior esse solet, quam in prioribus casibus.

## §. VIII.

**IMPERIO.)** Ut si pater filio, vel dominus servo, lésionem alterius injunxit.

**IN POENIS SECVS.)** Idem enim non bis exigit, poena vero singulis imponi potest, & ad eam quisque in solidum tenetur.

## §. IX.

**LEVISSIMA CVLPA.)** In foro civili distingui solet, ut is, qui solus ex negotio emolumentum sentit, ad omnem culpam præstandam tenetur; ille vero, qui nullum inde commodum percipit, ad latam tantum; denique si uterque utilitatem ex eo sentiat, quisque ad latam, & levem culpam præstandam, obstringatur.

## §. X.

§. X.

NON TENETVR.) Nisi forte quis ad  
prestationem ejus ex peculiari obligatione tene-  
atur.

§. XI.

VEL IPSI PENSEMVS.) Quo intuitu Jure  
Rom. actio noxalis prodita est, quæ hodie ces-  
sat; cum servi nostri, ceu liberi homines, ipsi ad  
dammum, a se datum, resarciendum, conveniri  
queant.

§. XII.

SPONTE COMMOTA.) Nam si ab alio in-  
citata damnum dederint, is simpliciter ad ejus resti-  
tutionem tenetur, & Jure Civili actione Leg. Aquilæ  
convenitur.

§. XIII.

MANV.) Quocirca omnis vindicta privata, &  
quæ ex mero animi rancore proficiscitur, Legi Na-  
turali adversa est. Secus dicendum de vindicta  
publica, Legibus concessa, v. gr. actione injuria-  
rum, quæ per se nihil continet, quod cum ratione  
naturali pugnet.

CAPVT VII.

§. I.

HOMINEM ÆSTIMET.) Præceptum hoc ad  
utrumque sexum pertinet; cum foeminae de  
humana natura æque participant, ac males; secus,  
ac aliqui inepte contenderunt hodie.

## §. II.

**VIREB,)** In harum paritate, & æquali cultate nocendi sola *Hobbesius de Cive, cap. I.* fundamentum memorati præcepti collocat; sed male, cum alias ad belluas etiam pari jure pertineret.

**QVOD JURIS,)** Ex hoc principio descendunt retorsiones, quæ, præsertim quoad jura singularia, hodie inter civitates, & Respublicas, frequentari solent; quo referri solet integer *Tit. ff. Quod quisque jur. in alt. stat.*

## §. III.

**PECVLIARE JVS,)** Quale jus v. gr. in statu civili Principes, & Magistratus, habent.

## §. IV.

**COMMVNITER,)** Quamdiu nempe communitio utriusque placet; huic enim renunciari, etiam altero invito, posse, ipsi recte rationi congruum est; præsertim cum communitio rixas fere, & discordias, parere soleat.

## §. V.

**VNICVM,)** Reliqua enim omnia extra nos posita sunt, & vel a casu, vel alieno fere arbitrio, pendent.

## §. VI.

**INVLTAM PATI,)** Historia, & experientia docet, ex neglectu hujus præcepti gravissima plurimumque bella exorta; imo & in privatis maximam calamitatum partem ex eo fonte fluere; quo diligentius hoc principium ob oculos versari debet.

CAP.

## CAP. VIII.

## §. I.

**PROMOVEAT.)** Ex hoc principio fluit, innoxium per terras alterius gentis transitum, regulariter denegari non debere.

## §. II.

**HONESTAM ARTEM.)** Vel qui talem addiscuat, quæ in se quidem illicita aut inhonesta non est, sed tamen inutilis, & ex qua nihil solidi emolumenti ad vitam humanam redundat; quæ etiam trica scholasticorum, aliaque inanes subtilitates, referri debere videntur.

## §. III.

**INVIDEANT.)** Qui stolidissimus affectus est, maximorumque malorum causa.

## §. IV.

**RES INNOXIE UTILITATIS.)** Hoc est, quæ accipienti utiles, danti vero non molestæ sunt, *Grotius d. Jur. Bell. Et Pac. L. 2. c. 2.* eo refert 1) Concessionem transitus per terras nostras; 2) mercium per eandem transportationem; 3) navium alienarum in portus nostros admissionem; 4) Commerciorum cum exteris communionem; 5) Exulum receptionem. At enim vero multæ, & prægnantes causæ, intervenire queunt, propter quas hæc officia simpliciter erga alios exercere haud liceat; qua de re fusius agunt *Bæclerus, Zieglerus & Henniges ad loc. cit. Grot. Add. Pufendorff. in Opere majori, L. 3. c. 3. ad verb. non hostibus.* His

K §

enim

enim cum naturaliter in infinitum nocere liceat, eorum commoda promovere, haud quicquam tenemur.

## §. V.

**BENEFICIA.**) Ad quae homo imperfecto, & citra jus exigendi in altero obligatus esse, intelligitur.

## §. VI.

**GRATVS.**) Ingratitudinis tres praecipue gradus sunt: 1) beneficium non rependere; 2) non deprecare; 3) non agnoscere, seu plane beneficii loco non habere.

## §. VII.

**RECUSARE.**) Quod facere, haud raro officium Magistratum, & Legatorum, ad evitandam omnem collusionis, & corruptionis speciem, exigit.

## §. VIII.

**INJURIA.**) Haec enim semper violationem juris perfecte quaesiti arguit, ac praesupponit.

## CAP. IX.

## §. I.

**PACTA.**) Pactum hic late sumitur pro conventionione; & est duorum, pluriumve, in idem placitum, consensus.

## §. II.

**NECESSARIUM.**) Adeo, ut ne in statu quidem integritatis, qualem fuisse, ex Sacra Scriptura  
dis

dicimus, omnia pacta cessatura fuerint; quod vel ex solo pacto matrimoniali liquido constat.

§. III.

UTILITATIS.) Imo & necessitatis causa subest; neque enim, si fidem datam fallere liceret, humana societas salva stare, aut conservari posset.

§. IV.

PERFECTO DEBENTVR.) Nec tamen hic solus fons perfectæ obligationis est, sed hæc etiam ex delicto vel quasi nasci potest. Imo dantur quædam obligationes perfectæ, quæ neque ex pacto, nec ex delicto, oriuntur, quas Dd. Rom. Jur. ex variis causarum figuris descendere dicunt; quorum obligatio parentum ad alendos liberos referenda videtur.

§. V.

SOLITARIUM.) Divisio hæc non de modo contrahendi, sed de effecta obligationis accipienda est.

§. VI.

IMPERFECTAM.) Imperfecta promissio breviter nihil aliud, quam simplex assertio est, citra animum, jus aliquod in alterum conferendi.

§. VII.

POSCERE.) Instituta nempe actio, quæ naturaliter ex omni promissione perfecta datur; quamvis non semper actio civilis inde competat.

§. VIII.

VLTRONEVS.) Secus est, si consensus per vim extortus, aut dolo elicitus fuerit.

§. IX.



## §. IX.

**CERTIS CIRCVMSTANTIIS.**) V. g. si quis præsens negotium suum ab altero geri, intelligat, nec contradicat, censetur illud mandasse. Add. *L. 18. ff. Mandari.*

**TACITA.**) Consensus tacitus cum præsumto, & ficto consensu, confundi non debet; nam est species veri consensus.

## §. X.

**PLANE OBRVTA.**) Aliqualis enim ebrietas, quæ usum rationis non plane tollit, validitatem negotiorum haudquaquam impedit.

## §. XI.

**CERTVM TERMINVM.**) Jure Rom. pubertas in masculis XIV. anno, in foeminis XII. incipit. Sed hodie ne quidem minores, citra curatoris consensum, usque ad majorennitatem, se obligare valent.

## §. XII.

**TANQVAM CONDITIONEM.**) Qualis est in pacto matrimoniali facultas generandi; item regulariter qualitas virginalis in eo, qui cum soluta, matrimonium contrahit, quæ vidua haud est.

**PRÆSTITVM.**) Imo vero res integra esse definit, quamprimum consensus adest; nisi forte quis causam impulsivam, tanquam conditionem, expresse alleget.

**IPSAM REM.**) Vel qualitatem ejus principalem. Qui error substantialis dicitur, & illi, qui circa accidentalia committitur, & consensum haud excludit, opponitur.

## §. XIII.

§. XIII.

HAUDQUAQUAM OBLIGOR.) Sine distinctione negotiorum. Jure Rom. autem nonnisi negotia b. f. propter dolum, causam illis dantem, invalida redduntur; reliqua subsistunt, & læsio actione de dolo reparatur.

IN ARBITRIO.) Dolus hujusmodi incidens Jure Civili nullum negotium infirmat.

§. XIV.

CAVTVM SIT.) Supponendum est, alterum non obligari ex pacto, ut statim ex sua parte illud impleat; nam alias & regulariter non tenetur quis prestare, quod promisit, priusquam alter ex sua parte eidem negotio bilaterali satisfecerit; quo intuitu exceptio implementi non secuti competit.

§. XV.

INVALIDA SVNT.) In foro civili tamen perperam subtilitatem Juris Rom. sustinentur, salva tamen restitutione in integrum ex capite metus.

§. XVI.

CVI PROMITTITVR.) Dicitur alias acceptatio, quæ, quamdiu nondum secuta, donationem revocare licet; cumque facti sit, non præsumitur, sed ab allegante probari debet, exceptis liberationibus.

§. XVII.

CASV.) Huc pertinet regula: Casus facienti nocet; quæ &, juxta veriore sententiam, Juri Rom. congruit.

§. XVIII.

## §. XVIII.

REPETI NEQVIT.) Juxta principium illud: Quoties utriusque turpitudō subest, toties melior est possidentis conditio.

## §. XIX.

IN QVANTVM.) Jus ergo, quod nobis circa res alienas competit, in alterum valide transfert. Unde Jure Civili toties valet pactum de re aliena, quoties non agitur de transferendo dominio; adeo, ut etiam vendere rem alienam liceat, salvo regressu in casum evictionis.

LABORARE.) Qui ita non laboravit, tenetur ad præstationem ejus, quod interest.

POTIOR JURE.) Quodsi tamen ad posteriorem contractum accesserit rei traditio, potior habetur Jure Civili, juxta *famos. L. 15. C. d. R. V.* Et qui ex priori contractu jus quæsitum habet, non nisi ad interesse adversus eum, cum quo contraxit, agere potest.

## §. XX.

PER LEGES.) Factum hoc Jure Civili in ultimis voluntatibus; item Jure Canon. in promissione matrimoniali; quando conditio non est contra matrimonii substantiam. Vid. *Cap. ult. X. de Condition. appof. in despons.*

## §. XXI.

BONA FIDE.) Nam si procurator dolose egerit, non obligatur mandans, sed ipso Jure tutus est; unde nec in foro civili restitutione integrum hoc casu opus habet.

CAP.

CAP. X.

§. I.

**SERMO.**) Origo sermonis cum ipso genere humano sine dubio cœpit; sed quænam protoplastorum lingua fuerit, incertum; varietas sermonis partim ex confusione linguarum Babylonica, partim a variis gentium in alias sedes transmigrationibus est. Sic enim ex patriis sermonibus cum extero, & ascititio, commixtione nova lingua subinde oritur.

**DECIPIAT.**) Fundamentum hujus præcepti ex generali principio de colenda socialitate repetendum est.

§. II.

**NATURA NOTENT.**) Sermo enim non nisi ex impositione hominum significat, adeoque contradistinguitur signis naturalibus, quæ per se, & sua natura, certam rem denotant; quo intuitu v. gr. fumus naturale signum ignis est; item signis arbitrariis divinis, quo iris referri debet.

§. III.

**ORITVR.**) Quocirca extra casus hic subje-ctos licite quis animi sui sensa adversus alterum occultat.

**COMMUNI PRÆCEPTO.**) Quod nempe alterius commoda, præsertim si absque incommodo nostro fieri possit, promovere debeamus.

§. IV.

**DISSIMVLARE.)** Vel etiam ficta narratione alte-

alterius curiositatem, si nulla læsio inde contingat, eludere; quo historia de Papirio pertinet.

## §. V.

DIVERSVM.) Sic & aliud simulare nomen toties licet, quoties in altero jus verum nomen poscendi deficit.

## §. VI.

DETRIMENTO.) Quod tunc plerumque contingit, si nobis res sit cum infantibus aut furiosis.

## §. VII.

VERITAS.) Male igitur vulgo hæc describitur, quod sit virtus, qua quod corde sentimus, ore gestu factisque profiteamur; addendum enim erat, quoties alter jus cogitata animi nostri intelligendi habet.

MORALI.) Hæc ergo est convenientia sermonis cum animo loquentis, juxta incumbentem obligationem; & tam a logica, quam metaphysica, veritate differt.

## §. VIII.

JVS.) Hujus violatio essentielle mendacii requisitum est.

## §. IX.

HOSTI.) Huic enim in infinitum nocere licet; ergo etiam effectis fabulis & sparsis rumoribus falsis.

## §. X.

RESERVET.) Omnes reservationes mentales, quibus multi tantopere sibi placeant, sunt contra jus naturæ, adeoque illicitæ.

CAP.

CAP. XI.

§. I.

VSJVRANDVM.) Hoc licitum esse, absurde negant Anabaptistæ, & Mennonistæ, cum ejus exempla passim in ipsa Scriptura S. occurrant.

§. II.

VSVS JVRAMENTI.) Vnde juramentum aliud est assertorium, aliud promissorium, aliud denique confirmatorium.

§. III.

OPINIONE.) Nempe apud ipsum jurantem.

ISTAM REM.) V. g. si per salutem Principis juretur. Sic & Elisam per vitam Elizæ jurasse constat. II. Reg. 2.

§. IV.

ACCOMMODANDA.) Quod hodie in foro circa Judzos fieri solet, qui, cum salutem terrarum orbis, Christum, non agnoscent, sub peculiari formula jurare solent.

§. V.

AGITAVERIT.) Fluit hoc ex generali obligatione circa sermonem, in cap. præc. exposita.

§. VI.

IN SE VALIDÆ.) Fieri tamen potest, ut negotium Jure Naturæ licitum, sed Jure Civili invalidum, per juramentum convalescat; sicuti Jure Civ. pacta hereditatis renunciativa, Jurejurando firmata, subsistunt. Cap. Quamvis. de Pactis in 6.

§. VII.

## §. VII.

ATROCIOR POENA.) In foro civili poena perjurii est regulariter arbitraria; excepto casu furti & urphædæ, ubi est abscissio digitorum, vel quando fustigatio.

## §. VIII.

REI NATURA.) Hæc enim per juramenti præstationem haudquaquam immutatur.

## §. IX.

VALERE.) Et ipse Deus in eundem sensum accipere juramentum intelligitur, quo is, cui illud præstatur, id se intelligere, aperte declarat.

## §. X.

DEFERENTE JUDICE.) Quod juramentum rursus duplex est, suppletorium, & purgatorium.

ALTERA PARTE.) Hoc judiciale in sensu stricto in foro dicitur.

## CAP. XII.

## §. I.

VOLENTE.) Cum enim homini Deus vitæ dederit, intelligitur quoque earum rerum usum ipsi indulgisse, sine quibus illa commode servari nequit; quod evidentius multo in S. Scriptura confirmatum legitur. Dicitur enim ibi Deus homini potestatem dedisse, non solum in vegetabilis, sed & in omnia animalia in cælo, terra, & mari nata. *Genes. I. v. 28. seq.* Quæ tamen concessio non vitæ præcepti, sed tantum privilegii instar habet; quo proinde homines libere utuntur.

## §. II.

§. II.

IN MEDIO.) Nam ab initio, si rationem sequamur, omnes res communes fuisse videntur; introductio domini institutum aliquod inter homines, & pactum, saltem tacitum, præsupponit.

§. III.

SUBSTANTIA.) Seu ipsa proprietas, non usufructus tantum.

EODEM MODO.) Secus, si diverso; potest enim unus v. g. directum, alter utile, unus civile, alter naturale dominium eodem tempore habere.

IN SOLIDVM.) Ex parte enim res nostra ad alium pertinere potest, & tunc communis est.

§. IV.

REMOTISSIMAS.) Secus ergo est in maribus particularibus, quæ utique occupata, & in dominium redacta sunt.

§. V.

IN CORPVS.) Qui modi omnes sub occupatione, generaliter sumpta, continentur.

INCREMENTVM.) Hi omnes reduci possunt ad accessionem.

§. VI.

INTERDICTA.) Quod hodie factum, dum principes sigillatim ferarum bestiarum capturam, a privatis ademptam, sibi adscriperunt, suisque rebus annumerarunt; ita, ut jus hoc a privatis non aliter, quam per investituram, seu speciale privilegium, vel immemoriam præscriptionem, quæ



isti æquipollet, acquiri possit; qua in re nihil illi citi a Principibus admissum esse, facile liquet. Nam & Jus venandi non ex præceptivo, sed tantum permissivo Jure Nat. est, & Principes, feras bestias, in libertate naturali vagantes, sibi asserendo, privato per occupationem prævenisse, censentur.

**CORPORALITER.)** Non ergo sola visio sufficit, nec sola vulneratio feræ.

**DISPOSITIVM.)** In foro civili distinguitur, utrum thesaurus in solo proprio inventus sit, an alieno; priori casu solius inventoris est; posteriori autem casu inter inventorem, & dominum soli, dividendus est.

### §. VII.

**ACCESSIONVM.)** Solet hinc accessio dividi in naturalem, & artificialem, seu industrialem; ad illam pertinet foetura animalium, alluvio, insula, alvei derelictio; hujus vero species potiores sunt: Specificatio, adjunctio, inædificatio, plantatio, factio, scriptura, & pictura.

### §. VIII.

**SERVITVTES.)** Intellige rerum, ut distinguantur a servitutibus personarum.

**PRÆDIORVM VRBANORVM.)** Servitutes urbanae, & rusticae denominantur a prædio dominante, seu eo, cui servitus debetur; hoc enim si fuerit urbanum, servitus urbana dicitur; si autem rusticum fuerit, servitus quoque rustica audit. Vocatur vero prædium urbanum, & rusticum, ab usu, quem præstat; usus urbanus præcipue in

in inhabitatione, & commerciis, nec non rusticus in agricultura consistit.

§. IX.

UNIVERSITAS.) Unde modi acquirendi dicuntur vel universales, vel particulares, seu singulares.

§. X.

PAVCORVM.) Præsumptio enim ex eo, quod plerumque fit, non quod raro contingit, oritur.

§. XI.

VLTERIORVM.) Hos tamen nonnisi in stirpe, seu jure representationis succedere, rationis est; nec enim majorem portionem jure præterdere queunt, quam ipsorum parens, si adhuc viveret, habiturus fuisset.

FRATRES.) Disponi tamen per Legem Civilem potest, ut hi una cum ascendentibus concutiant, sicut Jure Rom. cautum.

§. XII.

CERTI TERMINI.) Jure Civili Romano ad usucapionem requiritur 1) bona fides, 2) justus titulus, 3) res non vitiosa, 4) rei traditio, 5) tempus legitimum.

§. XIII.

NECESSITVDINVM RATIO.) Unde etiam Jure Civili cautum est, ut saltem legitima certis personis relinqui in testamento debeat; liberis certis ad minimum tantum relinqui oportet, quantum ad eos alendos, educandosque, sufficit.

3

§. XIV.

## §. XV.

VEL PVBLICO, VEL LÆSO.) Illa poena criminalis, hæc civilis audit, & ad actorem pertinet neque tamen cum restitutione damni illati confundi debet; hæc enim proprie poenæ vicem hæc obtinet.

## CAP. XIII.

## §. I.

**H**OSTEM.) Huic enim in infinitum nocere licet.

**P**A.T.E.) Alias enim distinctio dominiorum prorsus frustranea fuisset.

## §. II.

**I**MPENSIS.) Repeti vero possunt tantum impensæ necessariæ, & utiles, non voluptuariæ.

**P**RÆPONDERAT.) Fortius enim jus est domini, quam illius, qui tantum jus ex contractu quæsitum habet.

## §. III.

**L**OCVPLETIORES.) Generalis enim regula ex naturali æquitate petita est, quod nemo cum alterius damno locupletari debeat.

## §. IV.

**P**ERIIT.) Modo sine dolo ejus perierit; alias enim ad interesse tenetur, quia dolus est loco possessionis.

## §. V.

**E**XTANTES.) Sive percepti, seu a solo separati sint, sive minus.

## §. VI.

§. VI.

CONSUMTORVM.) Non tamen putarem, quoad restitutionem fructuum consumptorum proprie dictum præceptum Juris Naturalis ostendi posse. Unde Jure Civili Rom. b. f. possessor. de fructibus consumptis plane non tenetur; idemque etiam mores hodierni in plerisque Judiciis sequuntur.

§. VII.

NEGLEXIT.) Secus est in m. f. possessore, qui etiam de fructibus percipiendis tenetur.

§. VIII.

EX OFFICIO.) Non ex sola liberalitate.

§. IX.

LVCIVM.) V. g. si majori pretio alteri rursus vendiderit; unde & Jure Civili hoc in casu actio in factum competit.

§. X.

REPOSCERE.) Quod si recuperare erogatum ab auctore suo nequeat, sibi hoc imputare, & in posterum cautius mercari debet; ut dicitur in *L. 2. C. de furtis.*

§. XI.

RETINERE.) Nisi aliud per Leges Civiles sit cautum. Sic Jure Sax. tali casu duæ partes fisco cedunt, tertia inventori.

CAP. XIV.

§. I.

PERMVTARE.) Permutatio antiquissimus contractus est; ex quo tamen falso colligitur, in dubio

L 4

dubio permutationem potius, quam emtionem venditionem, præsumi debere; præsumtio enim capienda potius pro eo negotio, quod & frequentius, & validius est.

**PRETII.)** Potest igitur describi pretium, quod sit quantitas moralis, seu valor rerum, & actionum, in commercium venientium, secundum quem illæ inter se comparari, & exæquari solent.

§. II.

**DIVIDITVR.)** Alii distinguunt pretium in virtuale, & formale; illud vocant, quod rebus per se, & sua natura, inest, abstrahendo ab omni impositione humana; hoc autem dicunt, quod ex impositione, & determinatione hominum resultat, & regulariter quidem ad normam pretii virtualis quadrare debet; sed negligi sæpe hoc inter homines solet.

§. III.

**FVNDAMENTVM.)** Triplex igitur est hoc fundamentum: 1) necessitas, 2) utilitas, seu commoditas, 3) iucunditas.

§. IV.

**PRETIVM AFFECTIONIS.)** Unde etiam in iudiciis ius iurandum, quo pretium rei, in qua restituenda contumax quis est, definitur, vel affectionis est, vel veritatis.

§. V.

**CONTRAHENTIVM CONVENTIONE.)** Quia nempe illi, qui in statu naturali vivunt, superiorum, qui pretium definiat, non habent. Post  
est

est etiam ab his in arbitrum compromitti, qui statuat, quo pretio res venire debeat.

§. VI.

LATITVDINEM.) Unde etiam læsio minoris momenti, & quæ ultra dimidium haud est, in foro civili haud attenditur; nec ejus reparatio, modo dolus absit, peti potest. Vid. *L. 2. C. de Resc. Vend.*

PARS PRETII.) Unde si quantitas, pure debita, cum debito in diem comparanda sit, interusurii deductio fieri debet.

§. VII.

EMINENS.) Inde sic dictum, quod supra omnia pretia rerum vulgaria sit, eademque velut contineat, & includat.

§. VIII.

NOBILIORA.) Cum primis aurum, & argentum; quamvis sæpius etiam ex stanno, cupro, metalla cudatur.

ALLÆ RES.) V. g. corium, charta.

§. IX.

SVM MOS IMPERANTES.) Unde jus cudendi monetam est regale, sive jus Majestaticum; & qui falsam, aut sine publica auctoritate, monetam cudant, crimen læsæ majestatis committere, intelliguntur.

CAP. XV.

§. I.

DISCRIMEN.) Jure Civili pactum a contractu ita distinguitur, ut illud dicatur conventio

L s

sine

sine causa, hic vero cum causa. Ceterum causa nihil aliud significat, quam vim internam producenti actionem in foro civili,

## §. II.

GRATIS.) Nam si merces in his contractibus interveniat, in alium contractum incidant, & in locationem conductionem degenerant.

## §. III.

JAM NOTA.) Vel etiam illa, quæ cuivis parent, & facile in oculos incurrunt; hæc enim qui non animadvertit, damnum, quod inde sentit, supinæ negligentiae suæ imputare debet.

## §. IV.

ENORMIBVS.) H. e. illis, quæ sunt ultra dimidium; per supra cit. *L. 2. C. de Rescind. vend.*

## §. V.

SVMMA FIDE.) Unde etiam in foro civili mandatarius culpam levissimam præstare tenetur; non vero casum fortuitum, nisi hunc expresse in se receperit.

## §. VI.

VSVM.) Scilicet certum, nec singulis momentis revocabilem; in quo commodatum a precario differt.

ÆQVVM VIDETVR.) Non tamen hoc Jure Naturali præceptum est; unde licite Jure Civili constitui potuit, ut commodatarius ab omni restitutione immunis esse debeat, si res commodata casu, & citra ejus culpam, perierit, nullo respectu habito

bito ad id, an eadem penes commodantem quoque peritura fuisset, nec ne.

§. VII.

DEPOSITVM. ) Hoc duplex est, depositum in specie, & sequestrum, quod circa rem litigiosam versatur.

INFICIATVS. ) Unde hoc casu in foro civili datur actio in duplum, in pœnam mendacii.

§. VIII.

PERMVTATIO. ) Circa hunc contractum id singulare Jure Civili est, quod in eodem, sicut in omnibus contractibus innominatis, danti tamdiu pœnitere liceat, donec alter ex sua quoque parte impleverit; quæ tamen pœnitendi facultas hodie, posteaquam simplex pactum eandem vim cum stipulatione habet, cessat.

§. IX.

ÆQUIPOLLENS IVS. ) Scilicet quasi dominium, sive conditio usucapiendi.

ÆQUITATI CONVENIENS. ) Non tamen hoc Jure Naturali præceptum est; unde Jure Rom. & hodierno indistincte, & statim atque venditio pure contracta est, periculum non penes venditorem, sed emptorem existit; quamvis res nondum tradita, & traditio ad certum terminum dilata fuerit.

§. X.

ID EXPECTARE. ) Quo casu tamen locatio conductio haud manet, sed negotium in alium contractum degenerat; illud vero incertum, & indubi-



dubium est, locationem semel contractam posse, tempore definito elapso, tacite renovari.

INHUMANITER IPSVM.) Non tamen contra strictum jus facit, quia merces præstatur pro opera, quæ si præstari non possit, nec illa amplius debetur.

### §. XI.

EADEM QUANTITATE.) Unde consequitur, in mutuo pecuniario restituendo, si forte interim mutatio monetæ contigerit, ad tempus contractus respiciendum esse, ut tantundem restitutus, quantum fuit datum.

### §. XII.

OMNIVM BONORVM.) Dicitur alias societas universalis; & non solum a particulari, sed etiam a societate bonorum simpliciter differt.

CONVENTVM.) In genere notandum, quod in societate omnis conventio sit licita, ea sola excepta, qua id agitur, ut unus tantum damnus sentire, sine ulla lucri parte, debeat; quæ alias societas leonina dicitur.

### §. XIII.

TOLERARI.) Sic in Sax. per *Ordinat. Politicæ* certus modus definitus atque præscriptus est, qui in chartarum lusoriarum usu attendi debeat.

### §. XIV.

ARCTIVS.) V. g. mediante juramento.

EXPROMISSOR.) Hic ergo dicitur, qui obligationem alienam ita recipit, & in se transfert, ut

ut alter plane ab omni nexu immunis hoc ipso reddatur.

PRO RATA.) Dicitur hoc alias beneficium divisionis.

§. XV.

SIBI SOLVATUR.) Unde ne quidem pactum valet de pignore non alienando; quia est contra illius naturam; hoc casu tamen Jure Civili triplex denunciatio præcedere debet.

INIQUVM NON EST.) Neque Jure Civili hæcenus improbatur; sed eatenus tantum, si convenit, ut, debito intra certum tempus non soluto, pignus simpliciter creditori cedere debeat, licet quantitatem debiti longe excedat.

NVDA ASSIGNATIONE.) Nihil enim vetat, quo minus Jure Naturali etiam per simplicem conventionem, nulla licet traditio accesserit, jus reale transferatur.

CAP. XVI.

§. I.

DISSOLVITVR.) Sive solutio facta sit pro debitore sciente, sive ignorante, sive etiam invito; ita tamen, ut hoc ultimo casu regressus adversus ipsam locum non habeat.

§. II.

COMPENSATIONE.) Jure tamen Civili quædam causæ ita privilegiatæ sunt, ut compensationem non admittant. V. g. tributorum, depositi &c.

§. III.

## §. III.

REDDITIS.) Quamvis forte plures ejusdem chirographi tabulæ dentur; nam & unius redditio aliquid operari debet, & tacitum pactum de non petendo continet.

## §. IV.

PROHIBVERINT.) Sic v. g. sponsalia, mutuo licet consensu contrahantur, non tamen mutuo dissensu statim dissolvuntur; sed auctoritas Magistratus ecclesiastici simul accedere debet.

## §. V.

PRÆSTITERIS PRIVS.) Nititur hoc fundamento exceptio non adimpleti contractus, seu non secuti implementi, quæ in omni processus genere etiam, quando executive agitur, locum habet; eo cum effectu, ut is, qui ex contractu agit, eundem a se jam impletum esse, probare teneatur.

## §. VI.

STATVM.) Sic v. g. obligatio, ad sumtus studiorum suppeditandos, expirat, quando quis studiosus esse desinit.

## §. VII.

TEMPORÈ.) V. g. si quis ad tempus solum fidejusserit.

## §. VIII.

SATISFACIENDVM.) Hinc omnis obligatio ex contractu, vel quasi contractu, regulariter ad heredes, active, & passive, transit.

## §. IX.

DELEGATIONEM.) In hac semper persona debi-

debitoris mutatur, in eoque a novatione, in specie sic dicta, differt.

DEBITORIS.) Utile tamen est, quamprimum hunc certiorum de facta delegatione reddi; alias enim priori creditori recte solvit, & liberatur.

## CAP. XVII.

### §. I.

INTERPRETATIONIS.) Agitur hic potissimum de interpretatione doctrinali; datur enim alias in materia Legum etiam interpretatio authentica, & usualis; etsi utraque non sit proprie talis.

### §. II.

FAMOSO.) Exemplum est, si quis forte ab altero *helluo*, aut latro, appelletur, & is deinceps ad originem, & derivationem grammaticam, aut significatum improprium, recurrere velit.

### §. III.

ARTIVM.) Dicuntur alias termini technici, qui ad mentem artificum in qualibet arte intelligenti veniunt.

### §. IV.

VIDEANTVR.) Sic v. g. si quis plures codicillos condiderit, sustineantur omnes, si conciliari possint; sin autem sibi contrariantur, tantum posteriores valent.

### §. V.

SVBSTRATAM.) V. g. Si in Jure Civili vocabus

cabulum culpæ occurrat, & dubium sit, de qua specie, lata, levi, an levissima, intelligi debeat, ambiguitas ex substrata materia tollenda, atque ad illam interpretatio accommodanda est.

## §. VI.

ABSVRDVM.) Exemplum potest esse in prohibitione divina, de sanguine humano non effundendo.

## §. VII.

PLANE, ET PERSPICVE.) Adeoque semper ad sedem cujusque materię recurrendum, ex eaque loca, ubi forte incidenter tantum de objecto agitur, explicanda sunt. Exemplum est in spicis excussis, quod ad specificationem refertur in *Inst. Jur. Justin.* in *Dig.* vero clare, & perspicue habetur, quod is, qui frumentum ex spicis excussit, nullam novam speciem formasse, sed pristinam tantum detexisse, videatur; ex quo proinde loco textus Institutionum declarari debet.

## §. VIII.

CESSAT IPSA LEX.) Sic ergo omnes Leges Juris Civilis, quarum ratio, & fundamentum servitus apud Romanos fuit, aut status libertinitatis, hodie abrogatę censeri debent.

LATEAT.) Pertinet huc vulgatum illud: Non omnium, quę a majoribus constituta sunt, rationem reddi posse.

## §. IX.

CONSERVAT.) Unde est, quod in omnibus ultimis voluntatibus ea interpretatio regulariter adhiberi

adhiberi debeat, quæ ad eas conservandas potius, quam invalidas reddendas tendit.

GRAVAT.) V. g. immunitas ab oneribus publicis, quatenus in aliorum præjudicium est concessa.

§. X.

EXTENDENDA.) Vnde interpretatio alia esse dicitur extensiva, alia restrictiva.

IN FRAVDEM.) Sic v. g. SCtum Macedonianum in Jure Civili ad casum venditionis pertinet, si in fraudem SCti ea suscepta fuerit.

§. XI.

DEFECTU RATIONIS.) Sic Lex generalis est, quod pacta servari debeant, cujus ratio in salute, & tranquillitate societatis humanæ, consistit; at cum fides latroni data, eandem haudquaquam servari oportet.

§. XII.

EXIMERENTVR.) V. g. a Lege, quæ proximi læsionem prohibet, exemptus intelligitur casus moderaminis inculpatæ tutelæ.

§. XIII.

DIRECTE.) Hoc est, sæpius duo præcepta collidi invicem videntur; quo casu obligatio unius Legis cessare, & alteri velut cedere, intelligitur.

## LIBER II.

## CAP. I.

## §. I.

**O**FFICIIS.) Sunt hæc officia omnia hypothetica, quæ certum statum, & institutum humanum supponunt.

VOCAMVS.) Seu dici potest, statum esse certam vivendi conditionem, peculiaribus Juribus, seu Legibus, circumscriptam.

## §. II.

TRIPLICI.) Triplex hic status dicitur alias humanitatis, solitudinis, & æqualitatis; addunt alii statum integritatis, sed perperam; quippe quem lumen rationis, sibi relictum, haudquaquam agnoscit.

## §. III.

OPPONITVR.) Sunt, qui negant, hominem, ut animal rationale consideratum, brutis opponi, cum & in his aliqualis ratio deprehendatur; sed hoc absurde. Nam illud, quod speciem aliquam rationis in brutis habet, non nisi ex aliquo instinctu naturali, & necessitate, citra intellectum & voluntatem, est; adeoque non proprie ratio, sed tantum analogum rationis appellari potest. Unde nec ulla Lex belluas obligare intelligitur.

## §. IV.

AVXILIO.) Tota hæc consideratio eo pertinet, ut intelligamus, hominem ad socialitatem colendam natum esse.

## §. V.

§. V.

STATV NATVRALI.) Male hunc statum ex-  
legem concipit Hobbesius. Nam in eo non nisi  
Leges Civiles, & officia hypothetica cessant; non  
autem absoluta, quæ a quibuslibet erga quoslibet  
exercenda veniunt.

§. VI.

FICTIONEM.) Qua tamen non est opus; cum  
hic status naturalis hodiernum satis luculenter re-  
presentari possit per Resp. & Principes, inter se  
consideratos.

§. VII.

VNIVERSVM.) Distingvendum ergo est inter  
statum naturalem, sive æqualitatis, universalem,  
& particularem. Priori sensu status naturalis nun-  
quam existit; sed in sensu posteriori adhuc super-  
stes est.

§. VIII.

CONGRVVNT.) Neque enim in statu hoc na-  
turali prorsus omnes Leges deficiunt; sed Leges  
naturales perinde ibi, ac in statu civili, servandæ  
veniunt.

§. IX.

INCOMMODA.) Quæ propemodum omnia,  
introducto statu civili, cessant; quibus animadver-  
sis, proinde patresfamilias segreges paulatim in ci-  
vitates coivere.

§. X.

CONDITIONATO.) Conditio enim, hujus-  
modi promissioni adjecta, scil. si arbiter pro justitia  
causæ



causæ pronuntiaverit, novis litigiis ansam, occasionemque præbet.

## §. XI.

**NATURALI LIBERTATE.)** In statu civili contra major securitas; cum homines, in eo constituti, metu poenæ, quæ statim per Magistratum representari possit, facilius ab aliis lædendis, ac inferendis injuriis, abstinere soleant.

## CAP. II.

## §. I.

**MATRIMONIUM.)** Describitur hoc, quod fit viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens.

## §. II.

**INVITÆ.)** Indicatur stuprum violentum, cuius poena in foro civili capitalis est; cum voluntarium ex adverso carcere tantum puniri solet.

## §. III.

**COELIBATVM.)** Cum tamen nemo de affectibus suis statuerè possit, manifestum est, votum coelibatus, quale inter Pontificios frequens est, voluntati Divinæ haudquaquam congruere.

## §. IV.

**NEMINI.)** Unde contrarium pactum contra essentialiam matrimonii esse, idemque vitare intelligitur, tanquam ob deficientem consensum. *Constitutio. Tit. X. de Condit. appof. in desponsat.*

## §. V.

**PLVRIBVS VIRIS.)** Dicitur hæc polygamia mul

muliebris, quæ rectæ rationi adversa est, tum propter confusionem sanguinis, tum propter incertitudinem patris; ut hiæc non constet, erga quem, velut patrem, officia a prole exerceri, eidemque reverentia præstari debeat.

LONGE DECENTIVS.) Nulla tamen Juris Naturæ prohibitio ostendi potest; cum hoc in casu omnes illæ rationes cessent, propter quas polygamia muliebria verita esse intelligitur.

§. VI.

CONTINVATUR.) Hoc perperam dici existimem; nam maritus, & uxor, tanquam relatum, & correlatum, se habent, quorum unum sine altero nec concipi quidem potest. Ex quo consequitur, eodem tempore, quo vinculum, respectu unius, solvitur, idem etiam, respectu alterius, dissolvi, eidemque matrimonium novum, permitti debere.

§. VII.

ÆTAS.) Hæc Jure Nat. non est definita, aut certa; sed Jure Civili in masculis 14. in foeminis 12. annorum est; ut tamen simul facultas alendi familiam adesse debeat.

§. VIII.

IN INFINITVM.) Ratio prohibitionis est reverentia, parentibus a liberis debita, quæ cum familiaritate conjugali stare nequit.

LEX DIVINA.) Scilicet positiva universalis, Lev. 18. Possuntque omnes prohibitiones, quæ ibi habentur, ad duo capita revocari: nempe in-

terdictum matrimonium 1) inter fratres, & sorores, 2) inter eas personas, inter quas parentalis respectus intercedit, hoc est, quarum una stipiti communi immediate subest. Ceterum Jure Nat. in linea collateralis nullæ nuptiæ prohibita intelliguntur; nam & reverentia hic cessat, & necessum est, olim protoplastorum tempore talia matrimonia a Deo fuisse permessa; atqui Deus contra Jus Nat. nihil facere potest.

CIVILES.) Jus Civile Romanum in prohibitione graduum lineæ collateralis non ulterius progreditur, quam Jus Divinum; sed Jus Can. prohibet nuptias usque ad gradum quartum suæ computationis inclusive. Jus Saxonicum usque ad gradum tertium lineæ collateralis inæqualis inclusive.

#### §. IX.

SOLENNIA.) Inter quæ imprimis est hierologia, seu benedictio sacerdotalis; quæ, licet Jure Divino, nec non Jure Civili Romano, ad matrimonium necessaria haud sit; moribus tamen adeo requiritur, ut ad ipsam formam, & essentiam ejus pertinere, intelligatur. Per illam enim demum jus in corpus alterius acquiritur, eoque patet, matrimonium a sponsalibus de præsentis maximopere differre.

#### §. X.

OFFICIUM.) Quo intuitu in foro civili peculiaris actio datur; scilicet præjudicialis, de statu familiæ, sive, ut aliis audit, de partu agnoscendo utilis.

CAP.

CAP. III.

§. I.

**POTESTAS PATRIA.**) Hæc in duplici sensu accipitur, vel Juris Naturalis, vel Juris Civilis; hic hujus loci non est; in illo sensu potestas patria reverentiam, & obsequium liberorum complectitur, ac utrique parenti communis est; & describitur, quod sit jus imperandi liberis, ad communem familiæ utilitatem, ipso Naturali Jure questum.

§. II.

**DVPLICI.**) Imo vero duabus causis, h. l. commemoratis, tertia addi debet, nempe beneficium generationis, propter quod liberi parentibus reverentiam, & obsequium debent, licet vel maxime ab illis haud educentur.

§. III.

**PACTO.**) Sicuti sæpe fieri solet, si forte Regina domino privato, & subdito suo nubat.

**ACCRESCERE.**) Intelligendum hoc de patria potestate, naturaliter spectata; illa enim, quæ Juris Civilis est, ne quidem, mortuo patre, matri cedit, quamvis liberos forte alat.

§. IV.

**VT TALI.**) Breviter: Pater, ut talis, in liberos non majorem potestatem naturaliter habet, quam ad eos educandos necessaria est.

§. V.

**DOMINIVM.**) Non puto hoc Juris Naturalis

præceptivi esse, adeoque per Legem Civilem mutari posse, non dubito; neque enim necessarius nexus cum natura hominis rationali, & sociali, habet, subest, quamvis æquitati naturali omnino conveniat.

## §. VI.

ADULTA ÆTATE.) In qua constitutæ intelliguntur liberi, qui puberes jam sunt, sed adhuc patriæ potestati subjecti; eademque ætas secundum appellatur; in tertia enim ætate sunt liberi a patriæ potestate soluti.

## §. VII.

QVIBUSDAM.) In civitate Romana præstinitis temporibus item jus vitæ, & necis, patribus competebat; deinceps, eo adempto, relicta tamen est facultas determinandi poenam, quæ a Judice infligenda esset; tandem vero etiam hoc jure exciderunt, nec nisi modicam castigationem liberorum eorum jure determinandi controversias domesticas retinuerunt.

## §. VIII.

OBSERVANTIÆ.) Cujus effectus in præstinitis esse debet, ut liberi nullum majoris momenti negotium suscipiant, parentibus inconsultis; quo sigillatim matrimonium referri debet.

## §. IX.

EMOLVMENTVM.) Unde Jure Romano talis adoptio pro imperfecta, & minus plena haberi solet, ita, ut patris naturalis potestatem non solvat, & extraneo adoptanti nihil aliud jura tribuat, quam

quam ut filius adoptivus in ejus ædibus ali, & educari, eidemque ab intestato succedere possit.

VENDERE.) Conf. L. 2. C. de Patr. qui fil. distax.

§. X.

ALICVI.) Factum hoc in specie Jure Rom. quo matrimonium, neglecto consensu patris, in cuius potestate filius, filiave, existit, ipso jure nullum, & invalidum, habetur, nullumque effectum, qui alias legitimas nuptias consequitur, producit.

§. XI.

OFFICIUM.) Quo intuitu Jur. Romano competit adversus parentes actio de partu agnoscendo.

§. XII.

EGESTATE.) Unde etiam liberi in subsidium suos parentes alere tenentur, atque ad hoc compelli possunt.

CAP. IV.

§. I.

ULTRO.) Natura enim, quæ omnes æquales produxit, servi non dantur; nec tales sunt, quos Aristoteles natura servos appellat, cum per illos tantum homines stupidos significet.

BELLO CAPTIS.) Cum enim in infinitum hosti nocere, atque adeo captos occidere liceat, permittum quoque intelligitur, eos servare, & ministeriis addicere, quippe quod minus est, quam mortem inferre.

M 5

NVL-

**NULLA.)** Sic hodie inter Christianos servi liberi homines sunt, nec, nisi mercede conducti, operas præstant; exceptis illis, qui ab infidelibus capti, jure retorsionis in servitum detruduntur.

## §. II.

**GRAVEM.)** Modica enim coërcitio dominis etiam in statu civili permessa esse intelligitur.

## §. III.

**PERPETVVM,) Quales servi, præsertim inter gentes moratas, rariores sunt; eorumque conditio æstimanda est ex legibus contractus, quo ad perpetuum ministerium se adstrinxerunt.**

## §. IV.

**REMISSA.)** Posteaquam enim semel hosti capto fides de parcendo data est, hostis esse desinit, eisdemque perinde, ut alii, fides servari debet; unde consequitur, vitam ipsi postea citra justam, & gravem causam, eripi amplius non posse.

## §. V.

**TRANSFERRI.)** Intelliguntur enim tales servi velut in patrimonio esse, adeoque perinde, ut alia res & bona, in commercium veniunt; quem in sensum plurimæ Leges in Jure Romano proposita extant, & hodie, propter talem servitutem abrogatam, applicari vix possunt.

## §. VI.

**MATRIS.)** Jure Rom. tamen in favorem libertatis constitutum est, ut partus ingenuus esse debeat, cujus mater vel ad momentum fuit libera, five

sive tempore conceptionis, sive tempore gesti uteri, sive denique tempore partus.

## CAP. V.

### §. I.

**CIVITATVM.**) Civitas describi potest, quod sit cœtus perfectus liberorum hominum, juris fruendi & communis utilitatis gratia sociatus.

### §. II.

**PER NATVRAM.**) Quæ Aristotelis opinio est, existimantis, hominem nasci ζῷον πολιτικόν, atque adeo eum per naturam rapi ad vitam civilem.

### §. III.

**CONSIDEREMVS.)** Consideratio hæc eo pertinet, ut intelligamus, hominis naturam ita factam haud esse, ut ultro, & sponte, citrà alterius cujusdam utilitatis respectum, cum aliis in statu civili vivere velit, atque adeo hominem sua natura animal politicum haud esse.

### §. IV.

**BONVM SOCIETATIS.)** In statu enim civili valet regula: Salus populi, seu totius civitatis suprema Lex est, quamvis eadem forte unius alteriusve civis interitum involvat; atqui ab hoc quisque homo per naturam maxime abhorret.

### §. V.

**BONVM CIVEM.)** Cum hoc vir bonus confundi haud debet; talis enim in statu naturali etiam quisque esse potest.

### §. VI.



## §. VI.

**FEROCIVS.)** Omnia vitia, & inclinationes naturales, quæ in hæc §. occurrunt, conditioni civium repugnant, & liquido demonstrant, causam impulsivam civitatum condendarum, non in ipso homine quærendum, sed ab externo principio repetendum esse.

## §. VII.

**PRINCIPALIS.)** Non ergo hæc unica, & adæquata causa est, sed & spes sufficientiæ & abundantiæ homines ad civitatem constituendam invitasse intelligitur.

## §. VIII.

**ADSTRINGANTVR.)** Nullum vero excogitari promptius, & commodius remedium potest, quam, quod in civitatibus datur, ubi singuli universorum viribus tuti degunt, & contra injurias præsentissimum a magistratu auxilium est, quo illæ reprimi ac refrenari possint.

## §. IX.

**DIVINI NUMINIS.)** Præsertim, cum hæc pauci reperiantur homines, qui id agunt, ut omnem sensum Numinis Divini exuant, & vel ejus existentiam extrema impietate negare audeant. Apud hos igitur metus Divinæ vindictæ, & ratio conscientiæ, tantam vim habere nequit, quantum habet metus pœnæ per Magistratum imponendæ.

CAP.

## CAP. VI.

## §. I.

**CONJUNGI.)** Scilicet ratione loci etiam; cum in distantibus locis seorsim a se invicem degentes non ita facile sibi invicem succurrere, & auxilium mutuo prestare possint.

## §. II.

**INSIGNEM.)** Quæ alibi major, alibi minor est; quamvis enim etiam in statu naturali familia sapius ex pluribus capitibus constet; hæc tamen tot numero esse haud solent, ut se contra invasionem plurium familiarum, sese conjungentium, satis tueri queant.

## §. III.

**PACTO.)** Pactum enim, per se spectatum, in hominibus malitiosis, quorum maximus numerus est, sat debilem vim habet, eos ad officium suum faciendum compellendi. Igitur necessum erat, ut illi, qui in civitatem coituri essent, remedium aliquod invenirent, quo quisque ad id, quod semel placuit, deinceps faciendum promte adigi, ac reluctantes & refractarii coerceri possent.

## §. IV.

**OMNIVM.)** Nempe si designetur aliquis, vel aliqui, cujus, vel quorum voluntas deinceps pro omnium voluntate haberi debeat, de quo in §. seq.

## §. V.

## §. V.

HOMINIS.) Qui Princeps, seu Monarcha, dicitur.

CONSILII.) Quod fit in Aristocratia, & democratia.

SECURITATEM COMMVNEM.) Secus ergo est, si forte Princeps in Legem Divinam delinquit, & sic scelera committat; sic enim ejus voluntas pro subditorum voluntate haberi nequit.

## §. VI.

RESIGNAVNT.) Scilicet per pactum, & consensum, unde obligatio oritur, ad quam explendam quis deinceps a potestate civili, invitus licet, compelli potest.

## §. VII.

EXTRA.) Et sic nec commoda, nec onera civitatis, ad ipsum pertinebunt; sed intelligitur tali casu in statu naturali manere.

## §. VIII.

FORMA.) Monarchica illa, Aristocratica, aut Democratica esse debeat; item an Monarchia absoluta, an vero limitata, & certis Legibus circumscripta, introduci debeat.

## §. IX.

OBSTRINGVNT.) Ex hoc secundo pacto demum immediate oritur obligatio reciproca inter imperantes, & subditos; nihil quoque interest, pactum hoc expresse, an tacite sit initum.

## §. X.

RES PROPRIAS.) Quae dicuntur res civitatis, sunt-

suntque vel in specie tales, quarum usus ad singulos cives spectat; vel in patrimonio civitatis existentes, quarum nec usus, nec proprietas singulorum est.

§. XI.

FINEM.) Hoc est, ad communem defensionem, & securitatem.

§. XII.

QUOTA.) Exemplum est in electione Syndici, ubi Jure Civili requiritur, ut ad illam 1) singula membra universitatis sint citata, 2) ad minimum duæ tertiæ partes præsentem sint, & ab his 3) ex pluralitate votorum electio sit facta. Vid. *Tit. ff. Quod cujusque universitatis nomine vel contra eam agatur.*

§. XIII.

NON HABENTVR.) Obligantur tamen tantisper Legibus civitatis, præsertim, si ibi delinquant, aut actum celebrare velint, qui per Leges civitatis certis solennitatibus constare debet; v. g. si testamentum condendum.

§. XIV.

A DEO.) Celebris quæstio est de Origine Majestatis, & an illa immediate a Deo repeti possit. Recte hoc negat Autor. Majestas enim, ut hæcenus demonstratum est, nonnisi ex pactis, quibus civitas coaluit, immediate resultat, approbante tamen hoc institutum Numine Divino, idemque antecedenter præcipiente. Confer. *Job. Frid. Hornius de Civitate, Lib. 2. Cap. 1. Alb. in Comp. Jur. Nat. Orthod.*

*Orthod. P. 2. c. 14. & Comm. ad Grot. d. 7. & P. Lib. 1. cap. 3.* Nec approbanda videtur distinctio, qua utuntur, inter designationem personæ, cui Majestas sit conferenda, & ipsam Majestatis collationem. Nam & hæc a pacto, quod plures se unius hominis, vel concilii voluntate submiserunt, esse, intelligitur.

## CAP. VII.

### §. I.

**PARTES.**) Majestas sive Summa Potestas concipi potest tanquam totum potestativum, quod plures partes potentiales complectitur; quæ nihil aliud sunt, quam jura majestatica, ex quibus illa constat.

### §. II.

**GENERALES REGVLAS.**) Hæc varii generis sunt, imprimis vero distinguuntur in edicta, rescripta & decreta; illa proprio motu a Principe emittuntur, ista ad aliorum consultationem, hæc vero dicuntur, quando Princeps causa cognita inter litigantes ipse pronunciat.

### §. III.

**OPVS EST.**) Hinc quævis Lex perfecta duas partes continere intelligitur, unam, quæ præscribit, quid faciendum, vel omittendum; alteram, quæ designat, quod malum manere debeat illis, qui Legem transgrediuntur, quæ posterior pars, si expresse haud sit poena, arbitrio Judicis relicta censi debet.

### §. IV.

§. IV.

LITES.) Dicitur alias facultas judiciaria, quam Princeps vel ipse immediate, vel, quod plerumque fieri solet, per alios exercet; ut tamen regulariter præscribere soleat modum procedendi, qui circa cognitionem, & decisionem causarum controversarum servari debeat.

§. V.

CONGREGARE.) Jus belli, & pacis, ut & fœderum, præcipuum aliquod jus Majestaticum esse, intelligitur, a Summa Potestate inseparabile, & quod ad finem civitatum communem directo facit.

§. VI.

IPSIVS VICE.) Unde jurisdictio, qua Magistratus gaudet, sive personalis illa, & administrativa, sive patrimonialis sit, semper subordinata est summæ potestati, atque ab ea, tanquam fonte, & origine sua, radicaliter dependet.

§. VII.

SEPONANT.) Quo pertinent bona domanialia, die Domainen-Güter, quæ patrimonialibus Principum bonis contradistingvuntur.

§. VIII.

DOCTRINIS.) Tales vero sunt omnes illæ, quæ in S. Scriptura traduntur, & vel imprimis rebus civitatum fini conformes sunt.

§. IX.

CONNEXÆ.) Scilicet sunt indivisibiles, ita ut omnes penes unum hominem, vel unum concili-

N

um,

um, esse debeant, ad hoc ut forma Reip. regularis sit.

## CAPVT VIII.

### §. I.

**DIVERSAS.**) Igitur variaz Reimp. Formaz ex subiecto inhaesionis, quod vocant, seu, in quo summa potestas inest, resultant, & aestimari debent.

### §. II.

**VNO SVBJECTO.**) Unde liquet, regulari Reimp. formaz non convenire duplex, quod aliqui fingunt, majestatis subiectum proprium, & commune; & hinc divisionem majestatis in personalem, & realem, omni fundamento destitui.

### §. III.

**TRES.**) Ex quo consequitur, Republicas, quas mixtas dicunt, regulares haud esse.

### §. IV.

**COMMODITATEM.**) Hac in eo imprimis consistit, quod in Monarchia ab unius hominis voluntate pendeant omnia, & hinc dissensus, qui saepe negotia remoratur, metui haud debeat; deinde, quod in illa celeriter consilia capi, melius celari, & promptius executioni dari queant.

### §. V.

**SPECIES.**) Quas tyrannidem, oligarchiam, & ochlocratiam &c. appellant.

### §. VI.

**DESTITVITVR.**) Quod saepius in hereditate

tus, & successivis regnis, quam in electivis, usu-  
venire solet.

§. VII.

FACTIONIBVS.) Vitium hoc æque in statu  
populari, ac Aristocratico, valde frequens est,  
ejusdemque exempla inprimis historia Romana sug-  
gerit.

§. VIII.

TEMERE.) Hoc vitium in omnibus Rebusp.  
damnandum est; ac eorum, qui summæ rei præ-  
sunt, levitatem, & inconstantiam, arguit.

§. IX.

SOLA.) Ita, ut satis ipsis esse debeat, Legem  
manifeste contra Jus Naturæ, aut Divinum, haud  
esse; quamvis forte rationem illius ignorent.

§. X.

TARDE.) V. g. si forte publica Lege captum  
sit, ut vel unius dissensu totius concilii conclu-  
sum impediri, aut rescindi, possit.

§. XI.

VOCABVLA.) Peculiares tamen hinc species  
Rerump. male fingi, supra §. 5. monitum est.

§. XII.

PÉRFECTE.) Breviter: Toties Respublica ir-  
regularis emergit, quoties in universum tota ma-  
jestas non in uno, vel homine, vel concilio, existit.

§. XIII.

PÉRFECTÆ.) I. e. quarum una ab altera non  
dependet, sed omnes, seorsim spectatæ, summa  
potestate gaudent.

N 2

§. XIV.



## §. XIV.

NON COALESCANT.) Exemplum potest esse in Regno Angliæ, Scotiæ, & Hyberniæ; quamvis hæc tria regna, superiori tempore, sub Magnæ Britanniæ nomine arctius unita fuerint.

## §. XV.

FOEDERE.) Exemplum Cantones Helveticorum, nec non septem provinciæ Belgicæ confederatæ, præbere queunt.

## CAP. IX.

## §. I.

SVMVM.) Quod tamen non statim est absolutum; illud enim solam dependentiam excludit; summitati vero non repugnat, certos limites, & terminos habere.

## §. II.

POENIS HVMANIS.) Ex quo consequitur, nullum Imperantem ad tribunal aliquod, ne quidem totius Reip. trahi, multo minus poena capitali, aliave, affici jure posse.

## §. III.

LEGIBVS) Adeoque Leges humanæ, & mere civiles, neque vim coactivam, neque directivam, in Principem habent, ut hinc distinctio illa merum sit quorundam Dd. figmentum.

• VT TALIBVS.) Secus enim est, si Leges Civiles simul Naturales, & Divinæ sint; catenus enim sine dubio omnes imperantes ligant.

• DECORVM.) Conf. imprimis L. 4. C. de LL.

adeo-

adeoque distingvendum est inter obligationem Legis, & inter ultroneam, sive spontaneam submissionem; hæc locum habere potest in Legibus Civilibus; non illa.

§. IV.

STRINGENT.) Unde moderamen inculpate tutelæ nunquam adesse intelligitur, si quis Principi suo aggressori resistat.

§. V.

PERPETVORVM.) Dicuntur talia statuta Leges fundamentales; v. g. in Imperio Romano Germanico. Capitulationes. Cæsareæ.

§. VI.

CERTIS LIMITIBVS.) Quod tum inprimis usvenire solet, si de gravioris momenti negotiis nonnisi publice in Comitibus, vel Parliamentis, ut vocant, statui possit.

§. VII.

CERTO RESPECTV.) Cum enim usufructuarius nonnisi jure servitutis personalis ex re aliena fructus percipiat; comparatio ejus cum Principe, & imperante, non per omnia procedit.

CAP. X.

§. I.

CONSENSVS.) Sive expressus, sive tacitus; sive liber, sive per vim, & metum, elicitus.

§. II.

JVSTA.) Nam si bellum nulla, vel injusta, causa susceptum sit, victoria obtenta legitimum dominium

dominium haud tribuit; sed victor, qui regnum sic occupavit, invasor, & usurpator, vocatur; quem tamen, si semel regnum occupatum teneat, & possideat, a novis subditis occidi non posse, ex indole pactorum manifestum est.

## §. III.

**VLTRONEO.)** Non adeo liquidum est, placidus, an violentus, imperium consequendi modus antiquior; valde tamen probabile, olim unum, alterumve, ex patribus familias potentia, & opibus, eminentem, imperium in vicinos ad se traxisse, adeoque antiquissimum constituendi imperii modum fuisse violentiam.

## §. IV.

**INTERREGNUM.)** Quo durante, summa potestas ad integrum populum, sive civitatem, reversa esse intelligitur; ut ex hoc solo constet, Majestatis originem incongrue referri ad Deum, tanquam immediatam causam; stante siquidem hac hypothese; tempore interregni penes populum existere haud posset, sed caelo delapsa, in coelum reverti deberet; ut hinc constet, non nisi per pacta, volente, & approbante, DEO, Majestatem conferri.

**INTERIM.)** Sic v. g. in Imperio Rom. durante interregno, summa Reip. administratio penes binos Electores, Saxonem, & Palatinum, est.

## §. V.

**ELECTIO.)** Hodie, in Europa praesertim, pauca regna supersunt electiva: Obtinet tamen huc  
mo.

modus habendi imperium adhuc inter Germanos,  
& Polonos.

§. VI.

IN PATRIMONIO.) V. g. si quis armis regnum acquisiverit; de hoc enim perinde, ut privatus de suo patrimonio, libere disponit.

§. VII.

INDIVISVM.) Quod jus primogenituræ appellatur, & imprimis ad conservandum familiarum splendorem, regnorumque potentiam, facere solet.

§. VIII.

QUANTVM.) Per hanc restrictionem indicatur, ordinem successionis in regno non omnino convenire cum eo, qui circa privatorum hereditates receptus est.

§. IX.

PARI GRADV.) Nam & in feudis foeminiis nonnisi in subsidium, & quando masculi deficiunt, foeminae ad successionem admittuntur.

§. X.

PROPIORE.) Hinc nepos, pronepos &c. ex primogenito filio, patrum, & patrum magnam, quamvis defuncto Regi propius conjunctum, in successione excludit.

§. XI.

DEFECERINT.) Scil. in eadem linea; nam masculi, in alia linea constituti, licet defuncto propiores, non attenduntur, quamdiu in proprio linea persona adest, regni capax.

EXCLVDIT.) Cujus generis fertur Lex Salica esse, inter Gallos celebratissima.

§. XII.

REGIA.) Nisi forte hi arbitri suspecti sint, & commodum aliquod ex controversia sperent, aut incommodum metuant; tunc enim ad extraneos arbitros, extra familiam regiam constitutos, curandum.

CAP. XI.

§. I.

OFFICIUM.) Quantumvis enim absoluto quis imperio gaudeat; nunquam tamen in eo deficit obligatio in ordine ad subditos, ex qua officia resultant.

§. II.

NIHIL FACIUNT.) Adeoque illa inprimis, quae mere theoretica sunt, nullamque in vita communi, speciatimque in Rep. administranda, utilitatem afferunt.

§. III.

LEX.) Contra hanc Legem peccat dominatus, & tyrannis. Ille dicitur, quando is, qui rerum potitur, primario omnia ad propriam utilitatem refert; commodum Reip. suae vero & subditorum non nisi secundo intendit; haec appellatur, quando Princeps unice propriam utilitatem respicit.

§. IV.

PLURA ILLA.) Cujus principia cum sine civitatum semper conspirant; dantur tamen ali-

cubi Leges fundamentales, quæ certas religiones, quævis forte haud orthodoxas, tolerare jubent; hujusmodi Leges a Principe servandas esse, per se loquetur.

§. V.

LEGES.) Hæ commendantur a brevitatem, perspicuitate, paucitate, & firmitate.

§. VI.

VENIAM.) Potest tamen Princeps in delictis, jure humano puniri, suo arbitrio veniam delinquentibus dare; quod jus aggratiandi vocatur, & ad jura majestatica pertinet; quo tamen ut parca, & raro, imperantes utantur, prudentia politica omnino svaedet.

§. VII.

PROPORTIONEM.) Hæc tamen non æstimari debet ex objecto, sed ex securitate, & tranquillitate Reip. unde pœna capitalis, in fures statuta, nihil continet principiis Juris Naturalis adversum.

§. VIII.

PRIVATA VIOLENTIA.) Cujus speciem cum habeas retorsio, etiam hæc prohiberi utile fuerit; sicut hoc nuper in Saxonia factum; in recentiori edicto de duellis proposito.

§. IX.

QUERELIS.) Præsertim si hæc propter denegatam, aut protractam, justitiam, contra ipsos magistratus sint directæ.

N 5

§. X.

## §. X.

IMMUNITATES.) Unde etiam hæc semel concessæ, quatenus in aliorum concivium præjudicium tendunt, strictissime intelligi, neque ad onera extraordinaria extendi debent.

## §. XI.

LEGES SVMTVARIAS.) Hujus generis Leges quidem passim extant; sed experiendo tamen discimus, raro illas executioni dari; quod tamen fieri, utique publica utilitas svadet, ne cives superfluis, & justo majoribus, sumptibus onerentur, atque ad incitas redigantur.

## §. XII.

SACRO.) Unde consequitur, ne quidem a Pontifice Romano subditos in sacris dependere debere; nam summa potestas æque in sacris, ac profanis, intra limites cujusque territorii, ac civitatis, sese continere debet.

## §. XIII.

JVSTA.) Satius ergo est, & prudentiæ imperandi congruum, ut tali casu potius per arbitros, aut alia amica via, controversia componatur.

## CAP. XII.

## §. I.

DECRETA.) Seu Leges Civiles sunt Regulae, a Supremo Imperante præscriptæ, secundum quas cives actiones suas instituere debent, ut sint justæ; & secundum quas actionum bonitas, & malitia, æquitas, & iniquitas æstimatur.

## §. II.

7

§. II.

VNDECVNQVE.) Hoc igitur sensu etiam Leges Naturales, & Divinæ positivæ universales, Legum Civilium nomine veniunt; quatenus nempe earum sanctio a legislatore humano repetita, & certis pœnis corroborata est.

§. III.

LEGIS CIVILIS.) Quod fit, si in transgressores Legis Naturalis certæ, definitæque, pœnæ, sanciantur.

§. IV.

IMPVNE.) Referri huc possunt pravæ cogitationes; quarum pœnam, si in externos actus haud erumpant, nemo in foro civili patitur; salva tamen pœna, in foro Divino infligenda.

§. V.

MAGISTRATUS.) Quem si quis non imploverit, in foro civili, sive Romano, jus suum amittit. Vid. L. 13. ff. *Quod metus causa*, & L. 7. C. *Vnde vi*.

POTISSIMUM.) Neque enim Jure Romano omnia expressa pacta actionem producant; cum dentur pacta nuda, quæ nullum jus agendi pariunt.

§. VI.

DETERMINARE.) Quod factum v. g. circa ultimas voluntates, & contractus.

§. VII.

CIRCUMSCRIBERE.) Pertinet huc jus reve-

nan-



nandi, piscandi, metalla effodiendi, lapillos, gemmas, in litore maris inveniendi.

§. VIII.

PARENDEM.) Supposito nempe statu civili adeoque hoc præceptum Juris Naturalis non est absolutum, sed hypotheticum, idemque in S. Scriptura repetitum.

§. IX.

PROPRIO NOMINE.) Quod si tale quod subdito ab imperante injunctum sit, quod Legi Naturali, atque Divinæ, repugnat, modeste factum imperatum declinare, & causas recusationis allegare debet; quod si Princeps nihilominus instet & manifeste contra Jus Naturæ, vel Divinum, factum sit, extrema potius omnia perpetienda, quam conscientia negligenda.

## CAP. XIII.

§. I.

DEFENSIONEM.) Hoc enim juris summo imperanti per pactum, quo civitas sese ipsi submitit, datum intelligitur.

§. II.

VOLUNTATEM.) Unde Varroni quondam a S. P. R. grates decernebantur, quod, rebus infelicitate gestis, de vita servanda cogitasset. Vid. *Livius Annal. Lib. 22.*

§. III.

POTEST.) Nam non tenetur, sed in arbitrio legislatoris est, quam poena coercere delicta

ita velit; nisi fortasse hæc Juri Divino universali determinata sit, ut in homicidio.

§. IV.

**MALVM ACTIONIS.)** Seu propter delictum; unde liquet, pœnam, proprie dictam, non cadere in bruta; nec talem esse simplicem sensum mali passionis, qualis interdum, per dispositionem Legis humanæ, etiam in liberos, quamvis non deliquerint, transit; v. g. in crimine perduellionis.

**ACTIONIS.)** V. g. Si quis propter delictum ad opus publicum, triremes, aut metalla, condemnatur.

§. V.

**TANTVM.)** Unde nunquam summi Imperantes a quoquam, multoque minus a subditis suis, tanquam propter delicta admitta, puniri queunt.

§. VI.

**ANIMVM PASCAT.)** Unde neququam approbanda indignatio illius imperatoris, qui ægre ferbat, acerbiter pœnæ cum morte finiri.

§. VII.

**FINIS.)** Breviter dici potest, finem pœnarum esse triplicem: 1) emendationem, respectu lædentis, 2) satisfactionem, respectu læsi, 3) præcautionem, sive ut læsio hujusmodi in futurum evitetur.

§. VIII.

**PLERISQVE.)** Jure Rom. novo, & hodierno,

no, nonnisi modica castigatio in servos, & re  
quam familiam, patribusfamilias relicta est.

## §. IX.

APPARATUS.) Unde non facile pœnæ claræ  
& remotis arbitris, executioni dari, sed palam,  
publicè, infligi debent, cum alias hic finis communi  
de obtineri haud possit.

## §. X.

PARI MODO.) Scil. per pœnas, publicè,  
in omnium conspectu inflictas.

## §. XI.

COGITATIO.) Scil. mèra, & simplex, quæ  
per nullum omnino externum actum sese exercit  
unde regula Juris, quod cogitationum pœnarum  
nemo patiatur. *L. 18. ff. de Pœnis.*

## §. XII.

HVMANIS.) Nam in foro Divino etiã m  
nutissimi lapsus merentur pœnam; & si ex pro  
zerefi proveniant, pro peccatis mortalibus repu  
tantur.

## §. XIII.

SPLENDIDIOR.) V. g. Liberalitas erga pau  
peres.

INQUIETARI.) Sic læsio minoris momenti  
& quæ non est ultra dimidium, in foro civili haud  
attenditur.

## §. XIV.

INGRATUS.) Unde nec actio aliqua adversus  
ingratum in foro humano datur. Et illa, quæ  
aliqui vocant, actio ingrati, merum figmentum est.

## §. XV.

§. XV.

GRAVES CAUSAS.) Ad evitandam inaequalitatem, quae semper inter cives odiosa est.

MULTITUDINEM.) Hoc in bello saepius attenditur, ut quandoque, ducta sorte, tantum decimus, vigesimus &c. poenae subiciatur.

§. XVI.

SEPIVS.) Praesertim in eodem genere delicti, & an propter antecedentia delicta jam admonitus, seu punitus fuerit; quod hodie imprimis circa poenam furti, extra Saxoniam, attendi solet.

§. XVII.

LEGIBVS DEFINITÆ.) Ad has enim Judex simpliciter adstrictus est; neque poenam ob circumstantias concurrentes aliter exasperare valet, quam si, eandem legislatoris intentionem fuisse, manifeste appareat.

§. XVIII.

ÆTAS.) In foro tamen civili sufficit, puberem aliquem esse, seu decimum quartum ætatis annum implevisse, ut poena etiam capitalis infligi possit.

§. XIX.

NON CONSENSERIT.) In delictis enim, ab universitate admissis, pluralitas votorum non attenditur, & soli consentientes poenam incurrunt; modo dissentientes, debito tempore, dissentium suum allegent.

§. XX.

## §. XX.

ALIOS.) Sic ex bello injusto, quod Impera-  
gerit, etiam innocentes cives affliguntur.

## CAP. XIV.

## §. I.

EXISTIMATIO.) Connexio hujus capituli cum  
precedentibus in eo consistit, quod imperium  
civile sese exerat etiam definiendo valorem seu exi-  
stimationem civilem.

## §. III.

HABEATUR.) Unde etiam præsumtio sem-  
per est pro integritate existimationis simplicis, qua  
quis vir bonus esse censetur.

## §. IV.

DOLO MAEO.) Nam si forte ex infirmitate  
humana aut culpa, ac negligentia, citra proaresin,  
alios quis læserit, & contra Legem Naturalem  
fecerit, existimatio simplex per hoc non amit-  
titur.

## §. V.

VLTRO) Secus est, si quis per vim adactus  
restitutionem damni obtulerit; talis enim animus  
nocendi nondum exuisse præsumitur.

## §. VI.

DIRECTE.) Quale vitæ genus piratæ, præ-  
dones, & latrones, exercent, omnis proinde existi-  
mationis expertes.

## §. VII.

INTRA CIVITATES.) Breviter, consistit in  
eo,

eo, quod quis pro honesto, & bono cive, habeatur.

§. VII.

QVIBUSDAM.) Tales servi apud Romanos imprimis erant. Vid. *L. 32. ff. d. R. 7.* Apud nos vero hodie servi, tanquam liberi homines, existimationem simplicem in civitate retinent.

§. IX.

DAMNETVR.) Exemplum imprimis est in crimine perduellionis.

§. X.

NVDI MINISTRI.) Hic enim qui simplicis instrumenti instar se habeat, factum non ipsi, sed ei, cujus iussa exequitur, imputandum est.

§. XI.

INSVNT.) Hæc igitur existimatio suos gradus habet, & semper simplicem includit.

§. XII.

POSTVLARI.) Adeoque, ubi alter jus perfectum habet ad exposcendum majorem honorem, quam qui ex simplici existimatione fuit.

§. XIII.

EGREGIE.) Sive bello, sive pace; unde huc æque togata, ac sagata, virtus pertinet.

§. XIV.

IMPERIO.) Cujus intuitu Princeps a cive, pater a filio, heres a servo, & præfectus a milite, honorem poscit.

§. XV.

PRÆCEDENTIA.) Regulariter igitur Principes,

pes, & Reges, pares censentur esse, nec alter sibi præ altero prærogativam asserere valet; nisi prædictum, vel observantia, ostendi possit.

## §. XVI.

TVETVR.) Quia scilicet jus perfectum habet, ex voluntate Principis quæsitum; quod proinde adversus concives recto urget.

## CAP. XV.

## §. I.

ARBITRIO.) Modo voluntatem suam eo tempore declaraverint, quo bona in cives transtulerunt; nam si translatio simpliciter facta, manifestum est, non posse ex postfacto Legem quamcunque adjici, & præscribi, nisi quæ ex sine civitatum sponte consequitur, & fluit.

## §. II.

TRANSFERENDORVM.) Quæ nempe res quæsitæ concurrere debeant, ut dominium rerum nostrarum in alios transire possit. Sic v.g. quod translatio hæc sine traditione fieri haud possit, ex merito Jure Civili est; cum ex ratione naturali, solo pacto, non accedente licet traditione, dominium in alios derivari possit.

## §. III.

QVAM GRANDIA.) Quo intuitu illud Græbellæ genus, quod accisæ nomine venit, ut plurimum commendari solet.

## §. IV.

COLLATIONE.) Quo pertinet Lex Rhodiæ

de

de jactu, quæ & ipsa ad hunc casum applicari potest.

§. V.

NEUTRVM.) Unde talia bona domanialia, de facto alienata, a successoribus passim devocari, & coronæ reuniri solent.

§. VI.

PARTIS.) Conf. *Grotius de J. B. & P. L. 2. c. 6. §. 4. & seqq.*

INVITA.) Propter pactum, quo semel in imperium civitatis consensit.

CAP. XVI.

§. I.

PAX.) Secus, atque *Hobbesius* vult, qui omnium adversus omnes naturaliter bellum esse, existimat, propterea passim ab aliis refutatus.

§. II.

JUSTÆ CAUSÆ.) Breviter: Causa belli justa est injuria, vel jam illata, vel certo inferenda, adeoque per vim tempestive propulsanda.

§. III.

TITVLO.) Imo & sine titulo sola possessio, præsertim quieta, & diuturna, jam efficit, ut alter non statim bellum eligere, sed amica consilia, quantum fieri potest, præferre debeat.

§. IV.

SIMILIA.) Quo etiam prætextus religionis pertinet, seu conversionis ad fidem Christianam,



quo aliquos olim, in subjugandis Indiæ populis, usos fuisse, constat.

## §. V.

DOLO.) Quo pertinet illud, dolus, an virtus quis in hoste requirat? fides autem, semel data, adversus hostem propterea violari nequit, quia omnis violatio pacti est contra Jus Naturæ.

## §. VI.

SINE INJURIA.) Potest autem, citra injuriam, omnia pati, quæ sine violatione alicujus pacti inferuntur; hinc generale principium est, quod hosti in infinitum nocere liceat.

## §. VII.

MINVS SOLENNE.) Quale bellum quandoque licitum, ut si in subditos rebelles geratur; quandoque illicitum, & injustum, cujus generis Jus Gentium omne illud habetur, quod non præcessit indictio.

## §. VIII.

MAGISTRATVS.) Hic enim tantum ea exequi potest, quæ a Superiore mandata sunt; unde si bellum, citra illius consensum inchoet, præsertim offensivum, crimen læsæ Majestatis committere, intelligitur.

## §. IX.

COMMVNI.) Neque enim quisquam Legè Naturali prohibetur, noxium ex aliena provincia profugum recipere, si de nulla alia re, quam poena declinanda, questio sit.

## §. X.

§. X.

REPRESSALIÆ.) De quibus notandum, quod inter ejusdem civitatis membra locum habere non possint, cum illis læsionem illatam non proprio ex arbitrio, & autoritate privata, persequi liceat; sed semper in promptu sit Superior, cujus auxilium implorari potest, & debet.

§. XI.

COMPREHENSVM.) Atque adeo Leges fœderis initi diligenter inspiciendæ sunt; pro socio enim, qua tali, etsi non expresso pacto aliud continetur, arma capere nemo tenetur, nisi forte ex generali, & communi cognatione, quæ inter homines est.

§. XII.

VILES.) Neque enim hi modi sunt contra Jus Naturæ, quippe quo hosti in infinitum, & quacunque ratione, nocere licet.

§. XIII.

NON SIBI.) Cum enim milites pro opera, in bello præstita, mercedem accipiant, nihil ulterius præ pretendere queunt, nisi quantum ille, cujus auspicio bellum geritur, ex liberalitate, & benignitate, indulsit.

IN PRÆDAM.) Nisi sint res mobiles pretiosiores; v. g. tormenta bellica.

§. XIV.

FIDEM.) Nam & hoc genus imperii plenam virtutem, & vim suam demum per pactum accipit,

cipit, quo victi novum imperium agnoscunt, se-  
que victori submitunt.

## §. XV.

MANENTE BELLI STATV.) Hæc verba in-  
dicant differentiam specificam inter inducias, &  
pacem.

## §. XVI.

TACITÆ.) V. g. si partes belligerantes tantis-  
per, dum cadavera sepeliunt, ab actibus hostilibus  
utrinque cessent.

## §. XVII.

RECIPIVNT.) Quales vulgo Garanteurs ap-  
pellari solent, nec, nisi ultro, ac volentes, hoc,  
quicquid est oneris, subeunt.

## CAP. XVII.

## §. I.

FOEDERA.) Jus foederum ad Jura Majestatis  
pertinet, & ex Jure belli, & pacis, fluit.

## §. II.

SANCITVR.) Huc referendum est foedus,  
quod Lacædemonii olim cum Rege Persarum in-  
terant, quo inter alia illi pollicebantur, se nec  
Asiam manu armata invasuros, nec tributa a Per-  
sis exacturos, nec alio modo eosdem læsuros  
esse.

## §. III.

ÆQUALIA.) V. g. si conventum sit, ne alter  
in alterius confinio nova castella extruat, cives re-  
belles recipiat; item ut cives utriusque confœde-  
rati

rati Principis ad portus accedentes reciproce nullam vectigal solvere debeant.

§. IV.

PROPORTIONE.) V. g. si unus duplo majorem militum numerum tempore belli mittere debeat, quam alter.

§. V.

CVM CONSENSV.) Huc spectat foedus inter Romanos quondam, & Carthaginenses, finito bello Punico secundo initum, quo hi promittebant, quod bellum nemini, citra consensum Romanorum, inferre vellent.

§. VI.

PERPETVAM.) Quo referri potest systema civitatum inter Belgas, & Helvetios.

§. VII.

EXPIRANT.) Qualia in dubio non censentur esse foedera, sed realia praesumuntur esse, adeoque perpetuam vim obligandi habere.

§. VIII.

IPSE VIDERIT.) Unde prudentia ministri exigit, ut sine praevio mandato, & consensu principis, vel nihil promittat, vel certe sub conditione hoc faciat.

## CAP. XVIII.

## §. I.

**COMMUNI OBLIGATIONE.)** Quæ ex  
 Cæto, quo civitas coaluit, resultat.

## §. III.

**CVIVIS.)** Sub quocunque prætextu, sive p  
 fano, sive sacro.

## §. VI.

**INEPTVM.)** Imo & si vel maxime aptus  
 & habilem sese esse sentiat; nullis tamen illici  
 mediis, sed sola virtute, & meritis, ad officia,  
 honores, aspirare debet.

## §. VII.

**CONSIPIO.)** Sicuti autem consilarii & ip  
 varii generis sunt, distinctisque officiis funguntur  
 ita etiam unius generis non est obligatio, quæ i  
 dem incumbit; sed æstimandâ ex speciali munere  
 ipsius demandato.

## §. VIII.

**VERA.)** Eademque Libris Symbolicis confor  
 mis, a quibus si forte privatas ministri ecclesiæ o  
 piniones dissidere contingat, has non proppalare  
 sed ad Imperantem referre debet.

## §. IX.

**INANEM.)** Omnis enim disciplina, & scienti  
 ti

tia humana ex fine, scil. utilitate, quam Resp. inde percipere potest, aestimari debet; hinc explo-  
dendæ omnes illæ artes mere speculativæ, quæ ne  
indirecte quidem civitati profant.

§. X.

EXTRAHANT.) Sed potius operam dent,  
ut controversiæ enatæ, quantum fieri potest, per  
amicabilem transactionem componantur.

§. XI.

ADVERSVS REMPUBLICAM.) Quod offi-  
cium sapissime a Supremis Ducibus neglectum esse,  
eoque sæpius maximos motus excitatos, imo  
integrum Rerumpubl. statum conversum, &  
in aliam plane formam mutatum esse, historiarum  
monumenta ostendunt.

§. XII.

COMMILITONES.) Quo intuitu duella, &  
generatim læsiones omnes mutuae, ac privatæ, et-  
iam inter milites, gravissime coerceri, atque puni-  
ri debent.

§. XIII.

EXTEROS.) Describitur h. l. officium le-  
gatorum, apud externos versantium; ac in pri-  
mis dexteritas agendi, & silentium in illis com-  
mendatur.


## §. XIV.

NIHIL INTERVERTANT.) In quod delictum gravissima poena, eademque in nonnullis delictis capitalibus, statuta est.

## §. XV.

DESINUNT.) Quo casu etiam omnis obligatio expirat, quae antehac inter civem, & Imperatorem, mutuo intercedebat; idque ex generali natura pactorum fuit.

*F I N I S.*



HENRICI LVDOVICI  
WERNHERI,  
QVONDAM MORALIVM ET CIVIL.  
IN ACADEMIA VITEMBERG.  
PROF. P. ORD.

DISSERTATIONES  
JVRIS  
NATVRALES.



## DISSERTATIO I.

DE

Æqualitate hominum in statu  
Naturali.

## PRÆLOQVIUM.

**N**Agnam inter homines inæqualitatem deprehendunt, quæ quot vel leviter disparem eorundem formam, indolem a fortunam intuentur; quanta enim in solo vultu humano varietas! ut mirum videri possit, inter tot hominum millia vix binos esse, qui se penitus ore & habitibus corporis æquent. Prodeat simul, inquit *Jul. Firm. Lib. I. Cap. III. Astr.* Patres liberi, fratres, cum enim sit eadem omnium necessitudo sanguine juncta, diversa tamen formarum designatione cernuntur, nec invenitur aliquis ita similis ut non vultus ejus ab alterius vultu aliqua ex parte dissentiat. Cui disparitas hæc forte ratio subest, ne circa personas, quæ ob exactam oris & lineamentorum similitudinem difficulter alias a se invicem dignosci poterant, error, vel aliquid

qua officiorum perturbatio exoriretur. Nec minor circa ingenii dotes inæqualitas se prodit, quippe in aliquibus, præter naturalem animi in omnibus rebus subtiliter perspiciendis vigorem, incredibilis quædam, & prope singularis & divina vis ingenii ac memoriæ eminent, ut omnia in numerato habeant, & nati ad id unum videantur, quodcumque agunt; alios contra acuminis obtusioris & tardi videas, ut frustra, etiamsi omnes ingenii nervos intendant, in rimandis naturæ arcanis versentur, & raro quicquam, quod scriptione dignum esset, in lucem proferant. Quæcum diversitate morum etiam dissimilitudo conjuncta est, neque enim æqualiter omnes ad vitia vel virtutes excurrunt, sed prout cujusque animus affectus est, ita se moratum præstat. Auget hanc inæqualitatem varia, quæ homines per omnem vitam urgere solet, fortuna; uni simpliciter indulget, ut, suffragante ea, res maximas consequatur, & quicquid molitur, in laudem & gloriam cedat; alter per anfractus & labyrinthicas ambages ducitur, ut ab excitatione fortuna ad inclinatum & prope jacen-

tem paulatim desciscat, & anxie mihi  
 ores ejus vices expectet. In hac summa  
 hominum inæqualitate multa tamen ob-  
 currunt, in quibus se omnes æqualitate  
 habent, & communem subire sortem te-  
 nentur. Nos in præfenti eam Æquali-  
 tatem, quæ in ipsa natura & essentia ho-  
 minis fundata est, explicare aggredimur.  
 Cui labori nostro ut Numen Divinum  
 ex alto adspiret, submisisse & devote pro-  
 camur!

§. I.

**C**Um propositum nobis sit explicare æqua-  
 litatem hominum, non qualemcunque  
 sed eam, quæ in statu naturali obtinetur.  
 ordo naturæ pariter atque doctrinæ requirit, ut  
 ante omnia rationem ac indolem status naturalis  
 intimius scrutemur; ubi sub initium ambiguitate  
 tem & variam ejus acceptionem notamus. Sta-  
 tus naturalis (1) opponitur *Statui Gratia*, quo  
 fieri solet in scholis Theologorum, & tum deno-  
 tat miseram naturæ hominis corruptæ, & per lap-  
 sum depravatæ conditionem, prout omnem a  
 spiritualia aptitudinem excludit; ab aliquibus sta-  
 tus iræ ac purorum naturalium appellatur. (2)  
 Opponitur *Statui præternaturali*, quo sensu re-  
 ctum ac naturalem partium in corpore humano  
 positum ac fluxum significat. (3) Opponitur *Sta-*

*ani brutorum*, & hac ratione sistit nobis hominem ut hominem, seu communem omnibus hominibus conditionem, quatenus id præ bestiis habent peculiare, ut ratiocinari valeant, & Legislatorem summum agnoscere, & actiones suas exteriores secundum ejus præcepta dirigere. Vid. *Thomas. Jurispræd. div. Cap. XI. §. 50.* Qui ultimus significatus directe & proprie hujus loci est; primus enim ad Theologos potissimum, alter ad Physicos & Medicos spectat.

### §. II.

Hic status, si a vita civili & sociali abstrahatur, alias κατ' ἐξοχήν naturalis dicitur Scriptoribus J. N. de quo gravis inter ipsos ventilari solet quaestio: *Utrum ejusmodi status, in quem homo per naturam translatus concipitur, rationem Pacis, an Belli habeat?* Posterius omni modo tueri, ac propugnare contendit *Thom. Hobbesius*, qui, ut originem, atque initium societatum civilium a mutuo metu, & formidine, derivat: ita statum naturalem bellum dicit, non simplex, sed omnium in omnes, *Lib. de Cive, Cap. I. §. XII.* Plane uti *Rufendorf. de J. N. & G. L. II. §. V.* lepido simili, turbidum atque infestum piscium statum ex *Oppiano* describit: Πάντες ἀνάρσιοι ἀλλήλοισι δυσμονῆες πλώσσι, ὁ γὰρ κρατερώτερος αἰεὶ δαίσει τὸ ἀφαιροῦν, ἄλλω δ' ἐπινηχῆται ἄλλοπύμον ἄγων, ἕτερος δ' ἑτέρω πορσύνει ἐδωδὴν; εἰ δ' ἄλλοι μάλα πάντες ὀλέθριοι ἀλλήλοισιν ἔρχονται, τὸ καὶ ἕπον' εὐόψεω ὑπέποντας ἔλλο-

πῶς,

πας, ἀλλ' ἄρα τοῖσι καὶ ὄμματα καὶ νόος α  
 εὐρήσσει πανάυπιⓄ, ἐπει τρομέσαι μὴν α  
 Φέρετερον ἀντιόωντα, χρεσιτέρως δ' ἐλόωσι.

## §. III.

Verum hoc bellum Hobbesianum e diamet  
 pugnat cum natura, atque conditione homin  
 etenim homo, si in semetipsum secedat, facile i  
 telligit, animal se esse sociale, quod vitam cor  
 mode sustentare non possit, ni amice cum soc  
 conspiret, eorundemque studia, & propriam co  
 svetudinem obtineat; atque adeo tantum abe  
 ut ad turbas, & bella inclinet, ut potius, qua  
 tum in ipso est, aliorum animos & benevolent  
 am sibi conciliare contendat. Accedit & hoc  
 quod, stante hypothesi Hobbesiana, barbaræ l  
 centiæ, & tantum non quibusvis scelerum gene  
 ribus, fores latissime pandantur, quippe scelestis  
 simus quisque, nulla iusti vel æqui ratione habit  
 impune in aliorum vitam & bona grassabitur, id  
 que sub prætextu belli naturalis omnium in omne  
 Regerit quidem *Hobbesius* initio *Annotatianis su*  
*ad decimum art. Cap. I. de Cive*, quod quis fe  
 cerit in statu mere naturali, id injurium homin  
 nulli esse, quia iniustitia erga homines supponat  
 leges humanas, quales in eo statu nullæ essent.  
 Verum falsissima hæc est persuasio, quæ omni  
 injuria erga homines supponat etiam legem præ  
 cise humanam; sufficit enim, leges quasdam no  
 bis per naturam divinitus esse collatas, quæ, u  
 officia erga proximum non minus, quam ipsum  
 Deum

Deum, imperant, ac dirigunt; ita cessante etiam omni alia lege humana, vim tamen habent obligandi homines, eosdemque ab iniquitate, & injuria in alios, revocandi; quinimo arctius adstringuntur Lege Naturali, cum ab ipso Deo, summo Legislatore, profecta sit, quam alia quacunque Lege, a solo arbitrio, & voluntate humana pendente. Et sane *Hobbesius* sibi metipsum hac in parte non satis constare videtur, quum enim *Cap. II. §. 1.* disertis verbis doceat: injuria fieri, quicquid fiat contra rectam rationem; hoc ipso haud obscure innuit, injuria alium affici posse, utut forte nullam præceptum humanum, sed saltem divinum, idque naturale, quo recta ratio imbuta est, intercedat; atque hac ratione concidit etiam jus illud quidlibet agendi, quod unicuique competere putat *Hobbes.* ejusmodi enim jus, & libertas si admitteretur, tolleret omnem obligationem, quam Leges N. nobis injungunt.

#### §. IV.

Tripticem autem potissimum fontem belli sui omnium in omnes in statu naturali constituit *Hobbes.* præcipue in *Libr. de Leviath.* scilicet *Competitionem, Defensionem, & Gloriam,* ex quibus affectibus, & passionibus, in homine prædominantibus, non possit non constans & perpetua bellandi cupiditas suboriri, adeo, ut a spe lucri sit bellum ex competitione; a metu, ne alii in nos dominantur, bellum, quo nos defendamus, aliisque vi, aut dolo, occupemus; & a cupiditate

P

glorie

gloriæ bellum ad quærendam famam. Verum  
 cte ad hæc acutissimus Ric. Cumberlandus,  
 eadem refert, & fusius exponit in *Disquisit. Ph*  
*soph. Leg. Nat. C. I. §. XXXII.* Ego, inquit,  
 ita universaliter respondendum esse censeo; bo  
 nem his affectibus non necessario duci, aut  
 pelli, sed eos aliosque omnes ratione, ac cons  
 temperari posse, ac regi, adeo, ut falsum sit,  
 naturali, ac invincibili impetu, in ejusmodi  
 lum homines abripere, ac inde licitum illud  
 colligere. In passionibus equidem humanis,  
 quod ex impulsu rerum externarum necessari  
 homine generatur, nulla lege naturali prohib  
 pgest, quoniam actiones tantum, quæ in no  
 potestate sunt, dirigunt. Verum hi affectus  
 quibus Hobbesius bellum necessarium esse, adeo  
 licitum colligeret, ejusmodi sunt, qui, quoni  
 futura, & saepe quidem e longinquo prospiciu  
 ab hominum ratione, ac consilio, pendent,  
 que adeo regi possunt. Præterea minus sine  
 agit Hobbesius, quod, pro stabiliendo suo prin  
 pio, eos saltem affectus producat, & odiose  
 aggeret, qui ad turbas, & bella, hominem in  
 gant, onissis iis, qui pacem, concordiam, & tr  
 quillitatem svadent; cum tamen, si a studio p  
 tium alienus videri vellet, utrosque in conspect  
 dare, & tum demum, mutua collatione institu  
 utrius generis affectus præponderarent, clare,  
 que distincte, ostendere debuisset, quod tan  
 nuspiam ab ipso factum legas; imo dubitari

huc potest, utrum allati ab *Hobbefio* affectus, quibus præcipuam belli omnium in omnes causam, atque originem tribuit, ad bellum magis, quam ad pacem, homines ducant; posterius certe haud difficulter demonstrari posse, existimat *Cumberl.*

## §. V.

Plura equidem, quæ ad impugnandam *Hobbefii* sententiam facerent, adduci poterant, quæ tamen de industria prætermittimus; præcipue cum hoc argumentum laudatus modo *Cumberland.* prolixè, & accurate persecutus sit integro suo de *Legibus Nat. libello.* Ratio vero, cur tam aperte falsam hypothèsin effingere, & in lucem protrahere ausus fuerit *Hobbefius*, duplex dari posse videtur. Una, ut hoc magis aliorum in se, oculos converteret, siquidem principio tam absurdo, & paradoxo, speciem veritatis, vel saltem probabilitatis induxisset; in quo etiam spes sua ipsum non defellit, quippe non defuere magni nominis Viri, qui cum stupore ingenii aciem in ipso mirarentur, ejusque scriptum de *Cive, opus egregium, ingenium thesaurum literarium, librum aureum, gemmam auctam & ornatam, cum Marino Mersenno* in literis ad *Sorberium* eidem libello de *Cive* præfixis, dicerent. Sed & ipse Magnæ Britannæ Rex *Sorberio, Medico,* aliquando de hoc *Hobbefio* dixisse fertur: *Se illo uti ad Molossorum dentes tenendos, & acuendos.* Altera est, ut *Pufendorf.* suspicatur, propior consuetudo, & familiaritas cum



*Gassendo*; cum enim hic novo quasi habitu cita Epicuri exornasset, idem forte *Hobbefio*, gratiam Amici, circa Moralia tentandum videretur.

## §. VI.

Enodato sic Statu Naturali, ad ipsam Æqualitatem, quæ in eodem locum invenit, explicandam progredimur; hoc saltem adhuc præmonendum censemus; æqualitatem naturalem, & eam quæ in statu naturali obtineat, hic nobis proponimus haberi; licet enim alias, si status Naturalis opponatur statui Civili, species sint distinctissimæ; prior audiat æqualitas juris, posterior æqualitas libertatis, & potestatis, quod inferius a nobis ostendetur; tamen si status Naturalis opponatur statui brutorum, prout hominem considerat, qua hominem, seu ratione naturæ atque essentiæ suæ præsentibus coincidunt. Ista æqualitas vero Naturalis, notatur a *Pufendorf. de O. H. & C. Cap. VII. §. 2.* in eo consistit: quod, licet unus præ altero variis donis animi, corporisque, a natura sit ornatus, non minus tamen legis naturalis præcepta adversus alios ei sint exercenda, atque ipse ab aliis idem expectat; nec ideo plus licentiæ ipsi concedatur, alios injuriis afficiendi: Sicuti & contra neminem potest in ipsum natura, aut tenuis fortuna per se id condemnat, ut deterioris conditionis circa fructum rationem communis juris sit, quam alii, sed quilibet unus ab altero postulare aut expectare potest, eadem alii quoque, cæteris paribus, ab eodem debentur.

bens; & quod juris quis in alios statuat, eo ipsum  
 ei maxime convenit.

## §. VII.

Præcipuum hujus æqualitatis naturalis funda-  
 mentum est mutua, & æqualis obligatio ad colen-  
 dam cum aliis hominibus socialitatem, utpote quæ,  
 ablata ista, facta & testata conservari non potest;  
 si enim unicuique integrum esset, quidvis in alios  
 statuere, eorundemque vel vitam, vel bona, im-  
 pune invadere, idem vero in se jus constanter vel-  
 let respuere, & deprecari, sane non possent non  
 facta humano generi accelerari. Hinc ad susten-  
 tandam vitam sociale, communes quasdam le-  
 ges Deus mentibus nostris primum inscripsit, quæ  
 omnes, quotquot mortaliū numero veniunt,  
 promiscue, & æqualiter, obligant, neque hic vel  
 animi, vel corporis, vel fortunæ bona quemquam  
 eximunt, utpote quibus homo in foro quidem  
 Civili, minus autem Naturali, ab aliis distinguitur.  
 Ex quo consequitur, quo propius homines ad tu-  
 endam hanc æqualitatem accedant, hoc magis ipsos  
 & arctius societatis humanæ vinculum constringere;  
 ἡμεῖς γὰρ Φίλος αἰεὶ Φίλοις, πόλεις τε πόλεις,  
 συμμάχος ἴσ' συμμάχοις συνδῆι; ut est apud  
 Plat. de Fraternali Amore. Contra nihil magis pa-  
 cem, tranquillitatem, & concordiam turbat, quam  
 temerarius æqualitatis humanæ neglectus. Præ-  
 cipue hanc in rem Tacitus III. Annal. Verustissimi,  
 inquit, Mortalium, nulla adhuc mala libidine, vi-  
 sine probro, scelere, eoque sine pœna aut

coercitionibus agebant, neque premiis opus erat cum honesta suo apte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum turbabatur. At postquam exui equalitas, & pro modestia, ac pudore, ambitio, & vis, incedebat, pro venere dominationes, multosque apud populos aeternum mansere.

## §. VII.

Præter socialitatem suppetunt & aliz fatis plausibiles, & speciosæ rationes, quæ æqualitatem naturalem egregie illustrent, atque commendant, quas inter loco non postremo haberi solet, quod eundem nobis in hanc vitam ingressum natura concesserit; ex eadem formamur argilla, prima nobis in utero materno sedes est, nulla hic disparitas, nulla personæ Principi præ homine plebejo prærogativa; πάντες ἐσμὲν ἐξ ἑνὸς Φυράματῶ, χερσὶ μίᾳ τῆ Θεῆ πεπλασμένοι πρὸς ἓν τι εἶδῶ. *Mañuel. Imper. Orat. III. de humilit.* Eadem omnibus principia, eademque origo, nemo altero nobilior. *Senec. III. de Benefic.* Recens editos æqualis & communis miseria excipit; nascentium vox prima vagitus est, unde *Solin. Polyhistor. Cap. IV.* nonnisi unicum se novisse, ait, qui eadem hora, qua natus sit, risisset, scilicet *Zoroastrem*, mox optimarum artium peritissimum; namque alias unusquisque, cum nascitur, & hospitio hujus mundi excipitur, initium sumit a lachrymis. *Cyprian. Serm. III. de Bono Patientia.* Cujus rei *Philo* Judæus physicam reddit rationem, quæ cum non

adco

adeo inconueniens, & incongrua videatur, eandem  
 apponere non dubitamus, ita vero ille in *Libr. de*  
*Mundi orificio*, p. 28. Ἀποκλαίεται τὸ βρέφος  
 ἀποκνηθεὶν ἀλγῆσαν ὡς ἔοικε τῇ περιψύξει ἐκ  
 γὰρ θερμότητος καὶ πορωδεότητος χωρὶς τῆς κατὰ  
 μήτραν, ὃ πολὺν χρόνον ἐνδιητήθη προελθὼν ἐξ-  
 απιναιῶς εἰς αἶρα ψυχρὸν καὶ ἀσυνήθη τόπον,  
 ἐπλήχθη καὶ τῆς ὀφύνης καὶ τῆς θυξεραινεύου ἀλ-  
 χηδύνη, τὰ κλάυματα δείγμα παρέσχεν ἐναργέ-  
 σατον. *Plorat infans recens editus, nimirum*  
*dolens propter frigus, nam e calidissimo loco ute-*  
*ri, in quo longo tempore habitauerat, progressus*  
*repente in aërem frigidum & inaccessum sibi, vel-*  
*ut idem eo sentit, doloris ac vexationis manife-*  
*stissimum fletu præbet indicium.*

## §. IX.

Eadem & reliqui corporis nostri est structura,  
 & æqualis membrorum dispositio, par ubivis pri-  
 mum mollities, atque teneritas obtinet, ut, si vel  
 ad exiguum temporis intervallum matris vel nutri-  
 cis cura remiserit, infans, qui modo natus erat, sen-  
 sim denascatur; eodem modo alimur, augemur, &  
 nobis similem producimus. Neque hæc æqualitas  
 tantum in corpore, verum etiam in anima, tan-  
 quam altera essentiali parte, aliquantum conspi-  
 cua est. Animam equidem natura variis artibus,  
 ac scientiis perdiscendis aptam novimus, at nemo  
 eisdem sibi connatas vel ingenitas deprehendit;  
 nisi instar tabulæ esse mentes nostras, dudum a-  
 gnovit Philosophorum Princeps: non sua sponte

in ullo nascitur pietas, non virtus, non artes  
berales, vel si quid aliud indole humana dignum  
hic studio, hic labore, hic pertinaci industria op  
est, si quis animum excolere, & solidiori doctri  
s; vulgo distingvi velit. Notabilem quoque  
qualitatis humanæ speciem circa varios fortunæ l  
sus observabis; quippe æqualiter omnibus illud  
& nemini satis de ejus favore, & constantia, ca  
tum est; cæca hinc inde & volubilis errat, ali  
extollit, alios deprimat, nec diu facile eodem st  
vestigio, scilicet *hæc nostræ vis est*, unicuique a  
*Fortuna* apud Bøetb. II. de Consol. Philos. *hunc*  
*ludum ludimus; rotam volubili orbe versamus, in*  
*summa summis, summa imis mutare gaudemus; a*  
*scende, si placet, ne uti cum ludicri mei ratio pu*  
*scet, descendere, injuriam putes.* Solum Ala  
*xandrum M.* Illustrem Macedoniæ Regem, in ma  
nibus & potestate fortunam habuisse, *Curt.* trad  
*Lib. X. n. 5.* Atenimvero quantacunque etiam  
in rebus gerendis usus sit felicitate, non raro ta  
men graviter ipsum inconstantiam, & mutabilita  
tem fortunæ accusantem, & tantum non cum *Ca*  
*terone* exclamantem audias: *O fragilem hominum*  
*spem, fragilemque fortunam, & inanes nostræ*  
*contentiones! quæ in medio spatio sæpe franguntur,*  
*& corruunt, & ante in ipso cursu obruantur*  
*quam portum conspiciere potuerunt.* *Libr. III. de*  
*Orator. c. 2.* Æqualitatem naturalem denique &  
mors obsignat, quæ in obvios quosque indiscrimi  
natum grassatur, & nihil vel ætati, vel sexui, vel  
ordi-

omnibus, aut dignitati, tribuit; ultima hæc fata æ-  
 què omnes manent: Nascimur æquales, mo-  
 rimurque æqualiter omnes, *Fort. L. III. v. 41.*  
 Mors omnibus ex natura æqualis; *Tacit. Libr. I.*  
*Histor. c. 21.* Et *Seneca, Mors*, ait, *necessitatem*  
*habet æquam & invidiam; quis queri potest, in*  
*ea conditione se esse, in qua nemo non est? pri-*  
*ma enim pars æquitas est æqualitas; Epist. XXX.*  
 Eadem æqualitas etiam post fata aliquantum sese  
 prodit, ubi ossa & cineres defunctorum, irrito co-  
 natu, a se invicem distingvere contendes; *Ἐγκυ-*  
*ψὸν τοῖς τάφοις, εἰ δυνήσῃ διακρίναι, τίς ὁ πτω-*  
*χὸς, καὶ τίς ὁ πλούσιος,* inquit *Basil. M. in Ho-*  
*mil.* Inter Christianos, huc etiam facit æqualitas  
 Christianismi, v. g. quod Deus eundem salvandi  
 modum, & æqualia, prorsus salutem æternam con-  
 sequendi, media hominibus præscripserit; pariter  
 quod Deus non nobilitate, potentia, aut opibus,  
 sed fide, & pietatis sinceritate, cujus æqualis in  
 omnibus est obligatio, suos metiri soleat, & in no-  
 vissimo die, in conferendis præmiis, & irrogan-  
 dis pœnis, æquum se judicem, pro immutabili &  
 προσωποληψία sua, erga omnes præstiturus sit.

## §. X.

Utut autem certum & superius a nobis evi-  
 ctum sit, mutuam & æqualem ad colendam vi-  
 tam socialem obligationem præcipuum & prima-  
 rium æqualitatis naturalis fundamentum esse: *Hob-*  
*besius* tamen aliam ingressus viam, eandem ad pa-  
 ritatem virium & æqualem nocendi facultatem re-

stringit; scilicet cum unusquisque hominum, ad adultam pervenit aetatem, virtute polleat, terum, si non vi, dolo saltem & fraude opprobriandi, adeoque infirmissimus quisque robustissimi perpetuum metum ac formidinem incutere possit; exinde colligit *Hobbesius*, non esse, cur quodquam visibus suis nimium fidat, & se aliis superiorem factum putet a natura; *æquales enim sunt*, inquit, *qui æqualia contra se invicem possunt*; At qui maxima possunt, nimirum occidere, æqualia possunt, sunt igitur omnes homines inter se æquales, de Cive Cap. I. §. III.

## §. XI.

Verum enim vero. ut largiamur, paritate virium incitamento. esse posse homini, ne facilius aliis temere insultet, & debiliores potissimum se perciliose contemnat, quippe cum anceps & dubium sit, cum pari congruere, imo stultum, & temerarium, æquali sua clade malum alteri intendere velle; negamus tamen, primum & genuinum esse fontem, e quo æqualitas Nat. promanet. Et enim si quis vel leviter naturam suam inspiciat & scrutetur, absque negotio & multo labore intelligit, ita comparatam esse, ut in societatem cum aliis coire & tranquille vivere non possit, nisi æqualitatem, quam Natura præscribit, servet, & tritum illud: *quod tibi non vis fieri, alteri ne faceris?* constanter ante oculos habeat. Ex quo fluit, non tam virium paritatem, quam socialitatis necessitatem. primum tenendæ æqualitatis argu-

men-

mentum esse. Illud vero, nec absque ratione, insolitum prorsus videtur *Pufendorfio*, quod *Hobbesius* eandem virium paritatem ad reliquas etiam animi facultates extendat, in iisdemque parem, quinimo adhuc majorem, se æqualitatem invenire putet. Ait enim *Leviath. cap. 13.* Prudentiam omnem ab experientia esse, & omnibus æquali tempore in iis rebus, quibus animum æqualiter applicent, æqualiter tribui a natura, & quod homines dispares prudentia videantur, id solum esse ex opinione eorum, qui plus justo se æstiment, & quod unusquisque sapientiosem se credat multo, quam quemlibet e vulgo, præter paucos, quos propter famam, vel propter consensum soleant admirari. At huic asserto *Hobbesiano* vel ipsa experientia repugnat, si enim pluribus idem negotium conficiendum tradatur, luculenter apparet, quantum unus stuporem, alter vero promptitudinem, & in rebus gerendis dexteritatem ostendat: neque hæc inæqualitas a sola opinione vel experientia, cujus magna alias vis est, dependet; videas enim juniores quandoque quidvis exequi & commodius præstare profectionibus, quos longus rerum usus sublevare debet; quod profecto maxima ex parte ipsi naturæ tribuendum, quæ non æquales animi dotes omnibus impertita est; nec facilius indolis humanæ varietatem menti subjeceris, quam si scholas & Musarum sedes paululum obeas; miraberis Tyronum inæqualitatem, cum alii incredibili qua-

dam



dam ingenii felicitate, subito arripiant, quod  
 nutu Magister significavit, alios contra hebet  
 & perpetuus stupor urgeat, ut eandem ren  
 centies inculcatam difficulter assequantur.  
 ingenii tarditate laboravit, olim, teste. *Pb  
 II. de Vit. Sophist.* Attici cujusdam Herod  
 lius, qui ne ad literas quidem addiscendas  
 erat; quare venit in mentem Herodi, ut  
 cum ipso quatuor & viginti pueros coævos  
 ret, a literis nominatos, ut in puerorum nom  
 bus literas ex necessitate meditaretur; Vere de  
 ingeniorum diversitate *Seneca Epist. XCV.*  
*dam ex hominibus egregiam sortiri indolem*  
*ea, quæ tradi solent, perveniunt sine longo*  
*gisterio, & honesta complexi sunt, cum prim*  
*audierunt. Unde ista tam capacia virtutis*  
*genia, vel ex se fertilia; at illis aut hebetis*  
*& obtusis, aut mala consuetudine obsessis diu*  
*bigis animorum effricanda est.*

### §. XII.

Ex hac æqualitate naturali fluit genera  
 quoddam præceptum, cujus obligatio omnes  
 universum homines stringit, illud vero huc r  
 dit: Unumquemque, ut hominem, & tibi natu  
 raliter æqualem tracta. *Est enim homo, verbi*  
*sunt Pufendorf. animal non modo sui conser*  
*vandi studiosissimum, sed & cui insit delicias*  
*quædam sui æstimatio, cui si quid detrabatur*  
*non minus sepe commoveri solet, quam illa*  
*corpori aut rebus noxa. Quin in ipso homini*

voca-

vocabulo judicatur inesse aliqua dignatio, sic ut ultimum simul atque efficacissimum argumentum, quo aliorum insolens insultatio retunditur, istud hoc habeatur: utique non canis sum, sed aequus homo atque tu, de O. H. & C. Libr. I. c. VII. §. I. quod generale præceptum pleraque hominis erga alios officia dirigit, ne nimium sibi sumat, & justos æquitatis terminos transgrediatur. Ita si quis cum altero foedus aut pactum inierit, eundemque promissi tenacem velit, vi hujus præcepti adstringitur, ut & ipse parem in servanda fide industriam exhibeat, cum nihil juris allegare possit, cum illud tam anxie ab altero expectet, quod tamen ipse dedignatur. Pariter cum nihil magis animos nostros permutare solet, quam si alii nobis consilio, studio & opera subinde præsto sint; debemus & ipsi in hoc Naturæ ductum sequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tum opera, tum facultatibus, devincire hominum inter homines societatem, ut recte monet Cic. de Offic. L. I. Cap. VII. Præcipue si onerosa sint subeunda, naturalis æqualitas arcte tenetur, v. g. si, orta tempestate, aliqui, ut navis onerosissimum levetur, in mare sint conjiciendi, tum profecto omnes ut naturaliter æquales spectantur, & si quem, ducta sorte, fortuna destituerit, frustra hoc acerbum hoc mortis genus deprecabitur, cum quod ipse juris habet, ad tuendam hanc vitam, eodem & reliqui gaudeant.

§. XIII.

## §. XIII.

Nihil vero cum æqualitate naturali magis pugnat, quam fastus & inanis superbia, qua quis, sine iusta causa, plus sibi, quam aliis tribuit. *Quemadmodum enim illi, Dn. Thom. ait, Jurispr. Div. Libr. II. c. III. §. 3. ad societatem quam maxime sunt idonei, qui facile eadem omnibus permittunt: ita plane infociabiles sunt, qui dum aliis sese superiores existimant, omnia licere sibi solis volunt, omnia sibi ignoscunt, nihil aliis remittunt, & ante ceteros honorem sibi arrogant, partemque præcipuam ex rebus in medio positis, ubi nullo præ reliquis jure eximio pollent, lapidibus asperis & angulosis ad ædificia incommodis omnino similes.* Duo autem sunt hominum superborum genera, quidam, ne gratis se efferte, & caput supra communem hominum sortem extollere videantur, speciosa, quibus simplicioribus glaucoma offundant, argumenta producunt; quando generis splendorem & antiquitatem, officii, quod sustinent, dignitatem, meritorum in patriam & Rempublicam multitudinem, opum ac divitiarum amplitudinem, solidioris doctrinæ & omnis generis scientiarum varietatem, longa serie, prolixius enarrant. Atque hi atque adhuc in societate humana ferri & tolerari solent. Dantur vero & alii longe dementiores, qui utut nihil horum habeant, quod commode ostentare possint, nescio tamen, quo subrustico tumore inflati, altius cristas erigunt, & alios præ se, tanquam humiles, & abjectos, fastuose despiciunt, forte,

forte, quod gloriam in usurpatione putent consistere, quasi qui illius sibi plus arrogent, ejusdem quoque plus habeant. Hi autem omnium sunt inertissimi, ad quorum conspectum, ni *Cato* fueris, non facile risum contineas. Cum quibus in eandem fere censum veniunt, qui, simulatque e pulvere, in quo sepulti jacebant, ad honores evecti sunt, aliam velut formam subito induunt, & assumpta morum gravitate, personam a pristina prorsus alienam inepte fingunt, priores dedignantur amicos, notos ignorant, externos comitantur, contemnunt antiquos, vultum avertunt, cervicem erigunt, grandia loquuntur, sublimia meditantur, subesse nolunt, præesse moliantur, subditis onerosi, omnibus infesti, præcipites, molesti, arrogantes, graves, & importuni, prout graviter hoc hominum genus describit *Innoc. de Util. condit. human.* Hic quoque notari, ac eo nomine reprehendi merentur, qui defectus naturales, vel casus fortuitos, impudenter aliis exprobrare sustinent; nemo enim ob ea mala, quæ vel natura, vel casu, accidunt, cuiquam succensere debet, sed nec objurgate, nec punire eos, qui hisce malis premuntur, ne tales sint, quin potius eorundem miseremur; quod monitum est sapientis *Platonis* in *Protag.* Opposita superbiæ est humilitas, virtus æqualitate naturali dignissima, semper veræ generositati comes; qua quis super infirmitatem nature suæ & errores, quos olim potuit commisisse, aut deinceps poterit committere, modeste

se reflectit, atque ob id ipsum nemini temere se præfert, sed omnes tanquam homines, sibi que naturaliter æquales, æstimat. Vere de hac præclara virtute *Manuel. de Orat. p. 377.* τὸ θεῖον καὶ πολυύμητον χρῆμα ἢ ταπεινοφροσύνη, πολλαχόθεν ἴσα κοσμία, καὶ σὺν ἀμηχανίᾳ κάλλιπε περιῖσα, πρὸς ἑαυτὴν ἐφέλκεται πάντας, καὶ πωδεῖται ἑαυτῆς εἰς αἰς μετὰ μανίας σώφρονος. Cavendum autem summo studio, ne hæc humilitas sit ficta, ac in ore saltem & labris hæreat; qualis olim fuit *Jul. Cesaris*, qui, teste *Cass. L. XXXVII.* ad unumquemque, etiam iustum hominem, demerendum promptissimus erat, ac, si quid instituëret, ut eo potiretur, nullum neque sermonem, neque actionem intermittebat, parum sollicitus de ea humilitate, in quam se in præsentiarum demittebat, dum ex ea potentiam postmodum adipisceretur; quæ simulata, & ad speciem efficta submissio, atque continentia superbiæ magis, quam veræ humilitatis titulo nuncupanda est.

## §. XIV.

Cum æqualitate naturali stare non potest *Servitus naturalis*, quam aliqui ex præcisis Philosophis propugnarunt; Si enim Natura quosdam absolute ad servitutem damnaret, hoc ipso etiam eos ceteris naturaliter inæquales declararet; quod absurdum; imo, si natura darentur servi, Rex & Princeps, qui natus est hebetiori animo, debet se se subicere & submittere illis, qui ingenio ipsi super

superant; & servi sese possent subducere imperio  
 Dominorum, prætendendo naturalem facultatem  
 perspicaciae, iudicii, & generositatis; quas ratio-  
 nes urget potissimum *Osiand. in Observ. Grot. L.*  
*ll. c. v. ad Th. XXVII.* Equidem negari non  
 potest, tantum stuporem, & iudicii imbecillitatem,  
 in aliquibus notari, ut nihil fere recte agant, ni  
 subinde ab aliorum consilio atque autoritate pen-  
 deant; hos tamen inique propterea servos natura  
 dixeris, longe enim aliud est, esse servili ingenio,  
 & indigere directione, & regimine alterius; aliud,  
 servum esse: prius admittimus, posterius autem  
 affirmari non potest, ni velis dicere, naturam ipso  
 actu statim prudentioribus in hebetiores imperium  
 concessisse, aut saltem tale jus, quo illi hinc etiam  
 iniuris, & præter voluntatem, servitutis jugum im-  
 ponere possint, quod ineptum; nam, ut actu con-  
 stituatur imperium, loquor denuo cum *Pufend.*  
*de J. N. & G. L. III. c. 2. factum aliquod huma-*  
*nam antecedere oportet, & nequaquam aptitudo*  
*naturalis ad imperandum statim alicui dat impe-*  
*rium in eum, cui a natura ingenium est servitio*  
*aptum, neque statim, quod alteri est utile, id li-*  
*cet mihi per vim ipsi imponere, quippe homines*  
*naturati libertate ex aequo gaudent, cujus dimi-*  
*nationem ut patiantur, necessum est, ipsorum con-*  
*sensu expressus, vel tacitus, aut interpretativus*  
*intercedat, aut aliquod ipsorum factum, quo aliis*  
*se suis quaesitum, eandem vel iniuris eripiendi.*  
 Si quis vel maxime patrem habuerit servum, &

Q

ma-

matrem servam, non tamen ob id ipsum natura  
 ei servitus tribui potest, quia in hanc sortem ipsum  
 non natura, sed fortuna coniecit, accedente pro  
 modum tacito consensu, quo ipse in parentibus  
 quævis servitorum genera Domino se obstrinxit.

## §. XV.

Utut vero servitus non sit homini naturalis  
 nemo tamen propterea jus habet, ut nunquam ser-  
 viat, quod recte monet *Grotius de J. B. & P. L. L. c. XXII. §. XI.* quin potius naturæ convenientis-  
 mum est, ut, qui actiones suas non satis caute, &  
 prudenter moderari potest, vel libertatem sibi gra-  
 vem & noxiam putat, alium circumspiciat, sub  
 cuius potestate, & regimine vivere possit. Ita in-  
 tegram Cappadocum gentem liberam vivendi ra-  
 tionem olim dedignatam fuisse, *Strabo refert XII. c. 1.*  
*Geogr.* cum enim, deficiente stirpe regia, Romani  
 ex pacto ipsis permetterent, ut libere suis legi-  
 bus viverent; ipsi, missis Legatis, libertatem de-  
 precati sunt, utpote quam sibi dicerent esse in-  
 tolerabilem, Regem sibi dari postulantes: quo  
 facto Romani mirati, homines esse, qui adeo de  
 libertate animum despondissent, concesserunt eis,  
 ut de ipsorum corpore Regem suis, quem vellent,  
 suffragiis eligerent. Si quis autem semel servitu-  
 tem subierit, gratis posthac amplius ad libertatem  
 naturalem provocabit, quæ tum expirat, & solius  
 obsequii gloria relinquitur. *Durum servitutis no-*  
*sus, Rex Agrippa ad Judæos ait apud Egesip. L. II.*  
*cap. 9. & ideo a principio non fuit subeunda,*

aut suscepta equanimiter ferenda; tunc decuit resistisse, cum ad servitutem vocaremini, illa justior pugna; qui autem semel se dederit in servitutem, etsi postea subtrahere se velit, non ille tanquam amator libertatis asseritur, sed tanquam servus contumax adjudicatur. Heris tamen incumbit, ne se duos nimis in servos præbeant, aut, si forte ex imprudentia lapsi sint, fremente ore, in furorem subito & rabiem agantur, sed connivendo aliquantum, leviter delinquentes mitius tractat, & meminerint, sibi non cum brutis rem esse, sed cum hominibus, iisque naturaliter sibi aequalibus, quos sola iniquior fortuna ad gravem & abjectam serviendi conditionem demiserit. Servus moderate imperare laus est, & in mancipio cogitandum est, non quantum illud impune pati possit, sed quantum permittat equi bonique natura, Senec. L. I. de Clement. cap. 18.

## §. XVI.

Circa æqualitatem naturalem anceps etiam hæc & dubia occurrit quæstio: Utrum ea se extendat quoque ad communitatem bonorum, & num jus N. exigit, ut omnia æqualiter inter omnes sint communia? In qua quæstione decidenda multum a se invicem discedunt Scriptores. Nos ita pronunciamus: Jus N. communionem bonorum neque præcise præcipere, neque prohibere, sed tanquam indifferentem dispositioni Legislatoris relinquere, ob deficientem necessariam convenientiam, aut disconvenientiam cum natura, & conditione

huma-

Q 2



humana. Negamus tamen, ullum unquam tempus aut statum fuisse, quo talis bonorum communio inter homines obtinuerit; quamvis prius omni modo evincere conetur *Grotius*, qui diserte tractat *de J. B. & P. Libr. II. c. II. §. 2.* Deum humano generi generaliter contulisse jus in res hujus inferioris naturæ statim a mundo condito, atque iterum mundo post diluvium reparato, fuisse omnia, ut cum *Justino* loquitur *L. XLIII. c. 1. §. 3.* communia & indivisa omnibus, veluti unum cunctis patrimonium, usque dum res creatæ tandem in proprietatem abierint pacto quodam Gentium aut expresso, ut per divisionem, aut tacito, ut per occupationem. Verum in eo *Grotius* plurimos, & tantum non omnes, qui in ipsum commentari sunt, a se dissentientes habet, qui satis probant, nullam usquam bonorum communionem extitisse, adeoque nec homines opus habuisse ejusmodi pacto divisorio, seu tacito, seu expresso. Ita *D. Simon* in *Annot. Grot. ad b. l.* evidenter ostendit ex *Gen. I. 26. seq.* & *Gen. IX. 1. seq.* in primæva statim creatione, præter utendi & fruendi facultatem quotidianam, proprietatem quoque & dominium in omnia Adamo benignissime a Deo collatum esse, ita quidem, ut omnes alii excluderentur, & si quis vel maxime præter Adamum extitisset, nullum ipsum jus possidendi res nondum occupatas habiturum fuisse. Et recte idem *Simon* *l. c.* ipsos etiam Adami filios hoc pacto exclusos a dominio rerum, quamdiu familia patris continerentur,

rentur,

rentur, nisi forte per aliquam cessionem vel assignationem aliquid proprii & peculii ipsis a patre commissum esset, quoad post obitum Adami, diviso inter se orbe, proprietatem rerum impetrarint. Si quis opponat: Ampliorem fuisse orbem terrarum, quam ut eundem sibi per occupationem Adamus vindicare potuerit; ei respondet *Ziegler. in Nat. & Animad. Grot. L. II. c. II. §. 2.* non opus esse, ut, qui fundum, cujus instar terratum se habuit, possidere velit, omnes glebas circumambulet, sed sufficere, quamlibet partem ejus fundi introire, dum mente & cogitatione hac sit, quod totum fundum usque ad terminum velit possidere.

## §. XVII.

Ceterum *Grotius* non solum primævum omnimodæ communionis statum tuetur, verum etiam eundem subsequētis temporibus adhuc duraturum fuisse putat, si aut in magna simplicitate perstitissent homines, aut vixissent inter se in mutua quadam eximia charitate, quorum alterum, communionem scilicet ex simplicitate, ostendere vult in quibusdam Americae populis, qui per secula multa, sine incommodo, in isto more perstitissent; alterum vero, communionem ex charitate, refert ad Essenos, deinde Christianos, qui Hierosolymis primi existissent. Vid. *Grot. de J. B. & P. l. c.* Verum quomodi pia simplicitas, ac mutus, isque sincerus amor, quem communio bonorum requirit, post ipsum præcipue, corruptis, & in varios sensus abstractis ingenius, sperari amplius non poterat, ubi

Q 3

vix

vix duo tresve conspirant, nedum ut tot hominum millia, conjunctis animis, in unam irent sententiam. Quæ de Americanis refert, incerta & dubia sunt, neque ex Auctoribus fide dignis demonstrari possunt. Et videtur, apud istam gentem non tam dominium & proprietas rerum cessasse, quam confusa & minus bene instructa dominii ratio invaluisse, ut imaginem potius ac umbram communionis, quam veram communionem, quatenus nimirum omnis proprietas excluditur, habuerint: quinimo argumentari a Natione, quæ ferarum instar, non urbes & oppida, sed rupes & antra incolit, neque gregatim vitam degit, sed sparsim, ut Americanos aliqui describunt, est argumentari a brutis ad homines, inquit *Ziegler. ad Grov. l. c.* Exemplum Essenorum, quos mutua charitas ex mente *Grotii* ad communionem bonorum compulit, pariter non adeo quadrat, utpote qui, ut singularis sanctitatis speciem præ se ferrent, ab aliorum consortio discesserant, qualemcunque communionem tenentes; quem illorum discessum non humanum, sed naturæ prorsus inimicum dicit *Nic. Fuller. Miscell. Sacr. L. IV. c. 3.* neque adeo magnifice alias de hac Essenorum secta Scriptores Ecclesiastici sentiunt, quos veste ufos, ajunt, alba, nec prius mutasse, quam peritus attrita & consumpta esset. Vid. *Osiand. l. c.* Quod denique ad Christianos Hierosolymitanos attinet; respicit procul dubio *Grotius. Actor. Cap. II. v. 44, 45.* ubi hæc habentur: Πάντες οἱ πιστεύοντες ἦσαν ἐν τῷ αὐτῷ,

αὐτοῖς, καὶ εἶχον ἅπαντα κοινὰ, καὶ τὰ κτήματα  
καὶ τὰς ὑπαρξείας ἐπίπρασκον, καὶ διμερίζον αὐ-  
τοῖς ἅσιν, καθότι αὐτοὶ τις χρείαν εἶχον. At hæc  
verba commode ita cum Theologis accipi possunt,  
quod Christiani Hierosol. omnia habuerint com-  
munia, non quoad κτήσιν, seu possessionem, sed  
quoad χρῆσιν, seu usum, manente interim rerum  
proprietas; quam explicationem ipse contextus  
suppeditat, quippe sequenti versu l. c. diserte in-  
nuitur, fregisse ipsos per singulas domos panem;  
si vero proprias ædes & domos habuerunt, non  
potuit inter ipsos omnimoda communio obtinere.  
Hinc & Maria, mater Johannis, qui cognomina-  
tus est Marcus, domum suam retinuisse dicitur.  
Act. XIII. 12. Et sane status iste qualiscunque  
communione primævæ varias ob rationes non po-  
tuit diu perstare; *Notabile est, inquit B. Chemnit.*  
*Part. II. Loc. tit. de Paupert. institutum illud, li-*  
*cet bona intentione, nec impia opinione susceptum,*  
*quia non habebat verbum Dei & mandatum, non*  
*adeo feliciter cessasse. Illis enim, quæ in commu-*  
*no collata erant, cito consumtis, magna & peri-*  
*culosa egestate pressa est Ecclesia Hierosolymita-*  
*na, ut ut Paulo & aliis Apostolis valde multum*  
*tribueretur negotii in colligendis elemosynis in*  
*Ecclesiis aliis, pro sustentatione pauperum san-*  
*ctorum Hierosolym.* Et hoc exemplo admoniti  
postea nec instituerunt, nec consuluerunt talem  
communione inter Gentes, imo ne in Judæa qui-  
dem. Ex quo apparet, lubrica esse, quæ pro tu-  
enda

enda bonorum communione *Grotius* hactenus in medium produxit. Superiori seculo Anabaptistæ, atque inter hos *Val. Weigelius*, eo demeritæ progrediebantur, ut dicere non erubescerent, propriarum facultatum possessionem ad abominationem & desolationem referendam esse; gratum profecto otiosis dogma; qui procul dubio, introducta communione, omnem bonorum proprietatem eliminatam vellent, ut tanquam ignavi faci, quod ab aliis multo labore congestum esset, per otium consumere possent. Verum nos istos Fanaticos nihil moramur, hoc saltem addimus, bonorum communionem, adeo non probari Viris cordatis, ut eandem nec statui integritatis convenientem fuisse existiment, quam sententiam defendunt non solum *Bæcler. & Oslander in Not. Gros. sed etiam* summus quondam Theologus, *B. Dannhauer. in Disputat. Decalog. XVI. §. 2.*

§. XLIX.

Cum itaque satis pateat, abrogationem proprietatis & domini minus expedire generi humano; illud forte quæras: *Annon ad minimum æqualitas naturalis exigat, ut bona in Republica inter cives æqualiter dividantur?* Ex Veteribus, qui civitates constituerunt, multi omnino æqualitatis in divisione rerum tam tenaces fuere, ut negarent, florem ac diuturnam tranquillitatem Republicæ conciliari posse, ni præcipua ejus ratio haberetur. Sic *Lycurgus*, illustris Spartanorum Legislator, id potissimum apud suos egit, ut in agrorum

rum divisione omnium portiones essent æquales, & cum aliquando e longinquo itinere reversus agros Spartanorum recens demessos transiret, ac æquales æcervos juxta sese jacere conspexisset, ita eum affectum ajunt, ut serena fronte, & hilari vultu, sociis dixerit: *videri sibi agrum Laconicum fundum esse fratrum multarum nuper divisum.* Neque ita multo post nova lege sancire instituit, ut, sublata omni inæqualitate, etiam suppellex domestica in æquales partes divideretur; legas hæc apud *Polyb. L. VI. C. 46.* *Soloni* pariter illud frequenter in ore fuit: *Τὸ οἶσον πόλεμον ἔποιεῖ.* *Plu. in Solon.* & *Plato* cum rogaretur, ut *Arca-* *dum* & *Thebanorum* civitates novis legibus adornaret, annuit primum, at ubi intelligeret, æqualitatem ipsos dedignari, re infecta, discessit. *Vid. Laert. L. II. in Plat.* Nos ad propositam questionem ita respondendum censemus: æqualitatem N. utut forte videri possit æqualem bonorum divisionem svadere, non tamen eandem imperare, sed tanquam liberam prudentiæ legislatoris permittere; propterea quod & hic cesset necessarius nexus cum socialitate & natura hominis. Interim non inique dubitamus, utrum, hodierno *Reipublicæ* statu, exacta ejusmodi rerum æqualitas institui, vel conservari possit, ob incommoda, & varias, quæ se hic offerunt, difficultates.

## §. XIX.

Coronidis vice illud adhuc notandum, quod cum æqualitate naturali, a nobis hæctenus explicata,

Q 5

ta,

ta, quæ aliquibus etiam æqualitas juris apponitur, non confundenda sit æqualitas potestatis, per quam omnes homines naturaliter æquales intelliguntur, quod citra antecessum factum aut pactum legitimum nemo potestatis quid in alterum habet, cuiuslibet virium & actionum suarum sit moderator. Confer. *Pufend. & Thom. l. c.* Quippe potestatis discrimen inter utramque æqualitatem non cedit; prior stringit omnes homines, etiam qui alias quoad libertatem sunt inæquales, secundum & hi æque homines; posterior vero non tenet eos, qui extra civitatem & statum civilem vivunt, quorum neuter alterius imperio subiectus est. Quamvis nunquam æqualitas hæc potestatis potestatem quate & universaliter in toto genere humano tenuerit, ni velis cum Paganis quibusdam fingere homines ab initio ranarum instar e terra profluxisse, aut sicut Cadmæos fratres semine sparso genueruisse, ut loquitur idem *Pufendorf. de J. N. G. L. II. c. II. §. 4.* namque Adamus utique imperium suam suam maritale imperium statim exercuit, quod inde nascebantur, potestatem patriam & imperium familiare subito agnoscere tenebantur, adeo nullus totali & plenariæ inter omnes æqualitatis locus fuerit; partialis vero adhuc hodie inter homines apprehenditur, qui nullius imperio vel potestati subiecti sunt, neque superiorem in his terris agnoscunt, sed potestatem quos vere & libertate & potestate æquales habent. Tantum hac vice! Deo vero sit laus, honor & gloria!

DISSERTATIO II.

DE

Fundamento Imputationis Actio-  
num Moralium.

PRÆLOQVIVM.

**M**ultum interest, nosse, quæ ratio sit Imputationis circa actiones huma-  
nas; conscientiam certe, cujus magna  
vis est, & quæ tenero & acuto admodum  
sensu gaudet, ad illius maxime modum  
affectam videas, ut vel tranquillitate &  
læticia perfruatur, si juris & æqui se te-  
nacem sciat; vel dolorem ac tristitiam  
persentiscat, si culpæ & iniquitatis quid-  
dam a se commissum intelligat; vel in-  
ancipiti & suspensio constituta ignoret,  
utrum laudem & præmium, an pœnam  
& vituperium de actione sibi polliceri  
debeat; quo incerto & dubio Imputati-  
onis intellectu cõplures eo proveci  
sunt, ut quidvis in religionem trahant,  
& culpam temere fingant, ubi talis non  
datur, atque adeo distractus & fluctu-  
ans in judicando animus perpetuam co-  
gitandi curam afferat. Quare quo inti-  
mius quis naturam Imputationis, & fun-  
damen-



damenti ac principii, e quo ista p  
 nat, conditionem scrutatus sit, ho  
 norem difficultatem in ferendo de  
 vis actionis bonitate & malitia ju  
 deprehendet. Equidem aliud Im  
 tionis principium in foro Divino,  
 in foro humano obtinet; At prius  
 ologis explicandum relinquimus,  
 posterius, quod ad societatem humanam  
 ejusdemque conservationem, spe  
 in presenti tradere aggredimur. Tu  
 ro, Summe Deus, clementer ades, &  
 lum ac mentem ita rege, ne a recto v  
 tatis tramite deflectamus!

## S. I.

**E**Nodandis, quæ in Titulo Dissertationis c  
 spicue sunt, vocibus hoc pauciores lineas  
 bimus, quo magis earundem explicatio passim  
 libellis Ethicis prostat. Quid enim per Act  
 nem Moralem intelligatur? Quodnam sit ejus M  
 teriale & Formale? Quodnam Principium? unde  
 Moralitas ejusdem dependeat? illud vel solus *P  
 fendorfius* tam accurate & perspicue in scriptis  
 suis persecutus est, ut nihil amplius requiras. Qua  
 re nobis, ne actum agere videamur, de sola Im  
 putatione pauca quædam præfari liber. Est autem  
 Imputatio, generaliter loquendo, nihil aliud  
 quam relatio actionis ad alterum tanquam ansto  
 rem

rem, cum effectu morali, exinde promanante; & hæc sumitur vel pro potentia, vel pro actu; priori modo accepta non nisi pertinentiam actionis ad alterum denotat, quæ alias imputativitas dicitur morum Doctoribus. Si quis vero ipso actu proculsa & auctore actionis declaretur, atque insimul effectus, quem illa produxit, particeps reddatur, tum imputatio actualis obtinet. Ulterius imputatio est vel culpæ, vel pœnæ, quarum prior reatus declarationem, posterior pœnæ, culpa dignæ, irrogationem infert; utraque, ni venia & dispensatio Superioris accedat, nexu concatenato se invicem excipit. Quod si vero culpa sit remissa, pœna etiam cessat, vel si quid omnino, quod carnem affligat, superfit, illud ex mente atque intentione affligentis non pœnæ, sed castigationis loco habendum erit; ut adeo contra omnem rationem hic agant Pontificii, quod culpam quidem, minus autem pœnam, in Justificatione creditibus a Deo condonari putent, & pœnam demum per opera & satisfactiones humanas redimendam doceant. Remissio enim culpæ in eo majori ex parte consistit, ut a pœna, quæ ab irato Judice metuenda erat, absolvatur reus, & factum pro non facto habeatur; Sin vero nihilominus pœna ipsi secundum pronunciatæ sententiæ tenorem subeunda sit, certe non inveniet, quomodo conscientiam perturbatam consolari, & de venia impetrata satis certus esse possit. Sed hæc profertur in scriptis Theologicis exposita, &

& ab exceptionibus adversariorum vinc  
legas.

## §. II.

Trita etiam est & inter Theologos pa  
atque Philosophos decantata divisio Imputat  
in eam, quæ fit ex debito, & quæ fit ex gr  
quidnam discriminis inter utramque interce  
ipsæ voces satis innuunt; nos circa Imputatio  
ex gratia hoc solum notamus, eam non æqu  
odiosa, quam favorabilia, extendendam  
*Quemadmodum enim, verba sunt Pufend  
J. N. & G. L. I. C. IX. §. 1. ea bonorum est na  
ra, ut etiam gratis alicui & citra prætextu  
exhiberi queant; ita si quis alteri bonum quod  
am sub nomine puri beneficii conferre nolit,  
cebit id facere sub nomine imputate actionis  
cujus, quæ alias ad ipsum non pertinebat,  
cujus intuitu tale quid postulare non poterat.  
illud ratio non permittit, ut ex ejusmodi præte  
tu in alterum velim derivare effectum actio  
male, quæ cum ipso nullam habet connexionem  
cum alias isti effectus naturalem ipsius conditi  
nem non sequerentur. Neque tamen inficias  
possumus, dari casus, in quibus etiam odiosa n  
bis, utut præter omnem fere culpam, imputat  
tur, quod in societatibus potissimum, ubi ne  
raro unus pro altero tenetur, evenire solet. Ce  
te si Princeps ab alio, penes quem patiter sum  
ma est Majestas, læsus sit, & hic satisfactionem  
per literas prius vel Legationem debite expetitar  
impet*

impertiri nolit, non dubitabit iste bona subdito-  
 rum alterius, utut in se sint innoxii, invadere, &  
 vel manu armata, quantum resarciendo damno  
 sufficere videbitur, auferre, ut hac ratione medi-  
 ae per subditos injuria illata in Magistratum re-  
 torqueatur; tendit huc responsum *Agésilai* ad  
*Rharnabazum*, Regis Persiæ subditum: Ἡμεῖς,  
 ὦ Φαρνάβαξε, καὶ Φίλοι ὄντες πρότερον βασιλέ-  
 ως, ἐχρώμεθα τοῖς ἐκείνου πράγμασι Φιλικῶς,  
 καὶ τῶν πολέμοι γεγονότες, πολεμικῶς: ἀραγε  
 καὶ σε τῶν βασιλέως κλημάτων ὀρώντες, εἶναι βε-  
 λόμενον, εἰκότως διὰ σὲ βλάπτομεν ἐκείνον. Vid.  
*Blacomb. in Histor. Agésil.* Quod vero hic mo-  
 dus ius saum persecuendi non repugnet æquita-  
 ti naturali, illud solide ostendit *Grotius de J. B. &*  
*P. L. III. C. II. & Simon in Not. & Animadv.*  
*ad b. l.*

### §. III.

His ita præmissis, ad ipsum fundamentum  
 imputationis actionum moralium progredimur;  
 illud vero cum *Pufendorfio Libertatem Volunta-  
 tis in agendo* constituimus, seu quod in faculta-  
 te & potestate alicujus sit, actionem fieri, vel non  
 fieri, suscipi, vel omitti; *Hedingerus* Influxum  
 dicit liberi arbitrii in actionem, in *Append. Ju-  
 risprud. Nat.* Propior enim causa, cur quis de  
 effectu actionis participare debeat, reddi non pot-  
 est; quam quod ad eandem libere & certo confi-  
 detur quacunque ratione concurrerit. Atque hoc  
 fundamentum cum primo socialitatis principio  
 arctissi-

arctissime cohæret, ut, isto sublato, facta & hæc conservari non possit; quæso enim quisque ob eas actiones, quas fieri, vel non penes ipsum non erat, gravius subinde in communi exagitaretur, quæ rerum confusæ, quæ turbæ, quæ lites & rixæ forent exoriræ! sane non posset non brevi vinculum societatis, humanæ dissolvi. Unde æquum, imo necessarium videbatur, ad tuendam salutem & tranquillitatem publicam, ut ad voluntatem proximæ & ejus in agendo libertatem respiceretur. Cave autem, quod de fundamento imputati hæc hactenus diximus, ad forum quoque Divinum trahas; in hoc enim sola *arbitria*, & transgressio Legis, ad contrahendum reatum sufficit, neque precise requiritur, ut sit proæretica, & cum placito ac libero voluntatis assensu conjuncta; ut peccatum per solam *arbitriam*, omiſſa voluntate, in scriptura describitur; a foro contra humanitatis rigor exulat, & præcipua eorum saltem actionum, quæ a sciente & volente perpetrantur, ratio haberi solet.

## §. IV.

Ex dictis fluit, non posse nobis imputari quæ non sint in potestate nostra, sed vires humanas excedant. Quo pertinent (a) *Impossibilia* unde vulgatum illud: *Impossibilem nulla obligatio*; quæ verba tamen non simpliciter sunt accipienda, sed cum addito: ni impotentia culpa nostra contracta sit, hoc enim si fiat, obligatio

non tollitur. Quo sensu recte Theologi docent, Deum impletionem Legis Mosaicæ jure a nobis postulare; licet enim hodie post lapsum, amissis liberi arbitrii viribus, plane impossibilis sit; tamen quia hoc culpa nostra evenit, ideo ex parte Dei jure urgendi omnimodam & perfectam Legis impletionem saluum & integrum perstat. Quemadmodum si quis mutuo det alicui pecuniam, hic vero suo incuria dissipet, nec sit amplius solvendo; creditor injustitiæ argui non potest, si ab hæredibus ejus creditam pecuniam exigat; quo simili sorte & eleganter hanc rem illustrat *B. Cunr. Dieter. Instit. Catech. Loc. de Leg. implet. Quæst. VI.* Caterum impossibilia vel natura talia sunt, vel jure; illa cum sint supra hominem, & virtute naturali effici nequeant, imputari non possunt, imo temeritatis & dementiæ est, curiosius illa affectasse. Hinc non injuria *Bias*, Græcorum Sapientissimus, *Amasin* Regem Ægyptiorum, quod artem exhauriendi mare a se doceri vellet, ridet, lepidoque responso etudit, apud *Plut. in Conviv.* Vere *Demosth. adv. Midiam*, p. 395. *Μανία ἴσως ἐστίν, ὑπὲρ δυνάμιν τι ποιεῖν.* Paria habet idem *Plut. de vitioso pudore*, p. 533. *Ὅουκ αἰσχρὸν, τὸ μὴ πάντα δυνατά, τὸ δὲ μὴ δυναμένως ἢ μὴ πεφυκότας, ἀνάδεχέσθαι τὰ τοιαῦτα, καὶ παραβιάζεσθαι, ἀλλὰ τῷ αἰσχεῶ καὶ λυπηρότατόν ἐστι.* Jure pro impossibilibus habentur, quæ cum bonis moribus, concupiscentia, ac honestate pugnant; horum omis-  
 ideo non imputatur, ut potius in laudem &

R

glo-

gloriam cedat, iis caute & solícite abstinuisse. ea, quæ non sunt in potestate nostra, referuntur.

(b) *Naturalia*, unde & hæc non imputantur, in quantum quis naturam degenerem adjuvare vitia naturalia pertinaci studio, atque industria, viribus emollire noluit. Mireris propterea nonnullorum impudentiam, qui defectus naturalis ingenii, iudicii, vel memoriæ imbecillitatem, ita corporis nævos, vultus, habitus, aut membrorum distortorum vel plane deficientium deformitatem temere aliis exprobrare sustineant; graviter iniqui ejusmodi vitiorum naturalium æstimatores objurgat *Plato in Protag.* & *Plut. Homeri* in eo prudentiam deprædicat, illos etiam deridentis, quod aliquis defectus naturalis pudor subiret; *Libr. de Audiendis Poëtis, p. 35.* Hinc reducenda etiam sunt

(c) *Casualia & Fortuita*; quæ enim a fortuna, & casu, dependent, potestati & directioni humanæ non subsunt, atque adeo nec culpam, vel imputationem admittunt. Prudenter *Demosth. Oratio pro Ctesiph.* p. 360. inquit: ἐγὼ δ' ὅλωσ μὲν ὅς τις ἀνθρώπων ἂν, ἀνθρώπων τύχην προφέρει, παντελῶς ἀνόητον ἡγῶμαι: *Omnino quisquis homini, quicum ipse homo sit, fortunam exprobrat, ego eum stolidum prorsus & mente captum esse puto.* Fieri tamen potest, ut casum etiam fortuitum, qui alias non est in potestate hominis, præstare teneamur, si scilicet ad id antea disertis verbis nos obstrinxerimus. Confer. *Pufend. de J. N. & G. L. B. C. V. §. 5.*

§. V.

Ex eodem principio, superius constituto, elucet, non posse imputari, quod quis agat cessante, vel deficiente usu rationis; utut enim in homine, qui menti non est compos, sensus objecta recipiant; intellectus tamen non pollet facultate dextre de iis iudicandi, & sub ratione boni vel mali voluntati ex æquo commendandi. Unde gratis infantes ad reddendam actionum suarum rationem adstringuntur, cum actus non nisi directi, minus autem reflexi, in iis se prodant, quare nec culpa, quam in foro humano imputatio excipiat, nec poena proprie sic dicta in eos cadit, & si quandoque ob petulantiam reprehendantur, vel castigantur, ista castigatio non se habet per modum poenae; sed auidæ emendationis, ne molestiam aliis facessant, & illud, cui in tenera ætate assueverant, post adultiores facti acrius insectentur. Quandoque tamen effectus culpæ paternæ etiam in infantes & parvulos redundat; sic multoties integram familiam ob seditiosam conspirationem, tamenque perduellionis civitate ejici, bonisque fisco addictis, exilio multari videas; at quicquid hic mali parvulis obtingit, illud non tam poena strictè talis, quæ culpam propriam præsupponit, quam infamiam dicendum est, quo etiam liberi innoxii alligantur, ut alii hoc magis ab iniquitate tanti sceleris absterreantur, si meminerint, infamiam inde non sibi modo, verum etiam suis totique capi impendere.

B a

lum



sum veniunt furiosi atque insani, nam & in voluntati ob suspensum & perturbatum rationis sum sua in agendo libertas non est relicta, ut quicquid agunt, impetu, non consilio, egissentur; modo certum & exploratum sit, furor non esse fictum & simulatum, qualem Sicut quondam in Palatio *Theudis* Gothorum Regis se tulit, ut facilius obtruncati a se Regis veni impetraret; vid. *Isid. in Chron. Goth.* alias si ra insania animadvertatur, valet illud *Salvia* *Voluntas crimen non habet, ubi furore peccat* *Libr. de Gubern. Dei, p. 232.* Unde etiam quod si quando contingat, ut phreneticus aut briticans nefanda proloquatur, & in hac mentis alienatione decedat, vel etiam necem sibi commiscat, bene de eo sperandum censeant Theologi, demque ac salutem ejus non delirio presenti, vita ante acta, cum ratio sibi adhuc constaret, nuntiandam esse, cordate judicent. Qui autem culpa est, cur ratione recte uti nequeat, is uti de actibus, per furorem patris, respondere tenetur; ita ebrio, gravius delinquenti, utat mens animus in exilio sit, non simpliciter culpa condannatur; quinimo legem a *Pittaco*, uno e septem Sapientibus Græciæ, latam refert *Plut. in Conv. septem Sap.* qua, si quis per ebrietatem peccaret, dupla ejus, quæ in sobrio infligeretur, poena constituta fuerit. Quid vero de dormientibus & somniantibus dicamus, num his forte, quod per quædam agunt, imputari possit? Et facile apparet, non possit

posse; propterea quod in somno usus rationis cesset, neque sit in potestate dormientis, velitne somnare, nec ne. Vid. *Tertull. de Anima, cap. 49.* Quare inique olim egit Imperator *Constantius*, quod eos, qui somnium de se habuissent, idque uni ex amicis forte enarrassent, capitali supplicio affici iuberet; qui rigor Cæsaris cum inter subditos percrebuisse, tantum postea aberat, ut quisquam visa nocturna proderet, ut ægre homines dormisse se presentibus faterentur externis; teste *Ammian. Marcell. L. XV. C. IV.* quia autem ut plurimum ex eo, quod quis interdium egit, & cum studio tractavit, somnium nascitur, juxta *Claud. Omnia, que sensu voluntur vota diurno, pectore sopito reddis amica quies*; ideo si per diem turpia & obscena cum voluptate mediteris, eorundemque imagines postmodum noctu per quietem tibi se insinuant, non eris ab omni culpa immunis.

§. VI.

Si actio ex ignorantia involuntaria ac inevitabili proficiscatur, imputationi pariter non est locus; namque reddit hæc actionem prorsus invitam atque involuntariam, & agens pro non agente habetur; modo ignorantia fit involuntaria & inevitabilis non tantum in se, verum etiam in sua causa, deficiente enim hac conditione, actio utique imputatur. Ita qui ebrius gladio alterum transigit, frustra deinde omnem poenam deprecabitur, aut vel maxime, discussa crapula, rem omnem ignoret; ipse enim in culpa est, cur mens ante,

R 3

quam

quam hoc scelus aggredetur, turbata, usur-  
 rationis nimia vini ingurgitatione sublatus fu-  
 quamvis capitale supplicium omnino mitigari,  
 poenam quamcunque arbitrariam, permutari so-  
 At si ignorantia vincibilis & voluntaria actio  
 producat, imputationis necessitas hoc minus  
 clinari poterit; etenim cum hoc modo volu-  
 sit causa ignorantiae, æquum est, ut, qui sciens  
 volens deliquit, debitas etiam delicti poenas sub-  
 Et hac ignorantia laborare creduntur omnes, qu-  
 quot jus vel universale, vel particulare ignora-  
 jus enim universale, quod cum Jure Naturæ co-  
 cidit, tam altas in natura humana radices egit,  
 absque negotio etni, atque intelligi possit, ni su-  
 na quædam & affectata negligentia intercedat;  
 & Jus humanum ac particulare ita promulgatum  
 Legislatore, ut cujvis facile innotescat; ut ad  
 ignorantia, quæ hic deprehenditur, non possit  
 voluntaria esse, ac vincibilis. Quamvis Jus Civ-  
 militum, foeminarum, & minorennium ignora-  
 tia nonnihil indulgeat; forte quod isti ob turba-  
 bellicas, hi ob sexus vel ætatis imbecillitatem, pro-  
 mulgationi legum non adeo semper intenti esse  
 possint; præcipue cum foeminis majori laudi di-  
 catur, si res domesticas sedulo curent; quam si  
 foro obambulare, & quæ leges recens latæ, valvæ  
 que publicis affixæ sint, curiose inquirere velint.  
 Circa Leges N. nulla prorsus obtinet dispensatio  
 utpote quas omnes & scire possunt, & debent; &  
 hic rigor non solum ad communissima præcepta  
 verum

verum etiam ad specialia & certas circumstantias, eminentiores maxime, se extendit; secus quam videtur *Uterque Phil. Mor. L. II. C. IV. Axiom. VI.* qui ignorantiam Juris universalis seu Naturalis ratione circumstantiarum non imputandam censet: Sic præceptum de non occidendo proximo ignorare quidem neminem posse, ait, non minus tamen fieri posse, ut quis ignoret, per illud ipsum præceptum nec nocere homini, lethaliter decumbenti, mortem, si ipse roget, accelerare. Atenimvero fallitur in eo *Uterus*, quod omnem fere culpam ejusmodi ignorantiae derogat; licet enim commiserationi & dictandæ mitiori poenæ ansam det, non tamen actum penitus excusat; præcipue, si circumstantia absque multo labore e principiis naturæ investigari possit, qualis est hæc, quæ modo allata est. Quis enim dubitet, graviari poena dignum, & tantum non homicidii reum esse, qui hominis, in agone constituti, fata accelerare, & necem quocunque modo inferre sustineat, utut forte ad id rogatus sit, & bona etiam intentione faciat, ne alter, de cujus salute omnes desperant, tantis doloribus, & cruciatibus, longius exponatur? obstat enim præceptum de non occidendo proximo; nec est, quod opponas, nescivisse te, voluntatem Legislatoris ad hunc etiam specialem casum, positis his circumstantiis, trahendam esse; debebas enim nosse, & poteras etiam, modo intimius eandem ductu luminis naturæ scrutatus fuisses; ut pro ignorantia, quæ hic occurrit, non multum

a voluntaria & vincibili abeat. Ad hanc ultimam vulgo etiam referunt ignorantiam concomitantem qua quis ignorans quidem agit, quod agit, idem tamen acturus esset, si vel maxime nosset; atque hæc imputatur non in totum, sed in tantum, quantum tenus scilicet ob dolorem omissum, & subsequentem approbationem, factum prius ex parte voluntarium reddit; sic haud impunitus dimittitur miles, qui, cum hostem globo petiturus esset, Ducem vel Praefectum, casu ita ferente, trajicit; Sic quidem de hoc facto non doleat, sed potius exultet & lætetur, cum, a quo durius crebro habitus esset, aliquando periisse, cujus perimendi occasione ipse dudum optasset.

## §. VII.

Ignorantiam excipit error, a quo non nisi eo distinguitur, quod ignorantia nudam cognitionis absentiam, & denegationem, error autem falsam insimul animi persuasionem inducat; isque geminus est, speculativus, & practicus; speculativus falsam opinionem circa necessitatem actionis vel suscipiendæ, vel omittendæ, denotat; & hic si pro objecto habuerit res, lege vel præceptas, vel prohibitas, efficit, ut actio, quam generat, agentis imputetur. Ut ut enim forte actus externus cum lege consentiat; quia tamen cum interno peccandi proposito conjunctus est, vitio non caret; & hoc fundamento mittitur tritum in Moralibus Axioma: *In re, per se mandata, aut prohibita, judicandum, quod lege interdictum, aut omittendum*

*dum, quod mandatum, peccat, siue secundum, siue contra conscientiam agat. Vid. Dn. D. Olca-  
rii Theol. Casuist. Cap. VIII. §. 30. At si error spe-  
culativus versetur circa rem indifferentem, & adia-  
phoram, actus exinde promanans imputatur agen-  
ti, si contra, minus vero si secundum dictamen  
mentis erroræ agat; Sic complures hodie inter  
Christianos invenias, qui religioni sibi ducant, car-  
nem suffocatam manducare, inducti forte *Loc.  
Aët. XV. 20. 29. XXI. 25.* minus dextre intellectis.  
Hi si suffocato abstinere velint, abstineant, impu-  
ne hoc fit, agitur enim de re, divinitus neque præ-  
cepta, neque prohibita; Sin autem, stante hoc  
errore, pari libertate luxuriantem stomachum esu  
ejusmodi carnis lenire sustineant, hoc ipsis in cri-  
men cedit, ob internam proæreseos peccandi pra-  
vritatem. Errorem practicum dicunt, qui in exer-  
cicio actionis præscriptæ se prodit, puta, si obje-  
ctum ejus legitimum fuerit sublatum, & aliud in  
locum ejus substitutum; vel si circa tempus &  
modum executionis demandatæ sit erratum. *Conf.  
Pufend. de J. N. & G. L. I. C. III. §. 15.* Qui er-  
ror si invincibilis sit, effectus malæ applicatæ a-  
ctionis excusatur, sin vincibilis, imputatur. Pro  
vincibili autem tum maxime habendus est, si con-  
cernat objectum, vel circumstantiam eminentio-  
rem discrete expressam, & determinatam; ut si mi-  
litibus in excubiis ad portam constitutus, pro sociis  
hostes, & pro civibus exploratores admittat, atque  
circum personas erret; is nullum in prætextu*

erroris personalis refugium invenit, sed hal-  
 pœnam ac indignationem Ducis metuat; na-  
 hoc præcise tempus ipsi fuit assignatum, quod  
 trantes examinare, & caute ac circumspici  
 invicem distingvere deberet. Caterum si a-  
 non tam cum errore, quam cum dubitatione  
 ceterum, actio, ni eandem ceu peccaminosa  
 imputari velis, suspendenda est, quoad majore  
 intellectui accedat; vel si omnino, urgente ne-  
 cessitate, alterutra contradictionis pars seligenda  
 tutiorem selige; hanc si ipse assequi & perspicere  
 nequeas, prudentiores in consilium adhibere  
 erubescere, memor verborum *Hesiodi*: ἔτι  
 πανάρις, ὃς αὐτῶ πάντα νοήσει, φρασεῖ  
 μὲν τὰ κ' ἔπειτα καὶ εἰς τέλος ἦσιν ἀμεί-  
 εἰδλὸς δ' αὖ κακῆν, ὃς εὖ εἰπὼντι πῖθ' ἔ-  
 ἴς δέ κε μηδ' αὐτῶ νοεῖν, μήτ' ἄλλ' ἀκέρων ἐ-  
 μῶ βαιδῆται, ὃδ' αὖ ἀχρηῖ ἀνής.

## §. VIII.

Quæ quis agit ex urgente & ineluctabili  
 dam necessitate, imputari quoque non possit  
 namque & hæc libertatem voluntatis in agendo  
 suspendit, ut ad illud se determinet, quod ali-  
 concessio libero arbitrio, nunquam esset proba-  
 ra. Intelligimus vero hic necessitatem non quæ  
 lemuncule, sed eam, quæ cum presentissimo  
 re periculo conjuncta sit; Bonacina dicitur  
 cessitas extrema & gravissima, *Theol. Mor. Tom. I.*  
*II. Tract. 1. Disput. 3. Ciceroni vero L. II. de Officiis*  
*gent. & ex eo alijs J. N. Scriptotibus, Zenigra*

maxime in *Disquisit. de J. G. Art. 9. §. 17.* necessitas incolumitatis audit. Hoc enim passu homo extra se ipsum quasi constitutus est, ut intrinseca necessitate in istam partem feratur, quæ imminens vitæ periculum remove, & immunitatem conciliare videatur; Sic nemo homicidii reus censetur, qui violentum aggressorem vel cum nece ipsius repulerit; hanc enim defensionem, cum alia elabendi via in presenti non detur, ipsa natura commendat, imo imperat; neque hic quicquam iniquitatis subest; quippe nihil juris alter allegare potest, cur ego corpus meum, cujus conservationem natura mihi tam severe injungit, impune confodendum ipsi porrigere, & specialem mei ipsius amorem communi illi ac generali, quo omnes promiscue homines complectimur, postponere debeam. Confer. *Heding. Jurisprud. Nat. Tit. IV. §. V. Byffel. de J. N. & G. C. LX. §. 35. B. Alberti. Compend. J. N. P. II. C. III. & Dn. D. Smidium, in Dissert. de Favore Necessitatis, §. XXI.* Quod si autem violentus aggressor sit persona, filiali amoris, observantia, & obsequio prosequenda, Principis, puta, vel parens, tum omnino imputari, & criminis loco haberi solet, vim illatam nece alterius occupasse; cujus rei rationes prolixè exponunt Commentatores in *H. Grotium Ziegl. Bæclen. Observ. Hennig. in Notis & Observ. ad L. II. C. I. §. III.* Ob eandem necessitatis inevitabilis rationem impune sibi ipsi quandoque vim inferre, & membrum carcinomate, vel alio morbo desperato infectum



infectum rescindere licere, indubium est; fatius sit partem, quam totum perire; neque mutilatio, tanquam species subtilis cujusdam *τοχερίας*, imputari potest, si vel maxime, facta spe recuperandæ valetudinis, præter opinionem mors subsequatur, hæc enim nonnisi per accidens intercedit. Cavendum vero, ne necessitas in extrema fingatur, ubi talis non occurrit; ut si quædam nem pistori subtrahat, & huic factæ ultimæ pellendæ famis necessitatem obtendere velit, inaudietur, quia necessitas, qualem ipse allegat non datur, imo vix hodierno Reipublicæ statum bilis est, quicquid in contrarium opponat *Grægorii B. & P. L. II. C. II. §. VI.* Recte enim *Heidegger* in *Not. ad b. l.* *Aut in extrema necessitate constitutus adhuc valet robusto corpore, aut infirmus decumbit? Si hoc, physice impeditur, rem autem re alienam: si illud, impeditur moraliter, nulla tanta famis necessitas sit, quin possit levare, vel emigratione, & mutatione solvi levare, aut evitari.* Cæterum probe hic nota quoties malum imminens ipsa morte naturali gravius & atrocius habeatur, tum nihil profusus computationi necessitatem detrudere; cujusmodi ad omnes sunt, quotquot cum Lege Divina directe e diametro pugnant, v. g. *perjurium, blasphemia, abnegatio Nominis Divini &c.* quoniam in *iusvis peccati proæretici commissio*, hic enim legislator, pro immutabili justitia & sanctitate sub lege generaliter concepta nullum casum excipit.

posse prælumitur; ut adeo culpa etiam levisissima imputetur, præcipue in causa Religionis, a qua proinde omnis simulatio, dissimulatio, & mendacium exulet, quaecumque tandem supplicium, vel mortis genus ab hostibus veritatis intentetur. Vid. *B. Dannb. Theol. Conscient. P. II. Sect. 2. Becm. in Lincis Doctr. Mor. C. VI. §. 8.*

§. IX.

Quæ ratio imputationis sit circa actiones, quas vis & coactio elicit, ex eodem, quod supra posuimus, principio facile constabit, scilicet, easdem imputari non posse, propterea, quod & ipsæ directioni ac libertati voluntatis minime sint subjectæ. At qui causam dedit, cur vim pati debeat, habet, quod sibi imputet; nam involuntarium ex voluntario ortum habens moraliter pro voluntario habetur, iudice *Grotio de J. B. & P. L. II. C. XVII. §. 19.* Gemina autem est vis & coactio, una interna, altera externa; internam dicimus, quæ in ipso homine est, qua urgente, positis omnibus ad agendum requisitis, non potest non agere; qualem vim internam in sensibus maxime deprehendimus, qui non possunt non in objecta ferri, & res obvias, ac in debita distantia oblatas, apprehendere; quare inique alterum hoc nomine culpabis, nisi in quantum culpæ quiddam ex titillatione & vitiosa circa objectum delectatione accedit. Negamus tamen, eos esse, qui eandem vim internam actibus, in habitu malo profectis, inducere fatagant; sic plures hodie invenias, qui se intrinseca vi ac

neces-

necessitate abreptos dicant, ad patrandos a prohibitos, si quando vindictæ, ebrietatis, scelerationis, vel indignæ in jurando levitatis crimen exprobreter; alit vanus & inanis hic prætextus quantascunque enim radices habitus pravus in animo egerit, non tamen iudicium intellectus imperium voluntatis penitus respuit, & libertatem in agendo demit; deinde sibi tributum hujus farinae homines, si crebrior unius actionis iteratio in habitum tandem difficulter de natura mobilem degeneret, quem si rursus exuere vel domandus affectuum impetus, & coercenda malum proclivitas, ut quicquid agant, consilio & iudicio agant. Vis externa tum inferitur quando principium motus est in alio, ut membra alterius repugnantis & renitentis ad agendum vel patiendum abstrahantur; quæ vis externa actionem innoxiam præstat; ita, si robustior manus tua, per vim ablata, aliam alteri infligat, vel motu vehementiori impetum in te faciat, ut in adversarios a fronte vel a tergo stantes gravius illidant, tu quidem excusaberis, sed alter debitas proterviam viæ poenas dabit. Habemus in his consentientes *Pufendorf. de Jur. Nat. & Gent. L. I. C. 1. §. 9.* At in eo ab illustri Viro dissentimus, quod omnis culpæ expertem iudicet, qui ab altero ne te intentata compellatur, ad suscipiendam executionem facinoris, quod ipse alias vehementer aversetur, & cuius non ipse, sed alter autor haberi velit. Si enim iniquitas actionis, quæ im-

per-

peratur, manifesta & notoria sit, tum etiam executio, quamvis vi extorta, imputatur. Servus certe, qui ut presentissimo vitæ discrimini se subduceret, innocentem jussu heri obtruncare ausus est, frustra sibi omnimodam impunitatem pollicetur; namque executio quorundam actuum, quod ipse *Pufend.* tandem motus rei evidentia, *circa finem §. cit.* fatetur, ita gravis est, ut genitorem habeatur, mori malle, quam talibus patrandis sua membra accommodare, licet in alio culpa sit hæc.

§. X.

Ut actio alicui imputari possit, non præcise requiritur, ut aliquis sit causa ejus physica, sed sola moralis sufficit; quamvis enim hæc actum immediate non producat, ejus tamen productionem quodammodo promovet, & sustentat; puta, si quis vel jubeat actum, vel cogat, vel sva-deat, vel incitet, vel moveat quomocunque agens ad agendum, vel subministret media & instrumenta ad facinus perpetrandum, vel non vetet, non dissuadeat, non impediatur, cum impedire possit, &c. Vid. *Donati Metaph. Usual. Cap. XXVIII. §. 144.* Imo si causa physica se mere passivæ, & per modum instrumenti, habuerit, omnis imputationis si non omni, saltem majori ex parte, in causam moralem, cujus auctoritate atque auspiciis actio suscepta est, devolvitur. Ita, si garnix innocentem ad capitale supplicium abstrahat, vel milites mandato Principis regionem

injuste invadant & depopulentur, non tam  
 nificem, vel milites, quibus sola executio de-  
 data est, quam Magistratum & Principem, e-  
 nutu atque imperio ista gerebantur, injusti-  
 tyrannidis arguimus. Recte *Chrysostomus*  
 carnificum ministerio pronunciat: Πολλοὶ  
 ἀρχόντων ἐπὶ φόνοις ἀδίκους κατηγορηθέν-  
 δίκην ἔδοσαν; τὰς δὲ δημίους τὰς διακονημένους  
 φόνῳ καὶ αὐτόχειρας γινομένους τῆς σφα-  
 γῆς εἰς δικαστήριον ἐλκύσαι τις, ἀλλ' ἔδὲ ζήτη-  
 τὴν ἀρχὴν, τῆς ἀνάγκης αὐτῶν ἀπολογεῖται  
 καὶ τὴν τῆς ἀρχῆς ἀξιώματι καὶ τῆς τα-  
 χυῆς φόβῳ. *de Provid. III.* Scias tam-  
 quod jam paulo ante attigimus, excipi-  
 casum, quo de injustitia causæ aperte contum-  
 tum enim etiam id, quod dependenter &  
 modum instrumenti præstitum est, ex parte  
 putatur. Certe, ut ad prius exemplum recur-  
 mus, difficulter ab omni culpa vindicabitur  
 nifex, si de innocentia ejus, qui capitis damnatus  
 est, intime persuasus & convictus sit, & tam-  
 quod imperatum est, cæco impetu exequatur.  
 Sed nec militibus plenam impunitatem facile  
 cedas, si regionem alienam, utut injustitiam  
 iniquitatem belli, cui gerendo adhibentur, cog-  
 tam & perspectam habeant, aggredi & hostes  
 in cives exercere sustinuerint; siquidem injusti-  
 causæ operam quoque ipsorum injustam reddunt.  
 Nonnulli hic cum *Aristotele* distinguunt inter  
 facere *injuste*, & facere *injustum*; prius tribuunt

cau

causæ principali, posteriori ministeriali, meram executionem in se suscipienti; enimvero ut largiamur, hoc discrimen tum locum invenire, ubi causa ministerialis ignorat, injustitiæ quiddam actionem præceptam in se continere; si autem noverit, & tamen sciens ac prudens, quod injuste demandatum est, exequatur, tum non minus injuste, quam injustum fecisse, dicenda est. Quod si autem causa belli dubie vel apparenter tantum injusta videatur, mandato Principis, arma imperantis, parendum est, ut inobedientiæ crimen vitetur. Namque boni civis est, optime semper & quam sanctissime de Principe suo sentire, neque ullo in casu malum præsumere, nisi contrarium in luce & oculis omnium versetur; valet enim hic regula communis: *Tene certum, relinque incertum*; jam vero certum est, inquit *Gerhard. Loc. de Magistr.* quod subdit obedientiam debeant Magistratui, non præcipienti manifeste impia atque injusta. Confer. *Ziegler. in Not. Grot.*

§. XI.

Diximus equidem modo in explicatione causæ moralis, actionem alterius tertio quoque imputari, si tandem, cum possit, impedire nolit; sed hoc non nisi ad eos casus extendendum est, in quibus obligatio adfuit, actionem alterius impediendi, hæc enim si negetur, ipsa quoque imputatio neganda. Et quo consequitur, pravæ hominum actiones Deo imputari nullo modo posse; licet enim virtute polleat, easdem pro arbitrio suo inhibendi, tamen

S

tamen

tamen cum nulla ad hoc ipsum obligatione  
 tur, nihil culpæ quoque in eundem transferr  
 est; sed nec illud, quod ad materiale acti  
 malarum concurrat, imputationi locum  
 namque materiale in se nihil mali complect  
 est positivum & physicum quid, a potentia  
 rali procedens, quod tum demum moralit  
 contrahit, si *avouit*, tanquam formale, acc  
 Cave autemingas cum *Zanchio L. V. de Nat*  
*C. II. & Calvino. L. II. Instit. cap. I.* Deum ne  
 tatem inducere voluntati humanæ etiam ad  
 pravos, ut non possit non in eosdem inclin  
 hoc enim concessio, in Numen Sanctissimum,  
 quid homines deliquerint, recidet; namque  
 bus causis ad peccatum concurrentibus, liber  
 necessaria, culpa redit in liberam, quod ut  
 blasphemum.

## §. XII.

Haecenus de imputatione actuum maxime  
 ternorum; internos quod concernit, isti impu  
 tur quidem in foro conscientiae & iustitiae Divi  
 minus autem in foro Civili; quia naturæ hui  
 naz congruum non est, ut ex actibus mere int  
 nis jus aut obligatio inter homines nascatur, aff  
 hanc rationem *Grotius de J. B. & P. L. II. C. X*  
 §. 18. atque hoc sensu admittit, quod Leges R  
 manæ dicitant: *Cogitationes poenam non mere*  
 bene tamen insimul advertit, actus internos, qu  
 tenus in externos influant, id est, quatenus con  
 tus accedat, in æstimationem omnino venire.

gravem culpam sustinet, qui consilium scelestum adversus Principem iniit; qui de patria perfide prodenda cum hoste egit; qui furtum meditatus est; qui prædatum exiit; qui venenum sibi, ut alterum occulte necaret, paravit, utut ejusmodi scelus perfici forte, & consummari non potuerit; neque enim hi actus pro mere internis haberi possunt, sed externos aperte simul includunt. In eo autem fallitur, & strenue pelagianizat *Grotius*, quod dubitet, utrum actus vitiosi interni, & motus primi pro peccatis proprie sic dictis haberi, & a Judice Divino imputari queant? *Peccatum enim*, ait *l. c. §. 19. esse non posse, nisi quod libere fiat*. Sic vero nec peccatum originis, nec concupiscentia, nec peccatum, quod ajunt, infirmitatis, vel ignorantia, peccatorum numero accensenda erunt, secus, quam *Apostolus* pronunciat *Rom. VII. 7.* quia & hæc non pendent ab arbitrio, & libertate humana, sed inscius ac invitis obrepunt, seque insinuant. Quare in eruenda & ponderanda actus vitiosi, in foro Divino imputandi, natura non tam ad libertatem, quam ad *avouïav*, & discessum a lege respiciendum; quod sub initium statim monuimus. Præterea *Grotius l. c. §. 20.* illis quoque actibus impunitatem tribuit, qui nec directe, nec indirecte pugnent cum societate, & homine altero. Enimvero ubi dantur ejusmodi actus vitiosi, qui nec directe, nec indirecte violent societatem humanam, & hominem alterum? Sane, qui vim sibi infert, qui corpus mutilat, qui vires ebrietate,



vel alio intemperantiæ genere atterit, qui bo-  
 immodico luxu dissipat, utut in se solum injuri-  
 videatur, societatem tamen, cujus ipse membrum  
 se proficitur, in simul lædit; quippe multum in-  
 terest Reipublicæ, probes & continententes cives ha-  
 buisse. Vid. *Simon. & Ziegler. in Not. ad c. l.* I-  
 lud pariter non ita simpliciter accipiendum est, quod  
 Grotius imputandos vel puniendos neget actus op-  
 positos virtutibus, quorum natura coactionem om-  
 nem repudiet, in quo genere ponit misericor-  
 diam, liberalitatem, gratia relationem &c. S-  
 enim per omissionem misericordie, verba sunt lau-  
 dat. *Ziegl. ad c. l. statui publico damnatum infer-*  
*tur, uti tum Magistratus adigere potest subditos,*  
*ut eleemosynas præstent, & misericordiam exer-*  
*ceant; ita dubium non est, etiam panis coercer-*  
*posse, qui præcepto non paruerint. Quia etsi nul-*  
*lum præcesserit mandatum, puniri tamen nihil-*  
*minus potest, qui fratri egeno, ne fame periret,*  
*alimenta non præstitit; utique enim si ille propter*  
*famem moriatur, denegans homicidii reus habe-*  
*tur. Sed satis pro ratione instituti. Quod reli-*  
 quum est, Numini Divino pro præstito nobis in  
 hoc labore auxilio humillimas grates persolvimus,  
 ut studiis nostris porro ex alto benedicere velit,  
 pie ac submisse precati!



necessitate teneantur, sed nec salva conscientia m-  
 rem gerere possint, utut vel maxime istiusmodi  
 ctus executio sub comminatione presentissima  
 atque acerbissimæ mortis imperetur. Quicquid  
 etiam hic statuat Pufendorfius, qui de J. N. &  
 L. VIII. C. I. §. 6. disertis verbis scribit: *Posse ut  
 que aliquem ab Imperante injunctam suscipere  
 meram executionem actionis, que in peccato  
 imputetur soli Imperanti, non item executionem  
 facienti.* Ad quod tamen hæc tria requirit. Pri-  
 mo, ut mera duntaxat executio illi injungatur  
 id est, ut ipse tantum membra sua viresque cor-  
 poris actui accommodet, de cætero autem neque  
 occasionem aut pretextum præbeat, neque excu-  
 sationem adhibeat, ac eundem exequatur pro  
 suo tanquam alienum, non tanquam suam. Se-  
 cundo, ut & illud ipsum Ministerium, quantum  
 potest, avertatur, & deprecetur. Tertio, ut  
 propter detestatam istam executionem ipse præ-  
 sens vitæ periculum, aut aliud grave malum, aut  
 quod pro altero subeundum, neque justitia, neque  
 & charitas obligat, intentetur a mandante, cuius  
 malum id representandi vires sunt, & præsen-  
 tium ubi is etiam citra nostram opem alteri malum  
 sit illaturus. At non potest nobis gravem sibi cu-  
 ram contrahere, peccati que alieni participem  
 reddere, qui executionem actus, cujus injuria  
 & turpitudine manifesta atque notoria est, in-  
 sciens, ac prudens, suscipit, instrumentumque ini-  
 quitatis agit. Nec quicquam intentatum a Su-  
 perio

periori præsentissimum vitæ discrimen excusat. Quæ enim moraliter turpia sunt, ea ne quidem extremo necessitatis casu licita fieri possunt; ut cordate iudicat Dn. *Kulpis. Colleg. Grot. p. 29. §. 14* Ubi & illud *Aristot.* recte opponit: Ἐνια δ' ἴσως ἔστι ἀναγκαθῆναι, ἀλλὰ μᾶλλον ἀποθνήσκειν, παθόντα τὰ δεινότερα. *Quædam fortasse sunt, ad quæ perpetranda nemo cogi compelli potest, sed potius extrema quæque pati ac mori, conuenit, L. III. Eth. c. 1.*

§. II.

Licet vero planissima sint, ac iadubiæ prorsus veritatis, quæ de naturali Summorum Imperantium obligatione traduntur; *Tb. Hobbes,* tamen a communi reliquorum sententia discedere, eandemque haud parum, quantum in se est, infringere, vel ex eo colligas, quod injuriam civi a civitate, seu eo, penes quem summa in civitate potestas est, inferri posse, audacter inficietur, *L. de Libe, c. XIII. §. 7. XII. §. 2.* Cujus rei hanc potissimum affert causam, quod homines, ubi primam societatem civilem iniissent, unius voluntati se sponte subjecerint; quare quicquid iste fecerit, ipsis volentibus fieri, volenti autem injuriam fieri non posse. Verum enim vero licet populus, quod facile damus, introducto civitatis statu, suæ voluntati velut renunciaße, & ejus, ad quem summam imperii detulit, arbitrio se suasque actiones in rebus mere civilibus permisisse præsumatur: Hoc ipso tamen Juri Divino ac Naturali, erga se

quoque sancte, inviolabiliterque servando, ni-  
 quicquam derogare vel potuit, vel voluit.  
 quid? Ergone injuriam civibus non illatam dic-  
 mus, si ad falsam Religionem amplexandam de-  
 rissimis modis compellantur? Si bonis, non ex-  
 gente Reipublicæ necessitate, per vim ereptis, a-  
 incitas, extremamque paupertatem, redigantur?  
 Si decus muliebri violento stupro expugnetur?  
 exilio, si capite innocentes, ob incertam duntaxat  
 facinoris, malevolorum obtreptione delati, su-  
 spicionem, indicta causa, mulcentur? Si cura de-  
 nique Regni abjiciatur, & tempus, quod vigilie  
 publicis dandum erat, luxu, otioque inani, trans-  
 igatur? Sed injuria, inquit *Hobbesius*, non fit  
 nisi ei, quicum pactum intercedit? Quid tum?  
 Quasi vero nulla Imperantes inter & parentes pa-  
 cta extarent. Deinde nec simpliciter verum est  
 quod injuriæ, nisi pacti ante initi læsio præcedat  
 locus non datur. *Quando enim, verba sunt Puf-*  
*fendorf. de Jur. Nat. & Gent. L. I. c. VII. §. 15. a-*  
*licui invito & non laceffenti dedita opera malum*  
*infertur, sive erepta bona quopiam, quod jam*  
*possidebat, sive inflicto positive malo aliquo,*  
*semper injuria fit, sive pactum intercesserit, sive non.*  
*Conf. etiam Huberus de Jure Civitat. L. I. c. XI.*  
 Aliud interim est, querere: Num Summus Im-  
 peratus in subditos injurius esse possit? Aliud  
 Num integrum sit subditis, factam injuriam vin-  
 dicare, & vim vi manuque armata repellere? Prius  
 admittimus, sed posterius citra summam impieta-  
 tem,

tem, detestandumque læsæ Majestatis crimen, & certissimam gravissimæ vindictæ divinæ provocationem, affirmari, vel tentari non potest. Idque Serenissimus & multifariæ quondam doctrinæ fama clarissimus Rex Angliæ *Jacob. I.* in *Libr. de Jur. Lib. Monarch.* egregie demonstravit, ubi inter alia hæc habet *f. 105.* *Nulla improbitas, quantum est, eorum judicio Regem subjiciet, quibus judicandis ille a Deo est prepositus. Quod si nec privatus in privatum sua injuria vindicanda potestatem habet, (hac enim Magistratus propria est, cui soli datus est a DEO gladius,) quanto minus populo aut cuiquam e populo, cum omnes privati sint, jus gladii adversus publicum Magistratum competet, cui soli jus gladii in eos concessum est.*

## §. III.

Ad aliud insuper, & in quo propugnando multus est, paradoxon delabitur *Hobbes*, dum docet *de Cive, c. XII. §. 1. c. VI. §. 16.* *Leges Naturales non determinare, quid bonum sit? quid malum? quid justum? quid injustum? sed illud ex Legibus Civilibus unice petendum esse, a quibus si abstrahatur, intelligi non posse, quid v. g. sit furtum? quid homicidium? quid adulterium?* Hac vero hypothese admittæ, necessario consequitur, Principem ad observationem Legum Naturalium non teneri. Si enim clare, & determinative, quid agendum, quidve omittendum sit, non exponunt, non possunt normæ & regulæ, secundum quam

Summus Imperans vitam instituat, vicem obsequi  
 siquidem hic ad Leges Civiles, quibus obstrictus  
 non est, fatente ipso *Hobb. c. XII. §. 4.* se remittit  
 ex iisque se informari non patitur. Quam fatentem  
 autem statuatur, cognitionem justii & injustii  
 folis Legibus Naturalibus, sepositis Civilibus, haberi  
 riri non posse, illud ostendit. laud. *Pufend. de  
 N. & G. L. VIII. c. I. §. 5.* nec est, cur huic  
 longius immoremur.

## §. IV.

Quod de Jure N. ejusque ad Summos quosque  
 que Imperantes extendenda obligatione diximus  
 idem ad Leges etiam positivas universales applicari  
 debet. Nam nec hæ, cum ab ipso Deo, qui si-  
 lus eas mutare, vel abrogare, & vim obligatoriam  
 in certis individuis per liberrimam dispensationem  
 suspendere valet, proficiscantur, Ex legem Summi  
 premium in his terris Magistratum sistant. Dicitur  
 tur autem Leges positivæ universales, (quarum  
 existentiam irritò quidam conatu impugnant,) quæ  
 publicatæ sunt omnibus hominibus, vel certe per  
 sonis, totum genus humanum representantibus  
 ea, quæ necessariam cum natura hominis rationis  
 connexionem non habent, determinantes; defini-  
 niente Dn. *Thomaf. Jurisprud. Div. L. I. c. II. §. 127.*  
 Quales Leges cum in aliis Scripturæ, cui huic  
 unice in hærendum, locis, tum *Levit. 18.* complu-  
 res recensentur. Atque in hisce tuendis, ac vindicandis,  
 tam severum se ultorem exhibet Deus, ut ob earum  
 neglectum, & malitiosam transgressionem

nem

nem, integros olim populos excidisse legatur, *cap. cit. v. 28, 29.* Quamobrem caute hic omnino Principi agendum, ne forte impingat, & jus sibi circa Legem ejusmodi, univesaliter obligantem, dispensandi temere sumat; siquidem id citra gravem Majestatis Divinae lationem fieri nequit. Contra quod ad Leges Divinas positivas particulares, in usum certae duntaxat Gentis datas, attinet, (cujus generis in V. T. decreta erant forensia, ad formandum Politiae Mosaicae statum, jussu Dei per Mosem promulgata) ad illas praecise Summus Imperans, ob deficientem universalem, eamque perpetuo valituram obligandi necessitatem, hac nostra aetate, alligatus non est. Unde liberum tenet hodiernum Rebus publicis, velitne usam vel alteram ex Legibus istis Mosaicis retinere, forsque suo aptare, an vero novas plane statuique praesenti magis accommodatas condere; secus quam videtur *Maccovia & Zeppero, Tract. de Leg. Mos.* quibus ea sedet opinio, Jus antiquum illud Judaicum, utpote ab ipso Deo datum, nostris etiam moribus, in causis civilibus, vel criminalibus minimum, definiendis vix Legis adhuc habere, nec facile negligi posse. Contra quos egregie disputat *Osiander in Grot. L. I. c. 1. Observat. II. lib. XVII.*

## §. V.

Quemadmodum igitur Summi Imperantes Legibus nec Naturalibus, nec positivis universalibus soluti sunt: Ita nec in iure Jus Gentium Exlex



lex vitæ genus illis tribui potest. Quamvis  
 ficias hæud eam, pluribus hoc negotium diffic  
 tatibus implicitum esse. Qui enim tale Jus a co  
 sensu Gentium, vel omnium, vel saltem morati  
 rum, eoque vel expresso, vel tacito & præsum  
 derant, illumque pro primo & adæquato, qui  
 non pauci Doctores faciunt, Principio venditar  
 ii quomodo se commode expedire, Principiqu  
 si forte dubius & scrupulosus sit, sequere hoc vi  
 culo exsolvere tentet, immutabilem & citra  
 norme facinus non frangendam vim hujus Jus  
 obligatoriam persuadere possint, ego sane non vi  
 deo. Quid si enim hic ex annalibus historiarum  
 que monumentis sibi demonstrari cupiat, quand  
 unquam gentes in universum omnes, vel major sal  
 tem earum pars, in unum sint coactæ, deque cer  
 tis ac universalem iis se subjiciendi necessitatem  
 imponentibus pactis Legibusve convenerint? Qui  
 si productis etiam & bona fide communicatis istis  
 usmodi conventionibus, quales tamen nusquam  
 in tabulis antiquioris ævi descriptæ leguntur, ne  
 get, se longius illis obligari velle, cum Principes  
 non simpliciter & indiscriminatim ad omnia, qua  
 Antecessores stipulati sint, teneantur, sed muta  
 to rerum statu, & ipsis quædam pro arbitrio cir  
 ca Leges mutandi facultas relicta sit? Nihil, cre  
 do, occurret, quod hæc objicienti solide reponi  
 possit; quamdiu solis universitatis consensus tan  
 quam obligationis causa efficiens a priori eandem  
 demonstrans adstruitur. Quare ut se hic Exle-

gem

gem putet Summus Imperans, alius repetenda venit Juris Gentium origo, & ab ipsa indole atque structura civitatum, a relativa earum conditione, & a mutuo, eoque indissolubili, quo colligantur invicem, nexu deducenda; ut prolixè docet *Henniges in Grot. L. I. C. I. §. 14.* Huic fundamento si dictum Jus superstruatur, haud difficulter, qui ad clavum imperii sedent, divi- nobunt, salutem publicam, sublato eo, sartam tectamque conservari non posse; adeo ut mora- lis Summos civitatum Rectores urgeat necessitas sedulo circumspiciendi, ne quis in hæc sanctissi- ma, & non nisi communi omnium cum præjudi- cio violanda, jura temere involet, sibi que plus, quam alii, somat. Quid? quod transgressorem conjunctis viribus adoriri, armisque ultricibus ceu hostem & turbatorem tranquillitatis publicæ per- sequi liceat.

§. VI.

Non jam cum illis in arenam descendere va- ret, qui nullum Jus Gentium inter & Naturæ re- ale ac positivum discrimen statuunt; qua in sen- tentia est, ut antiquiores taceam, *Pufendorf. de J. N. & G. L. II. C. III. §. 23.* & subscribunt *Tho- mas. Jurisprud. Div. L. I. c. II. §. 101. seqq. Ryffel. de J. N. & G. C. VII. §. 15. C. XXVII. §. 4. seqq. Mullinger. Jurispr. Nat. Quest. 1. §. 5.* alique com- munitatis. Id enim ad præsens institutum nihil facit, quod major Principi erga hoc Jus reverentia exhibetur, si inventum non humanum, sed di- vinum

vinum esse, cognoscat. Sat interim copiose utriusque Juris differentiam laudati Commentatores *Grotii* inculcarunt, quos sis vide. Add. *Huberus de Jure Civit. L. I. c. IV. Kulpis. Colleg. Grot. p. 18. §. 9.* Quamvis, quod *ἐν παράδοξοις* notamus, non per omnia nobis probentur, quae *Dn. Kulpis, L. c.* de divisione Juris Gentium tradit, quod aliud nimirum sit universale, aliud particulare, aliud perpetuum, aliud temporarium, antiquum aliud, aliud recentius, aliud naturaliter justum, aliud injustum, internum item aliud, aliud externum. Namque nonnisi unicum datur Jus Gentium, stricte sic dictum, idque universalissimum, ( siquidem cunctas orbis terrarum gentes obligans, ) perpetuum, ( quippe omnem ob intimum cum Rebus publicis nexum, mutationem, respuens, ) antiquissimum, ( etenim cum ipsis civitatibus ortum, ) naturaliter justum, ( utpote in ipsa principia Juris N. per discursum & conclusiones resolubile, ac adeo huic non opponendum, sed subordinandum, ) in foro pariter interno, atque externo, ob manifestam aequitatem naturalem, excusans.

## §. VII.

Demonstrato jam remote, quibus Legibus Summi Imperantes soluti non sint, restat, ut propiori ad institutum nostrum accessu facto, positive, quo sensu tandem Exleges iidem dicendi sint determinemus. Scilicet sit illud respectu Legum Civilium, *qua talium*. Quam limitationem & restrictionem consulto adjicimus. Etenim Leges C

vil

viles dupliciter spectari possunt, vel generaliter, in statu mixto, & sic ea etiam, quæ Jure Divino, ac Naturali, præcepta vel prohibita sunt, in quantum nempe ad florem civitati conciliandum, & honestatem, tranquillitatemque publicam tuendam faciunt, complectuntur, ac ob id ipsum in foro quoque civili explicari, inculcari, vindicari solent; vel specialiter, in statu puro, mereque civili, & hoc modo ea nonnisi comprehendunt, quæ pro liberissimo Summus Imperans a se arbitrio sancita, tanquam normam, & regulam, subditis proponit, eorumque naturalem agendi libertatem, circa res, in se alias indifferentes, constringit, certisque limitibus, prout e re civitatis videbatur, circumscribit. Posterior hoc loco significatus attenditur. Si quidem enim Leges Civiles ex Jure Divino admixtum habeant, illud Imperantes æque ac parentes obligare, paulo ante evicimus.

## §. VIII.

Cognoscitur vero liberrimus & ab omni obligatione civili exemptus Summorum Principum status. I. ex eo, quod Superiorem isti in his terris non agnoscant. Leges Civiles, ut quævis aliæ, feruntur a Superiori, nec concipi potest Lex, nisi in relatione ad eum, qui potentia major est, vimque alterum obligandi habet: Cum nemo pari, nedum inferiori, Legislatoris in se partes deferat, ab eoque, factu opus sit, ceu debitum sibi præscribi patitur. Et per hoc lex a consilio potissimum designatur, quod legem nonnisi a Superiori, consili-

filiū autem ab æquali etiam, imo haud raro ab inferiori, modo prudentiam nobis suam, dexteritatemque, comprobaverit, accipiamus. *Conf. Hobbes. de Civē, C. XIV. §. 7.* Jam vero, si a Deo immortalī discesseris, quem, quæso, Rex Superiorem in his terris veneratur? Cujus imperio, cujus regimini subest? Secundum sibi in regno fert, neminem parem, tantum abest, ut cujusquam potestati se subiciat, legibusve adstringi, & cogi sinat. Idque vel augustissimum, quo supra communem civium sortem evectus, & in altissimo dignitatis humanæ fastigio collocatus est, *Majestatis* nomen innuit. Quid enim *Majestas*? *Est summa in cives ac subditos legibusque soluta potestas. Bodin. de Republ. L. I. C. VIII.*

## §. IX.

Huic vero supereminenti dominio, tanquam præcipuo Status Exlegis Summorum Imperantium fundamento, haud parum detrahunt, qui illos Universitati adhuc subjacere, populoque, conjunctim sumto, inferiores esse, perhibent. Cujus erroris, quin verius diceres impietatis, jure meritoque insimulantur omnes, quotquot biceps illud Majestatis realis ac personalis monstrum in sinu fovent, partaque infelici protrudant, cum corpore civitatis absolute summam ac independentem, quæ realis ipsis dicitur, Majestatem nexu indissolubili coherere, eamque altera, quæ in personam (unde personalem vocant) Principis confectam populi transferatur, majorem superioremque

esse, prætendentes. - Hæc pessima, & in perniciem Regum, ruinamque civitatum, nata sententia, omni equidem ævo suos invenit patronos, suosque propugnatores; quos inter numerandi sunt *Althus. Polit. C. IX. Reinh. König. P. I. Theatr. Pol. C. XXIII. Limnens Capit. Rudolph. II. Art. 32?* (cujus argumenta examinat, solideque confutat *Henniges in Grot. L. I. C. III. §. 6.*) Nihil tamen illa ineptius fingi, nihil in Schola Politica absurdius doceri poterat. - Qualis enim hæc est Majestas, quæ universitati, quæ populo, quæ alii a se distinctæ Majestati subest? Certe Majestatem gerere, & alteri subjectum esse, manifesto implicat. Namque Majestas, quæ cum ex ipsa voce, tum ex allata modo a nobis definitione, patescit, est summa in civitate potestas; Qui vero summum appellari possit, quo majus quid & superius in eadem civitate datur? At populus est radicale subjectum Majestatis, a quo immediate Princeps habet, quod imperet? Negat hoc magni nominis *Jctus Ziegler. in Grot. L. I. c. III. §. 7.* negant cum eodem *Celeberrimi Viri, B. noster Alberti Compend. J. N. P. II. c. XIV. §. 3. Job. Frid. Horn. de Civit. C. II. c. I. Henniges, Osiander, Simon ad l. c.* Hi omnes non alias populo, quam personam Imperantis, designandi ac eligendi partes tribuunt, quæque vel uno actu perpetuo valituro, ut in Regibus successivis, vel sæpius iterando, ut in electionibus, cui immediate postmodum a Deo conferatur Majestas. In quo tamen a laudatis Viris ab-

T

eunt

eunt *Pufendorf. de J. N. & G. L. VII. C. III. §. 3. 4. Thomaf. Jurispr. Div. L. III. c. VI. §. 66. feqq.* aliique haud pauci, originem Majestatis, summæque potestatis, ab ipsis civitatibus, pactisve, quibus primum istæ coaluere, mutuis proxime derivantæ. Quamcunque hic opinionem suam fecerint Monarchomachi, perinde est, neutra desperatæ illorum causæ patrocinatur. Si enim præter designationis ac electionis beneficium nihil possidet populus, adeo, ut persona designata, ac electa, immediate summam a Deo regnandi potestatem nanciscatur, quo jure huic præponi, superiorque dici possit? Sin autem vel maxime detur, radicaliter summum imperium in universitate, atque populo, fundatum esse, a quo in Principem transferatur, eo tamen, postquam semel in personam, summæ rerum absolute præficiendam, Majestateque ornandam, consensus est, exiit, longeque inferior, siquidem subditi habitum induit, Imperante redditur, sola obsequii-gloria relicta.

## §. X.

Sed constituens, inquit, major & superior est constituto: Id vero non semper procedit. Num servus, qui se sponte ministerio alterius addicit, eumque hoc ipso herum constituit, hero superior est? Num fœmina, quæ ex duobus procis alterutrum selegit, fideque data, maritum constituit, marito superior est? Sciendum igitur, quod quis alium constituat vel supra se, vel juxta se, vel infra se; Si illud, constituens constituto minor, & istud,

istud, constituto æqualis, si hoc, constituto superior sit. Jam vero nullum est dubium, quin populus, quem Principem ac Dominum suum constituit, illo se hac subiectione, imperiique traditione, minorem inferioremque faciat. Vid. *Velt- hem. in Gros. L. I. c. III. & Cellar. Polit. c. VII. §. 23.* Ex quo & illud consequitur, auferri & retrahi, quæ semel Imperanti legitime tradita est, summam potestatem non posse. Idque ex duplici pacto, uno civium inter se, altero civium cum Imperante, eleganter, & ut solet, acute deduxit *Hobbes. de Cive, c. VI. §. 20.* *Quamquam, ait, imperium per pacta singulorum cum singulis constituitur, non tamen ab ea sola obligatione dependet imperii jus. Accedit obligatio erga habentem imperium. Civis enim unusquisque cum unoquoque paciscens, sic dicit: Ego jus meum transfero in hunc, ut tu transferas in eundem. Unde jus, quod unusquisque habebat, utendi viribus suis ad proprium beneficium, totum translatum est in aliquem hominem vel concilium ad beneficium commune. Itaque intercedentibus pactis, quibus singulis singuli obligantur, & juris donatione, quam ratam habere obligantur Imperanti, duplici obligatione civium munitur imperium, ea, quæ est ad concives, & ea, quæ est ad Imperantem. Non ergo cives, quocumque fuerint, sine consensu etiam ipsius Imperantis, eum spoliare imperio jure possunt. Quod si igitur civitas nihil adversus Imperantem*

I a

potest,



potest, quanto minus globo civium seditiose conspirantium adversus eundem confurgere, & hostilia quæque moliri licebit, prætentò licet, vel etiam obtento majoris partis consensu, utpote qui tam arduo in negotio nihil valet. Quod idem *Hobbes* cordate his verbis persecutus est: *Subditis sive convocatis imperio civitatis, sive seditiose concurrentibus, plurimi arbitrantur, consensum omnium contineri in consensu majoris partis. Quod quidem falsum est. Non enim a natura est, quod consensus majoris partis habeatur pro consensu omnium, neque per se in tumultibus; sed procedit ab institutione civili, & verum est tunc tantum, quando is homo vel curia illa, quæ summum habet imperium, cives convocans, propter numerum magnum, electis esse vult potestatem loquendi pro eligentibus, & loquentium majorem partem, circa eas res, quæ ab eo discutienda proponuntur, haberi pro omnibus. Non autem intelligitur is, qui habet summum imperium, convocasse cives ad disputandum de ipsius jure, nisi pertusus rerum discretis verbis imperium abjiciat. Hactenus Hobbes.*

## §. XI.

Ex legem Summorum Imperantium statum illud II. comprobatur, quod omnis obligatio legalis duo necessario requirit distincta subjecta, unum activum, quod obliget, præcipiendoque, vel prohibendo, voluntatem declaret; alterum passivum, quod obligetur, sequere præceptioni, factæque prohibi-

hibitioni, conformiter gerat. Utrumque ceu re-  
latum & correlatum se mutuo respicit, nec, nisi  
ipsa lege soluta, dissolvi, ac separari potest. Il-  
lud, inquam, obligat, hoc obligatur: illud impe-  
perat, hoc paret: illud superioris, hoc inferioris  
rationem habet. Quemadmodum vero nemo pot-  
est esse simul obligans, & obligatus; imperans si-  
mul, & parens; superior simul, & inferior: Ita  
non possunt non in hac ipsa, quæ dicimus, para-  
doxa impingere, quotquot Principes suis ipsorum-  
met legibus obstrictos volunt.

§. XII.

Non equidem adeo insolitum & infrequens  
esse, largimur, ut quis, pro diverso respectu, di-  
versam quoque imperantis ac parentis personam  
sustineat; Idque cum in aliis Rerumpublicarum  
formis, tum in Politia & Democratia quam cla-  
rissime perspicitur; siquidem in hac cives seorsim  
spectati parent, fidemque ac obsequium civitati,  
non secus atque in Monarchia subditi, debent, ii-  
dem vero conjunctim æstimati, in censum quoque  
Imperantium veniunt, legesque collatis suffragiis  
sanciant, & sancitas sancte omnes ac singuli ser-  
vere tenentur, quoad obligatio legalis communi  
vires consensu remittatur. At longe aliter sese  
cum Summo Principe habet, qui unicam tan-  
tammodo agit personam, nempe Imperantis, &  
quocunque consideretur modo, nullius plane sub-  
jectionis humanæ ac civilis capax est, ob eminenti-

tissimum, quo exornatum cernimus, Majestatis characterem.

§. XIII.

Geminum interim hunc, quem in Summo Imperante non admittendum censemus, obligantis ac obligati respectum haud obscure adstruere videtur Grotius, cum de *J. B. & P. L. II. C. IV. §. 12. n. 1.* inquit: *Se per modum legis, id est, per modum Superioris, obligare neminem posse, & hinc esse, quod Legum Auctores habeant Jus Leges suas mutandi: Possè tamen aliquem obligari sua Lege non directe, sed per reflexionem, qua scilicet pars sit-communitatis, ex equitate naturalis, que partes velit componi ad rationem integri, quod a Saule in Regni initiis observatum notet Sacra Historia I. Sam. C. XIV. 40.* Ea igitur mens est Grotii, quod obligentur quidem civiliter Imperantes, sed non qua tales, verum quatenus sint pars communitatis. Quæ distinctio si ad populum in Politia, vel ad Optimates in Aristocratia referatur, nihil habet vitii. Si quidem omnino isti, dum sigillatim spectantur, partemque communitatis faciunt, Legibus Civilibus obligantur, quippe qui revera tum a subditis nihil, vel parum, differunt. Quo jure autem ad Monarchas applicari possit, haud invenio. Homo enim partem duntaxat communitatis constitutere, commode dici nequit. Quamvis lateat aliqua in voce communitatis ambiguitas. Nonnunquam accipitur totaliter, & sic integrum denotat civitatis

corpus, ex Imperantibus, & parentibus, compositum; quo modo pars quidem communitatis est Princeps, sed tantum abest, ut propterea ad observationem Legum Civilium obligatus dici queat, ut populus tanquam Imperans, civibus sibi subjectis, legibusque a se adstrictis, e diametro opponatur. Quandoque autem partialiter communitas sumitur pro solo hominum vinculo civili connexorum, & sub unius, pluriumve imperio viventium, cœtu; eatenus Principem sub communitate, ceu partem, & membrum, non contineri, in apico est. Inane igitur & lubricum, quod in communitate, pro tuenda civili Summorum Imperantium obligatione, quaeritur, fundamentum putamus. Quid vero *Grotio* sit, obligari sua lege, non directe, sed per reflexionem, non adeo liquet. Si id vult, teneri Principem non quidem in foro externo curiæ, sed in foro interno conscientia, ut ne quid contra Leges, a se latas, committat, fallitur, sibi que in eod. §. contradicit. Si enim verum est, quod ait, neminem se per modum legis, id est, per modum Superioris, obligare posse, quomodo itaque Princeps conscientiam suam propria lege obligare possit? Ergone seipso superior dicendus erit? Rectius ista limitatione Leges Divinae, ac Naturales, (utpote quarum transgressio solam Principis conscientiam vulnerat, poenaeque non nisi Divinae reum facit, non vero culpam, in foro humano expiandam, contrahit,) quam Civiles, (quæ sunt

sunt ipsissima Principis voluntas, ejusdemque liberrimo arbitrio subjacent,) circumscribi poterant.

§. XIV.

Frustra *Grotius* exemplum allegat Regis *Saulis*, de quo *I. Sam. c. XIV.* commemoratur, quod, cum Gentem Israëliticam, adversus Philisteos pugnantem, ipso prælii die, sancte obtestatus esset, ne quis cibi quicquam ante solis occasum sumeret, quoad, hoste fuso, plenissimam impetrasset victoriam, ipse Rex suo abstinentiæ exemplo reliquis præiverit: Pariter quod, cum *Jonathan*, imprudens paterni interdicti, melle labra forte tinxisset, iraque Divina concitata videretur, adeo, ut *Saul*, quem factum filii latebat, in quo culpa hæreret, expiscaturus, sortem a populo duci vellet, denuo nec ipse communi se sortitioni subduxerit. Ex quo concludit *Grotius*, obligari Principem ex æquitate naturali, ut, quod a subditis requirit, idem ipse facere, non detrectet. Enimvero exigit quidem æquitas naturalis, ut Princeps rerum, quas inculcat, moralium, Lege Divina præceptorum, observantissimus sit, & nihil temere, ac inconsiderate, agat, ne scandalum subditis, mores ut plurimum ad vitam, & genium Imperantis componentibus, præbeat: Idem vero ad res, in se mere indifferentes, quales objectum Legum Civilium, qua talium, ut paulo post demonstrabitur, proprie constituunt, æque trahi nec potest, nec debet, utpote in quibus liberrime voluntas Principis dominatur, ac disponit. Quare ut ad exemplum

*Sau-*

*Saulis* deveniamus, nullis dubito, quin & jejuni-  
um, & fortitionem, licet ad utrumque cives adstrin-  
xisset, citra crimen omittere potuerit; siquidem  
utrumque in se indifferens, ac adiaphorum quid  
est, quod demum ex voluntate Regis moralitatem  
induerat. Abstinebat tamen libere cibo, scilicet  
ne immoderato ejus usu a persecutione hostium  
abstraheretur, ac ut populum simul edoceret, adeo  
nihil se iniqui postulare, ut nec ipse legis, quam  
præscripsisset, observantiam abnueret. Quin &  
sortem pari libertate subibat, quod conscientia  
fretus, probe sciret, nihil sibi ab ista metuendum  
esse; ac ut hoc graviore postea dignus haberetur  
supplicio, quem fors, cujus aleam ne Rex qui-  
dem declinasset, tanti sceleris autorem prodidisset.  
Quid? quod non legamus, *Saulem*, si omnino  
reus deprehenderetur, potestatem populo in se  
animadvertendi, poenamque capitis, in transgres-  
sorem statutam, sibi infligendi, dedisse, cum ta-  
men ne filium quidem, quem secundum a se in  
Regno habebat, exemptum vellet; quo ipso tacite  
significaturus erat, nihil in sacram Summi Impe-  
rantis personam subditis licere, nihilque Princi-  
pem vel culpæ, vel poenæ, ob statutorum mere  
civilium neglectum, sibi contrahere.

§. XV.

Illustre nobis III. pro neganda Legum Civili-  
um in Summis Imperantibus obligatione, argu-  
mentum, quod jam incidenter paulo ante attigi-  
mus, nascitur ex eo, quia Leges Civiles, qua ta-  
les,

les, seu, quod idem est, abstractivè a Legibus Divinis, ac Naturalibus, quibus interpolantur nonnunquam, consideratæ, actus notant in se, ac naturaliter nec bonos, nec malos, sed qui indifferentes plane sunt, & omnem demum moralitatem, indeque fluentem obligationem, a voluntate Principis mutuuntur. Quemadmodum verò res indifferentes, ac adiaphoræ, in plenissima hominis potestate sunt, ut ad eas vel eligendas, vel repudiandas, nulla teneatur necessitate, sed liberrimè disponat, alterutrumque oppositorum, citra culpam, vel rationis reddendæ, pœnæque sustinendæ metum, prout libuerit, simpliciter suam faciat: Ita si comprobatum sit, Leges Civiles, ad Principem relatas, circa mere indifferentia, versari, actusve in se nec ad justitiam, nec ad injustitiam determinatos, complecti, illud etiam satis, puto, evictum erit, nihil non circa eas Principi licere, nullaque stricte sic dicta obligatione ad hoc vel illo modo instituendum in civibus vitam urgeri. Atqui antecedentis probatio nihil difficultatis habet, nec quicquam nobis facessit negotii. Constat enim, a liberrimo Summi Imperantis arbitrio Leges Civiles pendere, & hoc ipso a Legibus cum Naturalibus, tum positivis Divinis potissimum distingvi, quod illæ voluntatem Legislatoris humani, istæ voluntatem Legislatoris Divini, & quidem ad vitam hominum socialem relatas, hæc vero eandem Legislatoris Divini voluntatem, sed abso-

absolute, ac simpliciter spectatam, pro fonte, atque origine, agnoscant.

§. XVI.

Neque enim id sibi sumunt Imperantes, si fingere agere velint, ut Leges, quibus Rempublicam instrunt, Civiles ab ipsomet Deo immediate profectas esse, subditis persuadere satagant; quod a *Zaleuco*, Locrensi Rectore, quondam factum accepimus, qui *Minervam* identidem sibi in conspectum venire, legesque dictare, & exponere dicebat, nihil eorum, quæ promulgaret, a se excogitatum, nihil consultatum esse. Idem *Minoi* apud *Græcos*, *Zamolxi* apud *Getas*, *Lycurgo* apud *Lacedæmones*, *Zathyrausti* apud *Arianos*, in more positum fuisse, ut suas nimirum Leges ipsis Diis & Oraculis vindicarent, *Diod. Sicul.* refert *L. I. c. 49.* Idque ex bis, ut laudatus Scriptor haud vane conjicit, rationibus; vel, quod admirandum prorsus & divinum esse judicarent commentum illud, quod in commodum societatis humane exiret; vel, quod vulgus ad Majestatem & potentiam illorum, qui leges invenisse dicerentur, respiciens, dicto magis audiens fore existimarent. Si tamen omnino accideret, ut Legibus civitas ab ipso Deo adornaretur; quod olim, cum *Θεοκρατία* in Gente Judaica adhuc vigeret, ussvenisse, ex S. Literis novimus: Tum sane Rectores civitatum non minus, quam cives, iis, quod divinitus constitutæ essent, obligarentur. Ast cum hodie, mutata rerum face, civilem Rerumpublicarum statum immediate

Deus



Deus non amplius formare, legibusve instruere soleat, sed illud omne liberrimo Imperantis arbitrio permiserit, hujus quidem voluntas civibus pro lege esse debet, sed ipse, ob eandem plenaræ potestatis, ac liberrimæ dispositionis, a Deo factam concessionem, obligationi civili exemptus esse censetur. Unde est, quod Leges Civiles, quandocunque ipsi collibitum sit, aut publica svadere videatur utilitas, vel mutet, vel penitus tollat, & abroget, reapse testatus, iis se alligatum non esse. Sed nec raro Legislatoꝝ humanus circa Legem, toti communitati præscriptam, dispensat, unum vel alterum ex civibus ab obligatione illius solvendo. Si vero alios ab obligatione legali solvere potest, quidni & semetipsum?

§. XVII.

✦ Exlex hæc Summorum Imperantium conditio exinde IV. evidens redditur, quia sanctio pœnalis (quæ alteram Legis essentiãlem partem constituit, notante *Pufendorf. de O. H. & C. L. I. c. II. §. 7.*) ad eos extendi non potest. Constitutiones civiles, ut facilius effrenis quorundam peccandi licentia coërceatur, & delinquentes, si non amore & studio æqui ac justii, quod complures, ubi spes cumprimis lucri affulget, negligunt, metu saltem infligendi mali ad officium reducantur, sanctionem subinde pœnalem conjunctam habent, qua vel specialius pœnæ & supplicii de Violatoribus sumendi genus exprimitur, vel generaliter minimum arbitrarie Legislatoꝝ animadversioni sub-

subjciendos esse, declaratur. Istiusmodi vero sanctionem pœnalem ad Summos Imperantes nullo modo trahi posse, certum est. Etenim ipsi Leges ferunt, & pœnas sanciant; si vero hujus sanctionis effectus ad se etiam redundaret, ipsos a semetipsis puniendos esse, summa cum absurditate dicendum foret. Accedit, quod omnis puni-  
 nito necessarium ad Superiorem involvat respectum, adeo ut pœnam a delinquente repetere non possit, qui nullum in eum jus ac potestatem habet: Summos autem Imperantes Superiori non subesse, sæpius jam dictum & demonstratum; nisi vox *Superioris* eo sumatur sensu, ut is, qui male egit, eo ipso se quovis alio inferiorem censeatur fecisse, & quasi ex hominum censu detrussisse in censum bestiarum, quæ homini subjacent, ut *Grotius*, ex mente quorundam Theologorum Scholasticorum, loquitur, *de J. B. & P. L. II. c. XX. §. 3.* Quod tamen nimis catachrestice dictum putamus; qui enim violat Legem, humanitatem non subito omnem exuit, & ad brutorum sortem deprimitur, multominus vero alterius, quem parem alias, vel inferiorem agnoscit, arbitrio tacite se permittit, licentiamque in se animadvertendi tribuit. Et si vel maxime quisquam vitæ sanctitate morumque continentia aliis superior evadat: Ista tamen qualiscunque superioritas moralis nihil adhuc juris potestatisque in transgressorem Legis confert, sed requiritur insuper superioritas imperii, ut recte monet *Dn. Tho-*

*Thomas. Jurisprud. div. L. II. c. VII. §. 31.* Nemo pœna affici potest, præterquam ab eo, cui ad obsequium obstrictus est, & cujus Leges in vitæ normam sibi præscriptas temeravit. Quia hoc ipso pœna a vindicta potissimum distinguitur, quod hæc, cum præter damni illati reparationem, nihil fere intendat, etiam a pari exerceatur; ista vero, cum non solum ad reparandum damnum lædentem adstringere, sed majorem insimul violatæ Legi auctoritatem conciliare, & sacrum quendam in civibus a tali delicto horrorem excitare debeat, a Superiori duntaxat infligatur. Vid. *Hedinger. Jurisprud. Nat. P. II. Sect. III. Tit. VI. §. 10.* Errat proin *Grotius*, quod jus puniendi delicta ad Superiorem præcise reducendum esse, neget, de *J. B. & P. L. II. c. XX. §. 3.* idque ideo: *Quia subjectum, cui jus illud debeat, per naturam determinatum non sit?* Imo vetè quam maxime determinatum est. Cum enim *hermo*, verba sunt *D. Simonis* in h. l. utpote animal rationale cum appetitu societatis, id est, communitatis non qualiscunque, sed tranquilla & pro sui intellectus modo ordinatæ cum his, quæ sui sunt generis, nascatur; nulla autem societas sine ordine esse aut conservari queat; ordo præterea necessario respectum Imperantium & parentium secum importet; Imperantes denique per modum potentie activæ sive formæ, parentes vero ut potentie passivæ sive materiæ in Republ. sese habeant; Indubitate sequitur, nisi illum ap-  
 poti

*petitum homo in actum deduxerit, eidem per naturam determinatum esse certum Subjectum, quod ipsam societatem non solum ad boni sibi convenientis promotionem dirigat; sed & , si illa in hoc indigentia statu a recti tramite declinet, aut lapsu quodam morali damnum capiat, iterum per punctum imprimis pœnale reparet. Et hoc uno vocabulo Magistratus indigitatur.*

§. XIIX.

*Nibil hic moramur veterum Philosophorum scholis, in quibus pleno, sed plane insano ac impudenti ore jactabatur: posse Principem, si ad Tyrannidem delabatur, puniri, & si admonitus sanio rem ad mentem redeat, ac intolerabili Rempublicam a se oppressam jugo liberet, ultimo supplicio affici. Plerique certe ex istis Pseudo-Politicis crassa laborabant ignorantia, ut nec naturam Tyrannidis, nec vim potestatis punitivæ recte caperent. Unde Tyrannum sibi fingebant, qualem nescio an ulla unquam ætas tolerit, vel posthac latura sit. Idque ex actibus Tyrannum, ex mente illorum, constituentibus facile colligas. Tyrannus ipsis erat, docente Cellar. ex Arist. L. V. Polit. C. II. qui potentiores cives potentia e-  
 xneret? qui sapientiores e medio tolleret, aut exilio multaret: qui scholarum usum abrogaret, omniaque removeret, unde prudentiam & in-  
 intelligentiam cives petere possint; qui inter divites & pauperes lites excitaret: qui ad extreme paupertatis terminos subditos redigeret: qui  
 bellum*

bellum concitaret : qui mulieribus in mari-  
 ros imperium concederet : qui adulatorem amaret,  
 ac magnificeret : qui honestos viros detestaretur,  
 ac odio persequeretur &c. Quæso autem te, ubi  
 unquam Princeps, quantocunque etiam rigore, ac  
 crudelitate, imperium deformasset suum, inven-  
 tus est, in quo tot ac tantorum vitiorum conflu-  
 ges reperiretur? unum enim alterumve actum ty-  
 rannicum Tyrannum nondum efficere, sed omni-  
 um fere in Principe, tam famoso titulo no-  
 tando, complementum requiri, illi ipsi Philo-  
 sophi tradunt; omnes vero istiusmodi actus in  
 uno homine compleri, ac consummari, tan-  
 tum non supra malitiam est humanam; ut  
 præclare judicat *D. Becmann. in Dissert. de non  
 abutendo nomine Principum, hab. Francof. 1680.*  
 Fac tamen, esse in Gente barbara Principem, qui  
 ultra modum exasperetur, omnesque Tyranni par-  
 tes eo, quo volunt, modo expleat; Ergone pro-  
 pterea civibus Tyrannidis suæ poenas dabit, & ju-  
 dicio inconstantis vulgi, turbæque factiosæ, subi-  
 ciendus erit? Minime! Non habet, cui vitæ actæ,  
 Regniq; a se administrati rationem reddat, præ-  
 ter Deum, quemquam alium. Si pari nihil in pa-  
 rem licet, quanto minus subditis in Imperantem li-  
 cebit? Jus poenis crimina coercendi non ultima Ma-  
 jestatis, quæ in Principe sedem habet, pars est, quæ  
 sublata, tollitur & ipsa Majestas; siquidem nihil  
 hæc a se avelli, nihil abripi patitur. Quare  
 quid omnino durius in subditos Imperantes sta-  
 tuant,

tuant, quod tamen nunquam temere præsumendum, non his ad arma, non ad seditiosas conspirationes, & clandestina consilia, sed ad preces, ad humiles supplicationes, & tempestivas commonefactiones confugiendum; tantumque abest, ut hic poenæ, vel vindictæ, locus detur, ut ne quidem in extremo necessitatis casu de vita periclitanti civi moderamen, quod vocant, inculpatæ tutelæ permiffum esse, doceant, solidisque rationibus evincant Juris Nat. Periti; quos passim vide in Cap. de Sanctitate Summi Imper. dequæ Favore Necessitat.

§. XIX.

Cumque igitur nullam Leges Civiles poenam in Summos Imperantes, aliter, quam sancitum erat, vitam instituentes, decernant: Nulla quoque illarum in his stricte sic dicta obligatio admitti potest. Nec quicquam nos movet, quæ hic a nonnullis affertur, distinctio inter vim Legum Civilium directivam, & coactivam; qua id volunt, liberum quidem ac immunem pronuntiandum esse Imperantem a coërcitione poenali: Nihilominus tamen interius in conscientia obligari, ut Legibus, civitati a se datis, æque ac cives, actiones suas dirigere, ac ordinari patiatur. Verum imperite hæc afferuntur. Quæcumque enim Lex conscientiam stringit, ea hoc ipso vim coactivam exerit, poenæque ei, qui conscientiæ rationem non habet, si non in foro humano, saltem Divino, sustinendam denunciat. Quid? quod, stante ista hypo-

U thesi,

thesi, Legibus quoque Divinis ac Naturalibus vis coactiva abjudicari debeat; nam & illæ conscientiam tantum Principis vinciunt, obligationemque nonnisi internam inducunt, nec ob earum neglectum atque transgressionem in jus vocari, vique externa ad officium reduci potest. Deinde qualis hæc est Lex, quæ modum quidem agendi præscribit, sed nulla secus agentes poena coercet? Hoc ipso certe naturam Legis, cujus proprium est, cogere, & obligare, vel ad obedientiam, vel ad poenam, exiit, & in simplex ac merum consilium abit. Unde cordate *Pufend. l. c.* binas, easque essentielles cujusque Legis partes constituit, alteram definitivam, quæ mentem Legislatoris exponat, (& hæc respondet vi directivæ,) alteram vindictivam, quæ poenam transgressori mansuram proponat, (& hæc respondet vi coactivæ,) quarum neutra a se divelli possit, vel si id fiat, legem mancam ac imperfectam fore. Quodsi igitur vis coactiva Legum Civilium ad Principem, secundum concessa, non pertinet, ad eum nec vim directivam referri posse, liquido apparet. Conf. *Henniges in Grot. L. II. c. IV. §. 12.* Inquis: Multa in foro civili impunita dimittuntur, ad quæ tamen interius in conscientia tenemur? Largior, si præceptio vel prohibitio Divina subsit; hæc vero deficiente, a negatione punitionis civilis ad negationem obligationis internæ, eo quod res hoc modo indifferens sit, recte concluditur. Si igitur verum est, ut est, Leges mere Civiles nihil comprehendere,

dere, quod Lege Divina vel præceptum, vel prohibi-  
 tum sit; si præterea & illud conceditur, civili-  
 ter Summum Imperantem puniri non posse: Pro-  
 no exinde, quod ajunt, alveo fluit, ne interius  
 quidem Summum, quem diximus, Imperantem  
 ad observantiam Legum, Constitutionumque mere  
 Civilium, obligari.

§. XX.

Liberum hoc, omnique Lege Civili solutum,  
 quod Summo Imperanti in societate composita,  
 qualis est civitas, tribuitur, vitæ genus egregie il-  
 lustrat analogiâ societatum simplicium, paternæ,  
 ac herilis. Si paterfamilias leges domesticis præ-  
 scribit, quas, qui iisdem secum ædibus contineri  
 velint, servare debeant, sanciat v. g. ut ne quis ul-  
 tra nonam aut decimam nocturnam domo absit,  
 vel tardius venienti, haud ægre ferat, si aditus præ-  
 cludatur. Ista vel similis de re in se licet indiffe-  
 renti concepta lex obligat domesticos; sed ipsam  
 patremfamilias, quod superiorem, a quo obligari  
 possit, in domo non agnoscat, liberrimaque de re  
 mere domestica disponendi facultate polleat, non  
 stringit, nec ad præscriptum a se ordinem præcise  
 obligatus est; sed nec culpæ, vel pœnæ, si liber-  
 tate sua utatur, reus haberi potest. Quod si ergo  
 paterfamilias in domo velut Exlex est, quanto ma-  
 gis Summus Imperans in civitate? Vel, si omni-  
 no ambo, cum ille in domo, tum hic in civitate,  
 Legibus a se latis & ipsi conformiter se gerant, &  
 sponte, quod a reliquis coacte fit, agant, illud



non ex obligatione aliqua, sed ex liberrima voluntate fecisse putantur. Aliud enim est, Legibus vivere, aliud, Legibus obligari, monente *Bodin. de Republ. L. I. c. VIII.*

## §. XXI.

Ex hactenus dictis satis, puto, superque constat, Statum, quem nobis demonstrandum sumimus, Summorum Imperantium Exlegem certissimis, ac evidentissimis fundari argumentis. Superest, ut paucis dispiciamus, quid opponant, qui a nostra, & quos sequimur, Virorum Excellentissimorum sententia discedunt. Ex Doctoribus Scholasticis *Cajetanus*, & *Valentia*, notante *Wendelino Phil. Mor. Cap. XXXIV. Quest. 12.* in binas classes distinguunt Leges, Civiles, alias ad totam Rempublicam, alias ad subditos duntaxat referendas docent; his exemptum, illis vero Summum quoque Principem devinctum volunt. Idque ob has potissimum rationes: Quia (1.) *Legem Naturam violaret Princeps, si nollet obligari Lege toti a se communitati, cujus ipse pars sit, lata. Esse enim Legem Naturam: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quia (2) turpe esset, si pars, & presertim caput, non congrueret cum toto in iis, quae partibus omnibus sint communia, & ad salutem totius corporis faciant. Quia (3) non videretur serio precipere civitati & Republicae bonum, a quo se excludi vellet. Quia (4) quae Legis ratio attigerit, eos quoque obligare debeat; hujusmodi vero esse rationem Legis

gis communis respectu Principis & subdito-  
rum. Pertinere huc illud *Aristot. L. V. Etb c. 6.*  
*Non sinimus hominem dominari, sed rationem.*  
Enimvero quemadmodum divisio Legum Civilium in communes, quæ totam Rempublicam, ex Imperantibus æque ac parentibus constantem, obligent, & proprias, quæ solos stringant subditos, conficta est, nulloque nititur fundamento; siquidem omnes Leges mere Civiles, de quibus hic unice nobis sermo est, & quarum respectu Imperantes tam splendido Exlegis titulo insigniuntur, ad solos subditos sese extendunt: Ita rationes, quibus, pro stabilienda labante sententia, utuntur Duum-Viri, illi Scholastici, leves sunt, & nullius plane momenti. I. Absonum & ridiculum est, quod violationis Juris N. Principem arguant, si, quod toti communitati servandum præscripsit, ipse pariter servare nohit: Perinde ac si, in Jus Naturæ peccaret herus, si, quod servis expediendum committit, non & ipse simul exequatur, ac socium laboris agat, hisque obvertere liceret læsam Naturæ Legem: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. II. Non magis Principi, si naturali circa actus civiles libertati indulgeat, vitio id verti potest, quam capiti in corpore humano, (in quo simili frustra illi Doctores præsidium quærunt,) si se non simpliciter ad id, quod reliquis imperavit membris, adstringi patiatur; si quiescere v. g. jubeat cætera membra, ipsum vero, prout visum sit, vel quiescat, vel moveatur. III. Serio Prin-

U ;

ceps

ceps cum subditis agere præsumitur, quoties suam illis voluntatem, circa rem physice ac moraliter possibilem, clare revelat, commissionemque vel omissionem actuum præcipit, quocumque tandem ipse modo vitam instituat. IV. Leges Civiles toti Republicæ, adæquate scilicet pro complexu Imperantium, & parentium, acceptæ, communes non agnoscimus, pauloque ante repudiavimus. Verba denique *Aristotelis*: *Non finimus hominem dominari, sed rationem*, præpostere, ac inconvenienter huc trahuntur; quippe non aliud sibi velle videntur, quam si quid nobis superior, quod cum conscientia, sanaque ratione aperte pugnet, injungat, cœcæ illi obedientiam non deberi, nec ita civili nos subesse dominio, ut omnem simul rationis usum damnare, imperataque, sive justa ea sint, sive injusta, exequi teneamur. Sed quid inde? Num propterea Philosophus Principem Legibus Civilibus subjectum voluit? Lynce perspicacior sit, necesse est, qui istam viderit consequentiam.

## §. XXII.

*Wendelinus* paulo distinctius *l. c.* suam de obligatione Principum civili mentem propositurus, triplicem facit virtutem Legis, unam *monstrandi*, quæ doceat, quid faciendum, quidve omittendum sit; alteram *dirigendi*, quæ ad obedientiam obliget; tertiam *cogendi*, quæ pœnam in transgressorem statuât. Has Legis virtutes ita esse comparatas, ait, ut priores duæ a tertia separari possint,

ant, & respectu Principis actu separentur, utpote-  
 qui, respectu doctrinæ, & directionis, subjectus  
 sit Legi, a se latae, non respectu coactionis. Ve-  
 rumenimvero quid nobis de triplici illa, quæ in-  
 binarium ab aliis contrahitur numerum, facultate  
 Legis videatur, supra jam tradidimus. Gratis  
 separantur, quæ inseparabili colligata sunt nexu.  
 Hac, culpæ quemquam reum esse, & simul pœnæ  
 reus erit. Etenim pœna culpam, ut umbra cor-  
 pus sequitur. Si igitur Leges Civiles vim nullam  
 punitivam, quod largitur *Wendelinus*, in Princi-  
 pem exerunt, certe nec monstratiuæ, vel directi-  
 væ in eodem locus erit.

§. XXIII.

Idem *Wendelinus* objectæ difficultati, quod,  
 Principem, si propria Lege teneretur, obedienti-  
 am sibi metipsi & imperare, & præstare, non citra  
 insignem absurditatem, dicendum foret, occur-  
 surus, regerit: *Legem, a Principe latam, quatenus  
 Principem obliget, non tam ipsius esse Princi-  
 cipis præceptum, quam honestatis & justitiæ com-  
 munitis ad obsequium omnes obligantis. Esse hæc  
 in parte Principem Ministrum Dei, unde quic-  
 quid ex Dei verbo vel secundum id præceperit,  
 sub obsequii ratione universali, & Principem &  
 subditos obligare.* Confundit autem inter se  
*Wendelinus* Leges Divinas, ac Civiles; istas si sub-  
 ditis inculcet Princeps, nudum agit ministrum, ac  
 proinde iis non minus, quam subditi, obstringi-  
 tur; harum autem non minister, sed auctor, &

conditor est, qui eas arbitrato suo fert, mutat, abrogat. Male igitur hic cum *Mose* Princeps comparatur; siquidem is Leges non in suo natas cerebro, sed ex ore Dei sanctissimo immediate hausas, populo proposuerat, non alio, quam ministri, voluntatem Domini renuntiantis, munere functus, eamque ob causam eidem cum populo ad parendum necessitati obnoxius; cæterum nec mutare Leges, nec eas abolere propria auctoritate poterat: Cum e contrario plenaria penes Principem & ferendi, & mutandi, & abrogandi Leges Civiles potestas sit. Negat equidem *Wendelinus*, ex eo, quod Princeps abrogare possit Legem, sequi præcise, ipsum eadem non obligari; rationem hanc affert: Quia Lex abrogata civitatem non magis obliget, quam Principem? Vetum frustra negatur sequela. Ut enim certum sit, vim Legis, quamprimum hæc abrogata sit, obligatoriam expirare, & tam non magis cives, quam Imperantem, obstringere: Quia tamen hæc abrogatio in solo Principis arbitrio posita est, ut circa eam, quoquo velit modo, disponere possit; recte exinde concluditur, Legem istiusmodi Civilem, quæ libera Principis dispositioni sublit, ipso Principe non superiorem, sed inferiorem esse; Inferior autem Superiorem obligare non potest.

## §. XXIV.

*Clemens Timplerus* contra eundem statum Summorum Principum Exlegem multam disputat, *Phil. Pract. L. V. c. I. Quest. 15* Urget inter alia:

alia: Nullum unquam populum absolutam & illimitatam imperandi potestatem habuisse: Ergo neque Magistratum ullum, (supremum scil. namque inferiorem, aliique adhuc subordinatum, nec ipsi vinculo civili solutum dicimus,) cum is omnem potestatem a populo primitus acceperit? Ast falsum est, quod nullus unquam populus absoluto, & illimitato gavissus sit imperio: Imo vero penes omnem populum liberum, qui nulli se adhuc subjecit, istiusmodi imperium, & potestas est; qualis etiam familiis quondam segregibus, ante introductum statum civilem, competeat, qua tamen se postea abdicarunt, ubi in societatem coeuntes, uni, vel pluribus, summam rerum simpliciter, absoluteque commisissent. Ita nempe ad allatum dubium responderi potest ex eorum hypothesi, qui originem Majestatis a consensu populi, liberaeque potestatis, radicaliter penes se primum existentis, traditione, cum *Dn. Pufendorfio* deducunt. Si quis autem citatos supra Doctores secutus, Deum causam Majestatis in Principe immediatam statuere, populoque praeter electionis beneficium nihil tribuere malit: is quidem antecedens a *Timplero* positum, quod populus nimirum Majestatem summam, seu, ut ipse loquitur, absolutam, & illimitatam imperandi potestatem, nunquam habuerit, facile admittet, sed consequens negabit, quod eadem propterea Magistratui Summo abjudicari debeat; cum huic, quod a populo non accepit, a Deo immediate collatum sit.

## §. XXV.

Pergit *Timplerus*: Dignam esse vocem Majestate regnantis, Legibus alligatum se Principem profiteri, & vocem contra immanem ac superbam, esse Tyranni: Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas! Enimvero sicut Principem, si sponte vitam secundum Leges, communitati a se præscriptas, instigat, suoque civibus exemplo præcat, præclare agere, laudemque mereri, fatemur: Ita obligatione ad id stricte sic dicta teneri, secusque agentem vituperio dignum esse, ob rationes allatas, confidenter negamus. Multa enim ita sunt comparata, ut eorum commissio laudem habeat, omisio contra turpis non sit. Dubitasne hac de re? Age! convincam te vel unico, eoque levissimi quidem, sed clarissimo exemplo. Si mercenarius tibi operam tridui, certo ad id pretio conductus, addicat, triduoque exacto, per dimidium adhuc diem, merces licet major non statuatur, laborem continuet; laudabis, credo, hominem, industriamque ac facilitatem de prædicabis: Si tamen omnino, post elapsum triduum, ut pactus erat, discedat, laborique finem imponat; non, opinor, si æquus es, vituperabis, vel rusticitatis argues. Intelligis jam, ut alia, quod absque negotio fieri poterat, exempla non adducantur, esse, quod diximus, nonnulla, quæ, si fiant, laudem nobis concilient, si omittantur, vituperium vel reprehensionem nullam mereantur. Quid mirum igitur, laudari nobis Principem, si & ipse Legum,

qua

quas dedit, tenax sit; nec tamen vituperari, si eandem, utpote in sua potestate, liberrimoque arbitrio sitas, quandoque non attendat. Quamobrem non Tyranni, sed Principis, eminentissimum in suos imperium obtinentis, hoc factum est, si naturalem agendi libertatem firmiter teneat, statutaque civilia in vitæ normam sibi poni, recuset. Tum demum ad Tyrannidem delabi censendus est, si profanus Juris Divini, Naturalis, ac Gentium contemptor, absolute liberum, & ne Legibus quidem Divinis coercendum vitæ genus affectet; quam tamen impiam, & insanam licentiam optimus quisque Principum ex animo detestatur. Præclare igitur *Antigonus, Asia Rex*, cum illi adulator diceret: *Omnia Regibus licere, ac semper licuisse, ita quidem Barbaris, inquit, ac Tyrannis.*

§. XXVI.

Verba *Isidori*, ad quæ provocat *l. c. Timplerius, L. III. de Summo Bono, c. 52. Justum esse, dicentis, Principem legibus obtemperare suis, tunc enim sua jura ab omnibus custodienda existimare debere, quando & ipse illis reverentiam præbeat; non moramur, neque enim autoritate, sed rationibus pugnamus. Quamvis id, non nisi Isidor. innuere videatur: Principem, si Legum propriarum rationem habet, vitæ suæ exprimere studeat, tanto magis eas confirmaturum, civitatibusque venerabiles redditurum esse. Hæc vero omnia vim prætere ipsasoriam continent, obligationem strictam non inducunt. Tandem *Timplerius*  
motus*



motus evidentia rei, vocem Exlegis, quam tanto-  
 pere abhorrere primum videbatur, admittit, Prin-  
 cipique accommodat, sed sub hac restrictione, ut  
 illi tantum Legibus solutum asserat, *qua ad officium  
 ejus nihil spectent, & salva honestate, ac ju-  
 stitia ab eo præteriri possint.* Sed ne hanc qui-  
 dem limitationem simpliciter probamus. Sum-  
 mus enim Imperans, eo quod summus est, supra  
 Leges est Civiles, liberrimeque regnat, nec quic-  
 quam sibi, quod administrationem Regni, mo-  
 dumque imperandi determinet, facile præscribi pa-  
 titur. Si tamen omnino Princeps sponte, initio  
 imperii, in Leges, quas vocant, fundamentales,  
 pactaque conventa juret; eorum respectu Exlex  
 utique dici amplius nequit, sed illa, ob fidem da-  
 tam, juramentique, quod semel præstitum Jure  
 Divino servare tenetur, religionem, violasse, ne-  
 fas putare debet. Solutus interim est reliquis a se  
 sancitis Legibus Civilibus, earumque observatio-  
 nem declinare potest, ut tamen hoc ipso nec ho-  
 nestati, nec justitiæ vis inferatur; propterea quod  
 illæ, qua tales, circa actus, ut sæpe dictum, na-  
 turaliter adiaphoros, ac indifferentes versentur,  
 quibus proin nec ipsi cives, si liberrima Principis  
 voluntas aliud non statuisset, obstringerentur.

#### §. XXVII.

Sed quid est, cur examinandis ac confutandis,  
 quæ operose Dissidentes conquirunt, singulis  
 diutius insistamus? Satis est, præcipua iustras-  
 se, & simul, infractam atque immotam veritate-  
 tem

tem stare, ostendisse. Restat, ut Summo Deo, cujus auspiciis hunc qualemcunque laborem suscepimus, grates, pro præstito nobis clementer auxilio, immortales persolvamus, & ut studia in dies nostra longius provehat, iisdemque ex alto porro benedicat, pia ac devota mente rogemus.

## DISSERTATIO IV.

DE

Jure sibi ipsi nocendi.

PRÆLOQVIVM.

**T**ENERRIMO sese amore homo complectitur, ac intensissimo sui conservandi studio ducitur. Amat, a quibus se amari videt, odit, quos se odisse intelligit. Cui affectui tam liberaliter natura indulget, ut vel cum nece in vasoris, si vis intentata aliter depelli non possit, se tuendi licentiam concedat. Scilicet vetus verbum est: Amor incipit a se ipso; & quisque sibi proximus! unde est, quod aliqui naturalem hunc sui amorem officiorum, quæ proximo debentur, fontem appellant, æstimandæque moralitatis regulam, ac incumben-  
tis obligationis cynosuram constituent. In

In quo tamen, quod incidenter notamus, simplicem illis assensum non præbemus. Etenim & amor sui ipsius, ne in vitiosam *Φιλανθρίαν* degeneret, & salutem privatam unice litando, curam publicam omittat, certa norma probari & examinari debet, tantum abest, ut pro originario officiorum humanorum principio haberi queat. Cæterum licet totus homo in sui amorem effusus sit, & de procuranda immunitate, noxaque omni a se avertenda solícite cogitet: occurrunt tamen casus ancipites, in quibus sibi sciens & prudens vim infert, & hostilia velut in se ipsum iuste exercet. Sane quid nobis charius vita? quid acceptius corpore integro? quid jucundius sanitate? quid utilius fortunæ bonis? sed hæc ipsa hæud raro negligimus, imo consulto perdimus; idque vel sub spe impensioris boni consequendi, vel gravioris mali evitandi. Momentum rei postulare omnino videtur, ut paulo fusius de jure sibi ipsi impune nocenti differamus. Quod institutum ut feliciter cedat, *Gratiam Divinam supplices invocamus.*

## §. I.

INter ea, quæ corpori immersa sunt, hominis bona, primum haud immerito locum sibi vindicat vita, utpote qua nihil homini charius, nihil, quod intentiori observet cura, sibi que magis commendatum habeat. Nocetur autem vitæ vel directe, vel indirecte. Directe id fit, si quis manus violentas sibi consciscat; Si gladio pectus confodiat: si laqueo se suspendat: si aquis se suffocet: si inedia & omni a cibo potuque abstinentia se conficiat, vel alio quocunque modo in corpus proprium grassetur, & vim sibi inferat. Quod voluntarium, idque violentum mortis genus perquam familiare erat priscis temporibus, nec vituperio, sed laudè dignum apud plurimas gentes habebatur. Commune *Stoicorum* erat assertum: *Sepo esse officium sapientis, a vita desiscere*, Cic. III. de Finib. c. XVII. *Non multum interesse, num mors ad nos veniat, an nos ad illam*, Senec. Epist. LXIX. *Quodsi inopinata aliqua & vehementior procella quenquam occupet, in propinquo esse portum, licere enatare e corpore, tanquam scapha aquam admittente*, Plut. de Animi Tranquill. p. 476. Unde si quis vel moribus conscientiae agitatus: vel dura paupertate pressus: vel contumelioso innocens supplicio destinatus esset: vel effocetam & morbidam ingravescere senectutem sensisset: vel in acerbam orbitatem conjectus esset: vel omnes felicitatis humane partes expleisset, nihil habens, quod a fortuna

duas

tuna amplius expectet &c. tum sua sibi manu mortem invenisse, fataque occupasse, licitum æque ac gloriosum putabant. Proh vero nefandam impudentissimorum hominum insaniam, scelestissimum *αυτοχειρίας* vitium in virtutem præpostere vertentium, & in eo, quod natura horret, & recta ratio damnat, potissimam laudis partem stolide quærentium! Agnovere impietatem ac dementiam vel ipsi saniores Ethnici, seque *Stoicis*, quibus primam fere hoc commentum originem debet, mascule opposuerunt vetustissimarum sectarum Principes. *Pythagoras* vetabat, *injussu Imperatoris, id est, Dei, de presidio & statione vitæ discedere, teste Cicer. de Senect. c. XX.* Ad eundem modum *Plato, Pii omnibus, inquit, retinendum esse animum in custodia corporis, nec injussu ejus, a quo ille est datus, ex hominum vitæ migrandum esse, ne munus humanum a Deo assignatum defugisse videamur, ut est apud eundem Cicer. in Somn. Scip. c. III.* Quid *Stagirita?* cordatum & ipse judicium fert: *Mori ob inopiam aut amorem, aut aliud molestum, non est fortis viri, sed timidi. Mollities enim, fugere difficilia & aspera, neque mortem, ut bonum, sustinet, sed malum fugiens; III. Eth. ad Nicom. c. VII.* Tanto magis deplorandum, in coetu, proh pudor! Christiano hodiernum inveniri, qui instigatione dæmonis, & perturbati animi desperatione abrepti, in propriam cæco impetum vitam grassentur, sui que occidendi consilium im-

pic

pie capiant, in Scyllam sane infernalem, qui Charibdim terrenam vitare vellent, incidentes, certissimamque æternæ cum temporali salutis jacturam facientes.

## §. II.

Indirecte varie vitæ nocetur, tum vero quam maxime, si quis præsentissimum vitæ periculum adeat, talemque actionem, ex qua probabiliter sibi necem accersi, colligere potest, suscipiat. Quod si ex officio id fiat, non ex temeritate, aut inanis gloriolæ captatione, sed vel jussu Superioris, vel ex sinceriori quodam in rempublicam amore, omnino licitum est. Laudi certe ducitur militi, generoso mortis contemptu, sanguinem strenue pro patria fuisse: Nec vitio nautæ vertitur, quod mari, quantumvis infido, & sæpe, cum minime crederet, procelloso, ac extrema quæque minitanti, sese committat: Multo minus metallifossoræ, maximo cum vitæ periculo, viscera terræ rimantium, (quod ex focis alii terra obruti, alii halitibus sulphureis suffocati, repentina morte obeunt,) ancipitem curam, ac durissimos labores quisquam improbaverit. Quid de Medico, quid de Ministro Ecclesiæ dicamus? quorum is corporis, hic animæ curam gerit: uterque ægrotum, contagioso cumprimis & pestifero morbo decumbentem, cum propriæ haud raro vitæ jactura, invisit, & alienam procurando, suam perdit. At hi omnes, licet sibimet ipsis noceant, & obviam velut eant morti; quia tamen officii sibi

demandati partes exequentur, nihil, quod conscientiam aggravet, sustinent; tantumque abest, ut subtilioris *ἀντοξείας* argui possint, ut, quo liberius, & fidelius se in publicam dispensaverint salutem, hoc majori eosdem encomio dignos optimus quisque judicet.

### §. III.

Suspensio autem incedendum pede, ne limites propriæ nocendi vitæ temere transiliantur. Præceptum hic via, & facilis lapsus. Consilio proin cuncta, non impetu agenda. Sic militem, v. g. qui, rebus jam desperatis, in confertissimam hostium aciem sese immittit, fortiter, quod putat, pro patria occubiturus, non ab omni culpa immunem pronunciamus. Præstat enim, si omnis victoriae spes præcisa, & copiarum jam debellatarum sint, fortunæ novercanti cedere, & vel fugam circumspicere, vel, si elabendi occasio non detur, captivitatem subire. Excipiunt aliqui casum, quo quis certo sciat, mortem sibi ab hoste ignominiosam imminere, aut, si omnino vivendi potestas concedatur, vitam acerbissimam, & vel ipsi sanctissimo Nomini Divino probrosam, posthac ducendam esse, quo pacto excusandum censent, qui anticipandæ mortis consilium ineat, ac intrepide exequat. Trahant huc cum *Grot. L. II. de J. B. & P. C. XIX. §. V. n. 5.* exemplum Samsonis, se non minus, quam hostes, quos veram in sua persona religionem impie derisuros noverat, accelerata domus, quam ludicri & blasphemæ spectacula theatrum stant-

rant,

rant, ruina, opprimentis : Nec non Raziz, Viri pietatis fama incluti, multisque laudibus concelebrati, 2. *Maccab. XIV.* quem, urgente vi hostili, in terram e moenibus præcipitem se dedisse, suppliciumque contumeliosum spontanea morte occupasse, accepimus. Qui de Saule, ejusque salute, mitius sentiunt, eundem pariter huc referunt, quod metuens, ne, amissa victoria, vivus in potestatem hostium veniret, & in captivitatem, magno cum gentis suæ dedecore, & Nominis Divini opprobrio, abductus, duriter tractaretur, maluerit gladio proprio incumbere, quam tantis se malis exponere. Addant : hoc factum adeo non Davidem improbasse, ut potius defuncto Regi, multis cum laudam encomiis, perhonorifice parentaverit.

## §. IV.

Cæterum causam, cur talismodi actus violentus veniam, ac excusationem mereatur, hanc afferunt, notante *Pufend. de J. N. & G. L. II. c. IV. §. 19.* *Quemadmodum sibi nemo possit obligari : ita injuriam sibi non facere, qui vim vite suæ intulerit, Quod autem quis seipsum ex Lege Nature teneatur conservare, id inde esse, quia a Deo ad colendam societatem humanam sit destinatus, quam ad desertoris instar aut infrequentis militis, destituere haud quaquam possit : adeoque quod ego me teneat conservare, id me non debere mihi, sed Deo, & societati humanæ.* (*Aristoteli Nicom. V. 15. εὐτόχεις non in se ipsos,*

X 2

sed



*sed in civitatem injurios dici, eoque nomine etiam ignominia affici, ) inde si respectus ille erga Deum, & genus hominum sit remotus, hominem sibi commendari per solum illum instinctum sensitivum videri, qui cum vim Legis non habeat, eidem repugnasse quoque, pro peccato non esse habendum. Inde illorum causam favorabilem judicandam, certe miseratione, quam aspera sententia, digniorem, qui manus sibi inferant, quod certitudine moraliter infallibili praevideant, mortem sibi paulo post ab hoste cum cruciatu, & ignominia inferendam, nec boni publici interfit, cur ad arbitrium alterius moriantur: aut quid ab aliis sibi vident intentari, quo admissio, ipsi ceteris mortalibus deinceps sint fastidiendi. Hæc Puffendorf. non tam ex sua, ut videri vult, quam aliorum mente; quamvis quæ sequuntur l. c. eundem huic ipsi quoque sententiæ haud parum favore, satis prodant.*

#### §. V.

Nobis vero duriora hæc videntur, quam ut iisdem subscribere possimus. Nec quicquam nos vel rationes in contrarium allatæ, vel exempla adducta movent. Suspicio sane ac metus, ne quis posthac in probrum Dei vivat, vel moriatur, iusta vim sibi inferendi causa haudquaquam censeri debet. Nemo enim certo, ob miram temporum mutationem, prævidere potest, num præcisè in contumeliam Dei vita vel mors sua cessura sit; cum mille Deo suppetant modi, intentatum sibi pro-

probrum vindicandi, ac prævertendi. Et si quis vel maxime certus sit, cruciatus, tormenta, ludibria, innocentem se manere: his tamen *αυτοφω- νίας* consilio se subducere non licet, sed Martyrum potius exemplo durissima quæque impavido animo subeunda; quo ipso honori Divino litatur, scandalum evitatur, & alii ad parem constantiam accenduntur. Expressum præterea de non occidendo mandatum prostat, nulla vero extantiora præsumptæ voluntatis, ac exceptionis Divinæ indicia ostendi possunt. Quod enim objicitur: Hominem a Deo ad colendam socialitatem procreatum esse, nec sibi, sed Deo, & proximo vivere; si igitur ex indubiis argumentis collegerit, nihil a se amplius commodi subsequutura ætate expectandum, sed vitam contra reliquam probrosam Deo, ac noxiam proximo fore, obligationem ulterius se conservandi, ex præsumpta concessione Divina, cessare, vitamque posthac instinctu non rationali, sed sensitivo, cum brutis communi, nullis proin Legibus adstricto, regi; illud ex falsa hypothese provenit, quasi homo sibi ipsi non obligetur, nec in se injurius esse possit: Imò vero vivit homo Deo, vivit proximo, vivit sibi metipso; unde qui extincto, quem natura insievit, sui amore, salutem propriam neglectam habet, & pessundat, in se ipsum æque ac in Deum, & proximum injurius est. Quid? quod Apostolus de scortatoribus diserte asserat, eos in corpus proprium peccare, *1. Cor. VI. v. 18.* Dirigit equidem socialitas etiam ea, quæ

sibi homo debet, officia : sed abstrahamus a vita sociali : supererit tamen ratio humana, quæ socialitate, si non tempore, saltem natura prior. Remanebit igitur vel extra societatem (qualis status quamvis revera non detur, cum tamen animo sibi concepisse juvabit,) homo animal rationale, quod conservationem sui procuret, non ex instinctu mere sensitivo, sed, quia ratio supponitur, intellectuâli, dependentiam suam ab Ente superiori, ac inde promanantem obligationem ex nutu suo, quia sui juris non est, sed Creatoris, a quo ortum habet, & cujus contraria voluntas in re tam ardua temere non præsumi debet, arbitrio vivendi, agnoscente. Verba Aristotelis proprietas non in se, sed in civitatem injuriosæ pronunciantis, non exclusive, sed comparative accipiendæ videntur; quod nempe *αὐτόχσιπες* majori civitatem, quæ turpiter ab illis deseritur, & priori ministerio intempestive privatur, quam semetipsos, injuria afficiant, digni propterea, qui post mortem ignominiose, in terrorem aliorum, projiciantur, & qui mos apud multas Gentes invaluit, sepultura prohibeantur.

#### §. VI.

Exempla biblica, quæ allegare solent Dissidentes, nihil probant. Samsonis enim factum plane extraordinarium erat, ac heroicum, a peculiari Spiritus S. instinctu profectum : nec proprie *αὐτοχσίπες* commisit Samson, quippe cujus vires tantæ non erant, ut columnas istas, & ædificium in-

sistens

sistens prosternere valeret, sed ipse Deus stragem  
 illam edidit, usus scilicet Samsone, velut instru-  
 mento, infirmo licet, & ex se minus sufficiente;  
 ita cordate cum *B. Calovio*, judicat *Ziegler. in*  
*Grot. L. II, c. XIX. §. V. n. 4.* Razia exemplum,  
 quia ex Libro Apocrypho petatum, exiguae au-  
 thoritatis est. Ipsum factum historice magis, quam  
 per modum approbationis, & deprædicationis, re-  
 censetur. Augustinus, observante *Osiandr. in*  
*Grot. l. c.* ita de Razia sensit: Quid mirum, si,  
 tanquam homini elatio superba irrepsit, ut mal-  
 let manu propria periri, quam, post illam in-  
 suorum aspectibus celsitudinem, sustinere indi-  
 gnam in hostium manibus sævitatem. *Epist. 61. ad*  
*Dulcit.* Omnium minime huc quadrat exem-  
 plum Saulis, quippe qui ex desperatione gladio  
 stricto se peremit, ad id extremum malum a Dæ-  
 mone, quem paulo ante, sub larva Samuelis lati-  
 tantem, consuluerat, impulsus. Deinde non pro-  
 pricidium, sed virtutes alias, quæ illum in vita or-  
 nabant, extulit Davides, nescius, quod sua ipsius  
 manu perisset, quippe quem ab Amalekita quo-  
 dam, in quem propterea gravius animadverterat,  
 occisum fuisse, sibi persuaserat; tanto minus igitur  
 mirari subit, cur ejus, quem, dum viveret, Re-  
 gem & Socerum venerabatur, tam honorifice, in  
 ultimo sermone parentali, meminere. *Vid. Ziegl.*  
*& Osiandr. l. c.*

## §. VII.

Ex dictis etiam haud obscure patescit, quo-  
 cen-

X 4

censu veniant milites classici, naves suas, ne vivi cum illis capiantur, igne subiecto, accedentes, seque non minus, quam illas, flamma & aqua consumentes; quale exemplum pronuper in Novellis publicis relatum est Naucleri, ni fallor, Anglici, qui diu multumque cum Pirata Gallo coluctatus, cum jam in eo esset, ut vi hostili se subijcere cogere, cameram, qua pulvis pyrius concluderetur, accendit, & navem cum suo suorumque interitu perdidit. Cujus actionis tantopere aliis laudatæ moralitas si ad justitiæ ac æquitatis normam exigatur, quantum ea a virtute deflectat, & in contrarias vitii partes propendat, liquido constabit. Nefas utique est, & desperatæ temeritatis opus, vitæ discrimen, citra ullam eluctandæ spem, ac fiduciam, subire. Siquidem vera fortitudo pro objecto non habet periculum omne, sed quod humana vi propulsabile, quale non est mora præsentissima, ac ineluctabilis. Vid. *le Grand Instit. Phil. P. X. c. XI. §. 3.* & *Itter. Phil. Mor. L. III. c. II. Quest. II.* Sicut igitur viro fortiturne non habetur, si ad extrema ventum, & nulla spes rem labantem & inclinatam restituenti affulgeat, fugam adornare, & se ab opere desperato ad curam salutem propriam tuendi convertere; unde Varroni quondam, post prælium Cannense, grates a Senatu & Populo decernebantur, quod rebus infeliciter gestis, de vita servanda cogitasset, nec de Republica desperasset cum Collega suo L. Paulo, qui, fuso exercitu, equum, quo fugam intendere

tenderet, adducente Lentulo, negabat, se cladi internecinae superfuturum, sed in eo saxo, cui se vulneratus acclinaverat, perſedit, donec ab hoſte ſuperveniente oppreſſus & confoſſus eſſet, ut eſt apud *Liv. L. XXII. & Valer. Max. L. III. c. IV.* Ita nec reprehendendus, ſed prudentiæ potius laude cohonestandus eſt navis Præfectus, ſi ſtrenue officio ſuo functus, tandem, viribus proſtigatis, deditionem faciat, ſeque victori, demiffis velis, ſubmittat, ut, cum navem non liceat, homines minimum in navi ſervet. Cumprimis quod noſtris moribus captivi vel pretio redimi, vel cum alijs permutari, ac adeo in libertatem iterum vindicari poſſint; cum e contrario pulveris nitrati accenſionem, & latius inde diffuſum incendium, gemina cum navis, tum hominum, ea veſtorum, jactura conſequatur. Prudentiæ vero eſt, ex duobus malis minus eligere. Vid. *Heding. Jurispr. Nat. Tit. IX. §. 9.*

### §. VIII.

Non reticendæ ſunt hoc loco virgines, & honeſtæ matronæ, quæ violentam ſtupratoris, in amplexus impudicos ruentis, compreſſionem reveritæ, mortem ſibi conſciſcunt, & calentem ſpumantis Veneris æſtum ſanguine ſuo reſtingunt. Quales caſtas Lucretias rariores hoc ævo, ſuperior ætas plures numeravit. Etenim ut virgines Mileſias ta-  
ceam, paſſim in Annalibus & Martyrologiis Zonare, Sophroniæ, Pelagiæ, aliarumque concelebrantur nomina, quæ, ut pudorem illibatum ſervarent,

rent, & nefariam intentati stupri turpitudinem arcerent, liberum mortis arbitrium occuparunt. Cum primis memorabile est, quod Judæi, teste *Grot. de J. B. & P. L. II. c. XIX. §. V.* de foemina suæ gentis referunt, eam a Pirata, homine ethnico, captam, & ad venerem impuram blanditijs ac minis diu multumque frustra sollicitatam, tandem, quod metueret, ne per vim decus muliebri expugnaretur, quæsisse ex marito, eadem navi secum detento: num eos pariter, qui sepulchrum in mari invenissent, certâ resurrectionis spes maneret? quod cum is affirmasset, sine mora præcipitem in aquas defiliisse, spemque adeo voluptuosam lascivientis adulteri morte voluntaria elusisse. Quid vero de istiusmodi castis heroinis, mortem, ne violentur, sponte subeuntibus, & vitæ, ut pudicitia innoxia maneat, noxam inferentibus, sentiendum? *Grotius* tale facinus probat, *de J. B. & P. L. II. c. XIX. §. V. n. 4.* *Ziegler. l. c.* damnat; *Hedinger. excusat, Jurispr. Nat. Tit. IX. §. 7.* *Pufendorf. iudicium suspendit, de J. N. & G. L. II. c. IV. §. 19.*

## §. IX.

Nobis omnino gravissime peccare cum *Zieglero* videntur, quotquot e sexu sequiori, ad declinandam stupri infamiam, ultro ad mortem properant, filumque vitæ abrumpunt. Quæ enim Lex Divina, quæ humana innocentem occidi, vel indemnatum obruncari jubet, aut permittit? At innocens, at indemnata est virgo, scelestum siquidem stupratoris facinus, abhorrens, & ex animo dete-

detestans. Ergone hoc castitatis præmium ferat, ut, quæ maleficis infligitur, & supremum in his terris supplicium putatur, poenam capitalem sustineat? Præclare *August. L. I. de Civitat. Dei, c. XLIX.* Hoc fecit illa, illa sic prædicata Lucretia: innocentem, castam, vim perpeffam Lucretiam Lucretia insuper interemit. Proferte sententiam Leges, Judicesque Romani! Ingeniose hanc in rem, *Ovonus, Poeta inclutus:*

*Si fuit ille Tibi, Lucretia, gratus adulter,  
Inmerita ex merita premia morte capis:  
Verum si casto vis est illata pudori,  
Quis furor, alterius crimine velle mori?  
Laudem igitur nullam captes Lucretia, namque*

*Vel scelerata cadis, vel furiosa ruis.*

Et quid est, cur tam caro pretio virginitas decusve muliebre redimatur? si enim physice spectetur, datur quodammodo æquivalens: Sin moraliter, auferri, absque propria consensu, non potest; namque, læso per vim injustam corpore, illæsus perstat animus. Vid. *Dr. Thomaf. Jurispr. Div. L. II. c. I. §. 114.* Zelus, qui prætenditur, heroicus pro Divino agnosci nequit; quia Legibus Divinis non est conformis. Sed nec bona intentio, peccaminosum stupri actum impediendi, *auto Porray* licitam facit; siquidem media fini respondere debent. Rectius sibi foemina consulit, si in extremo polluendi pudoris discrimine constituta, vim intentatam non sua, sed invaloris cæde depel-



pellat; neque hæc occisio, ob moderaminis inculpatae tutelæ, huc quoque trahendi, favorem, quicquam iniquitatis involvit. Cum enim capitale esse solgat, stuprum virgini, vel matronæ, per vim intulisse, pœnam illa capitalem, in violentum aggressorem paulo post, ex Legis sententia, a Judice statuendam, tacito hujus consensu, in casu quippe extraordinario, juste exequitur. Habemus in his consentientes Duumviros celebratissimos, *Grotium de J. B. & P. L. II. c. I. §. 7. & Puffendorffum de J. N. & G. L. II. c. V. §. 2.* Dissentit B. noster *Alberti Compend. J. N. P. II. c. III. §. 26.* nec non ex Commentatoribus *Grotianis Osiander p. 620. seqq. Ziegler. p. 195. Veltbem. p. 595. seqq.*

#### §. X.

Licet igitur neminem directe, extra peccatum, vitæ suæ nocere, necemque sibi consciscere posse, existimemus: unicus tamen, quo id impune ac salva conscientia suscipi possit, excipiendus videtur casus. Si quis nempe supplicium capitale enormi flagitio promeritus, a Magistratu legitimo, propria sese manu interimere, ac adeo carnificis occupare ministerium, jubeatur. Quale in delinquentes animadvertendi genus apud Romanos valde olim usitatum fuisse, passim commemorant, qui historiam illorum temporum contexere. Eundem morem hodiernum servant Japonenses, quem *D. Simon ex Epist. Casp. Vitel. quæ extat L. II. Epist. Societ. J. de Rebus Japan. p. 231.*

his

his verbis describit : *Quo die Rex noxium ex Principibus vel Dynastis sententia capitali condemnat, eo ipso die ad illum, ubicunque sit, vel tota urbe libere vagantem, mittit, qui nunciet, esse illi certo die moriendum. Quærit ex viatore noxius, liceatne per Regem ultro sibi manus inferre? quodsi a Rege permittitur, magnum id sibi decus estimat, optimisque vestimentis ornatus, sica sibi met spatium, quod est a summo pectore ad imum ventrem in crucis figuram secat, atque ita animam efflat. Qui modus puniendi nocentes nihil, opinor, vitii habet. Si enim crimen est commissum, & poena capitalis secundum Leges dictata, nihil interest, per quemcunque postea executio suscipiatur, num per ipsum maleficum, an per alium, modo nihil absque publica Magistratus auctoritate, & prævio mandato fiat. Ita si conjux conjugem veneno enecet, quidni cogi a Judice possit, ut lethalem pariter circutæ haustum sumat, eodemque mortis genere, jure talionis, pereat? licere hoc, nemo forte dubitabit. Quid autem discriminis, quæso, intercedit, num legitime condemnatus veneno, an ferro, jussu Principis, necem sibi afferat? quæ ab aliis hic objiuntur, diluit *Veltbem. in Gros. p. 1244. seqq. Add. Henniges p. 788.**

## §. XI.

Hactenus de Vita, primo inter corporalia bono; proximum est Corporis Integritas; quanta igitur huic quoque nocendi competat homini li-  
cen-

centia, jam disquirendum. Nocetur autem corporis integritati, si, membro abscisso, mancum & mutilum illud reddatur. Istiusmodi mutilatio quò magis hominem deformat, & ad munia rite obeunda ineptum reddit, hoc ægrius & difficilius in eandem consentit. Necessitati tamen quandoque parendum, & ut majus malum declinetur, ipsimet corpori manus injiciendæ. Ita si membrum v. g. putescere incipiat, & vel cancro arrosum, vel vehementiori inflammatione adustum sit, ex consilio Chirurgorum, ense recidendum est; ne pars sincera trahatur. Bene Cicero: *In corpore si quid ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri secarique patimur, ut membrorum aliquod potius, quam totum corpus, intereat, Philipp. VIII. c. V.* Tantumque abest, ut hæc sectio, quantumvis cum intensissimo dolore, nec minori sæpe corporis deformitate, conjuncta, officii, quæ sibi homo debet, adversetur, ut potius qui eam morosius deprecantur, & necem sibi, malo latius serpente, contrahunt, subtilis *αὐτοχρησίας* se reos faciant. Equidem corporis integritatem tenerrimo nobis affectu natura commendavit, sed eadem vitæ quoque conservationem nobis injunxit: si igitur anceps rerum status utriusque immunitatem non ferat, illa huic, teu majori bono, cedit.

## §. XII.

Altioris indaginis quæstio est: Annon propter salutem publicam corpus, firmum alias & inter-

integrum, sponte mutilare, permissum sit? quo nomine inclaruit quondam Zopyrus, unus e Satrapis Persiæ; is patriam ab Assyriis perfide tum deficientibus, & magnissimam urbem Babylonem occupantibus, quod vi non liceret, astu vindicaturus, domi se verberibus lacerari, nasumque, aures & labia sibi præcidi jussit, & ad hostem, transfugæ titulo, se contulit, multum de Regis Darii, quem auctorem tam foedæ lacerationis dicebat, crudelitate conquestus. Quo factum, ut ab Assyriis, qui nobilitatem periter ac virtutem viri penitus nossent, nec de fide, cujus velut pignora, vulnera corporis & injuriæ notas habebant, timerent, copiis præficeretur; quas ille non multo post ad genium patrium rediens, omnia, quam callide ementiebatur, in Regem vindicta, prædidit; ipsamque urbem ditionis rursus Persarum fecit; quam in rem legas *Justin. L. I. r. X.* Nobis moralitatem hujus similiumve actionum æstimantibus, non omni culpa vacare videntur, qui voluntaria corporis mutilatione patriæ salutem consultum volunt. Etenim certa est deformitas, ac incerta inde speranda utilitas. Quotum enim quemque talis molientem fortuna adjuvat? Ne centesimus quidem, quod immani hæc in corpus sævitia intendit, consequitur, votique compos redditur. Unde enim Zopyrus aliquis novit, fidem se apud hostem inventurum? unde, summam rerum se obtenturum? fortuita hæc sunt & mere casualia. At præceptum nimis & temerariæ

rarium facinus, ob maxime dubium eventum, indubium & per omnem vitam duraturum corpori damnum inferre. Non repudiamus stratagemata bellica, sed suppetunt alia magis fida, magis tuta, adeo ut ad hæc extrema delabi, & in corpus, quod natura horret, proprium sævire, opus non sit. At quibus in acie membra ab hoste obtruncantur, ii commiseratione omnino digni sunt, & si sibi de victu amplius, ob impotentiam, & ad opus faciendum ineptitudinem, prospicere non possint, sumptibus publicis alendi; quem in finem laudabili instituto passim in Gallia, Anglia, Batavia, & nuper demum Berolini, jussu Sereniss. Prussiarum Regis, nosocomia, in usum militum infirmorum, extructa sunt.

### §. XIII.

Integritati quoque corporis præpostere & demerenter nocent, qui, viros se esse, immemores, sobolis procreandæ impotentiam vel sectione, cum muliebri spadonum grege, vel herbis medicatis querunt; Idque vel eum in finem, ut tanto in majori pretio in aulis Principum habeantur, & quod olim in gente barbara, ac hodiernum in Turcia moris est, gynæcia præficiantur (dicti proin *ευνεχοι*, ab eo, quod est *την ευνην εχειν*, i. e. cubile tenere,) vel, quem pietatis prætextum inaniter aliquos jactitare audias, ut ne pravis concupiscentiis perturbentur, sed pacati penitus in rerum diviniorem contemplatione conquiescere possint. Quo consilio Origenem semetipsum castrasse

strasse ferunt, teste *D. Althofer. Harmon. Evang. Emedull. p. 298.* deceptum nempe sinistra interpretatione verborum Christi, beatos prædicantis, qui se castrent propter regnum cælorum, *Matth. XIX. v. 12.* Quid vero magis insanum, & impium, quam se eo, quod benignior natura in propagationem generis humani provide concessit, temere privare velle? si te continere non possis, cœlibatum matrimonio permuta: si statum conjugalem præsens conditio nondum ferat, remedia spiritualia applica; si ne sic quidem pravas cupiditates, inscio se tibi & invito insinuantes, coercere possis, memento, hominem te esse, qui plenariam in hac corruptione perfectionem frustra affectet. Caterum laudat Christus *l. c.* Evnuchos, non qui corpore tales sunt, quod Origenes voluit, sed qui tales sunt spiritu, h. e. interprete laud. *Althofero l. c.* qui, cum nec per naturæ vitium, nec per hominum malefictum Evnuchi essent, sed apti ad conjugium: tamen, quia sentiunt, se continentia donam habere, libere, & sponte ab eo abstinent, & deliberato animi proposito propter Regnum cælorum ita se gerunt, ac si Evnuchi essent. Add. *Salomon. van Til. Prof. Lugdun. Comment. Noviss. in Matth. l. c.*

#### §. XIV.

Nequaquam igitur, ad averruncandam animæ noxam spiritualem, corpori, per amputationem membri, quo ad peccandum sollicitamur, vis inferenda. Quod tamen licere, cum eodem Origene docet *Weigelius Post. P. III. p. 79.* allegans verba  
 X Chri.

Christi: *Si tua manus, vel pes tuus te scandalizaverit, abscinde, & projice abs te; melius est tibi, ad vitam ingredi mancum & claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum. Et si oculus scandalizaverit te, erue eum, & projice abs te, melius tibi est, laesum in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, Matth. XIX. v. 8. 9.* At enim vero malo physico physice, moraliter moraliter occurrendum. Quod si igitur membra humana male affecta sint, physice emplastro, vel, re penitus desperata, ferro, per ejus amputationem, sin moraliter, verbo Divino, per internam pravorum affectuum coërcitionem, curentur. Dictum Christi quod attinet, illud ab aliquibus hypothetice, & conditionate explicatur, hoc sensu: Adeo non ferendum esse scandalum, ut vel ipsorum nos scandalizantium membrorum obtruncatio suscipienda foret, si per Leges liceret, & malo aliter subveniri non posset. Ita *Calixtus Harm. p. 266.* Non video, inquit, quo minus quasi per exaggerationem dicta literaliter accipi possint, nempe si scandalum aliter effugere non posses, nisi erueris tibi oculum, nisi præcideris tibi manum, atque pedem, potius, quam scandalum incurres, procedendum esset ad effossionem oculi, atque amputationem manus, pedisque, subintellecto, si licita foret, neque scandalo posses aliter occurrere: sed quia licita non est, & scandalo potes aliter occurrere, nefas est, corporis tibi partem

tem amputare. Rectius autem plerique Commentatores biblici, quibus & nos subscribimus, verba Christi non literaliter, sed figurate accipiunt, per effossionem oculorum, & projectionem manuum, pedumque, intelligentes abstinentiam a peccaminoso, & voluptuoso hujusmodi membrorum usu, & cupiditatum, carnem titillantium, refrenationem; quam interpretationem & contextus, & reliquæ Scripturæ consensus comprobant. Alienam igitur Salvatori mentem affingunt, quæ ex his verbis ita crude, ut jacent, acceptis exsculpere volunt, mutilationem corporis eo consilio factam, ut scandalum evitetur, & ansa peccandi præcidatur, permissam, imo divinitus præceptam esse. Non infantem cum sordibus abjicere, sed duntaxat a sordibus repurgare decet. Quare si membra corporis, ob iteratam actuum vitiorum commisionem impuriore deprehendantur, non resecanda, sed acerbiori Legis lixivio perfricanda, pristinoque nitore, quantum in nobis est, restituenda sunt; quo cumprimis facit, si turbidus internæ concupiscentiæ fons, e quo omnis immundities profluit, solícite obthuretur. Sed hæc in Scholis Theologorum inculcantur.

## §. XV.

Ab integritate corporis ad valetudinem transitum facimus. Huic verò indirecte nocendi divinitus nobis concessam, certis tamen limitibus circumscriptam, potestatem socialitatis, ad quam telendam adstringimur, salus manifeste arguit.



Homo animal est sociale, non sibi soli, sed & aliis natum: Ergo omni contentione allaborare, ingeniique & corporis nervos in sua quisque statione intendere debet, ut communem utilitatem pro virili adjuvet, & promotum eat; id vero absque propriæ salutis detrimento, cum primis si durum & difficile laborum genus suscipiendum sit, vix præstatur: inserviendo enim aliis consumimur. Firmiori utique valetudine utitur, qui se negotiis reipublicæ subducit, qui præcipuam corporis curandi rationem habet, præsentibusque bonis contentus, molliter ætatem transigit: At hunc indignum judices, qui societatis humanæ, ad cujus usum nihil opera sua confert, membrum appellatur. Cordate *Tullius: qui nihil agit, mihi omnino esse non videtur, II. de Nat. Deor. c. XVII.*

## §. XVI.

Quantumvis igitur partem valetudini detraxisse, & in communem societatis usum convertisse, mentis generosæ, salutisque publicæ amantis, indicium sit: Ne tamen hic excedatur, omni studio cavendum. Excedunt vero e Literatorum numero, qui, ob inexplebilem, & cum quadam pertinacia conjunctam discendi aviditatem, libris sine intermissione affixi hærent, & intempestivis vigiliis, plurimamque in noctem protractis lucubrationibus indulgent, nec ullam pene horam a meditationibus & scriptationibus vacare patiuntur, ipsum tempus, quod prandio, quod cœnæ, quod somno dandum erat, in literis consumentes. Prudenter  
omni-

omnino labores sunt moderandi, & alterna requie suaviter interpolandi, ne quis tanta negotiorum mole oppressus, præmature extingvatur, spesque patriæ, præcipitato obitu, in ipsa velut herba succidatur.

§. XVII.

Quæ hæcenus produximus, quorumque læsionem sub examen moralitatis vocavimus, bona, ipsummet corpus nostrum intrinsece afficiunt: dantur vero & alia, quæ vulgo fortunæ appellantur, adventitia quidem, sed perquam homini utilia ac necessaria. His pariter nocere licet, quoties per illam noxam majus bonum procuratur. Sic mercator naufragium passus, merces pretiosissimas, ut vitam servet, in mare conjicit: Præfectus urbis obsessæ ædes suburbanas incendi, & hortos circumjacentes provide vastari jubet, ut ne quid tegendo & alendo hosti relinquatur; quin & sata, ad famam subitæ irruptionis, & quicquid usui esse potest, corrumpuntur, ut sterile, ac nudum solum mature copias hostiles retrocedere cogat. Nec habent cives, cur de injuria sibi illata conquerantur, si ita fundos & agros suos ab amica manu deformari videant; id enim juris Principi ex Lege supereminentis, quo gaudet, in bona subditorum imperii competit. Æquitas tamen postulat, ut damnum, quod hoc casu unus alterve civium sentit, a cæteris ex parte refundatur.

§. XIX.

Si quandoque fortunæ & corporis bona col-

lidantur, horum, quod præstantiora sunt, ni salus publica periclitetur, potior ratio habenda. Quodsi v. g. viator a latrone per vim adigatur, ut vel pecuniam, crumena reconditam, tradat, vel lethalem a se ictum expectet: quis non consultius in his angustiis duxerit, pecuniæ, quam vitæ iacturam pati? Aliter se res habet, si salus publica simul in discrimen adducatur, tum enim extrema sustinenda sunt. Certe si regni arcana alicujus fidei committantur, præstat mori, quam in hæc fœra involare, ac ea, ut propria vita redimatur, hosti temere prodere. Celebrantur hac virtute apud *Justin.* veteres Hispani, quod sæpe tormentis profluentio rerum creditarum immortui fuerint; adeo illis fortior erat taciturnitatis cura, quam vitæ, *L. XLIV. c. II.*

## §. XIX.

At conscientia, & corporis, & fortunæ bona cedunt. Hæc sola tanto constat pretio, ut nullo ei casu nocere, nullo quicquam detrahere liceat. Pleraque alia homo in sua potestate habet, ut de illis, prout necessitas & utilitas, vel publicæ, vel privata exigit, liberius disponere possit, soli conscientia vim inferre, nefas est. Etenim qui sibi nocet, id facit sub spe vel majoris boni consequendi, vel majoris mali evitandi: At quodnam majus bonum conscientia tranquillitate inveniri, vel quodnam majus malum diris conscientia afflicta moribus concipi possit? Prima igitur hominis cura sit conscientia recta & illæsa, quæ sanæ  
ratio.

rationis dictamen, & intellectus legibus rite informati judicium constanter sequatur, nec se vel precibus flecti, vel minis frangi, vel promissis, ac muneribus ad deteriora abstrahi patiatur. Pereant licet reliqua omnia, modo conscientia facta tecta, que conservetur. Hinc cives quantumvis sub initium introducti status civilis voluntatem suam voluntati Summorum Imperantium submiserint: conscientiam tamen, quæ potestati humanæ non subiacet, in rebus, Religionem maxime concernentibus, sibi reservasse præsumuntur. Recte *Pufendorfius*: *Cum Religio a principio, quod longe antientius est imperio civili, oriatur, eoque validius hominem stringat, quam imperium humanum, nec ab hoc alterationem accipit. Unde inutile juxta & absurdum foret, si futurus civis ita imperaturo se obstringeret: Submitto voluntatem meam voluntati Tuæ etiam in hoc, ut ad arbitrium Tuum velim amare, venerari Deum, in Deo considerare, aut plus Tibi fidei, quam Deo, adhibere, aut, Te volente, ejus amorem, venerationem, obsequium omittere, aut Tuo jussu ejusmodi signa adhibere, quæ naturam Dei destruunt. Nam huc cumprimis quadrat illud ab Apostolis dictum: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus! Libr. sing. de habitu Relig. Christ. ad vitam civil. p. 24. seqq.*

## §. XX.

Ex hætenus dictis liquet, normam & regulam, quæ juri sibi met ipsi nocendi suos limites ponat,

nat, ac æstimandæ casuum huc pertinentium moralitati inserviat, hanc constituendam esse: *juste sibi homo nocet, quoties per illam noxam vel majus bonum procurari, vel majus malum declinari potest.* Sed satis pro ratione instituti! hic rivos, licet nondum penitus exhaustos, claudimus, quæ deesse videntur, alia occasione suppleturi.

## DISSERTATIO V.

DE

## Evidentia ac Certitudine Demonstrationum Moralium.

§. I.

**C**ommunis superiori tempore opinio invaluerat, nullum demonstrationibus in Disciplinis Practicis locum dari, & incassum laborare, qui ad apodicticam Moralia certitudinem reducere conarentur. Unde Libellos Ethicos, quorum mole laboramus, ita maximam partem comparatos videas, ut, præter virtutem ac vitiorum descriptionem, in quibus undenarium cum Stagirita numerum religiose tuentur, & operosam de Summo Bono commentationem, nihil pene complectantur; tantum abest, ut officiorum humanorum rationem ex solidis & indubitatis principiis nexu certo & concatenato demonstrative deductam exhibeant.

§. II.

## §. II.

Inter causas hujus imperfectionis ac negligentiae non male commemorat *Illustr. Baco de Verul. de Dignitat. & Augm. Scient.* cum animadv. *Placcii ad L. VII. c. I. T. III.* vanam nonnullorum persuasionem, qui sibi imaginentur, supervacaneum esse, multum operæ & laboris collocare in ea disciplina excolenda, quæ Juris Nat. præcepta tradat, & circa mores hominum formandos occupetur; cum ratio vel sponte insinuet, quid justum sit, quidve injustum, vel paucis duntaxat monitis instructa, rem omnem emetiatur, modumque recte vivendi edoceat. *Nonnulli, verba sunt Anton. le Grand Instit. Phil. P. X. c. I. §. 2. exiguum se aggredi opus autumant, dum Ethicæ præcepta explananda suscipiunt, quoniam quæ ad vitæ institutionem conferunt, familiaria videntur, & cuique Genti communia. Quis nescit, inquit, virtutem esse colendam, pietatem parentibus deberi, & Deum, quem omnes venerantur, summe esse diligendum? de ignotis Regula formentur, sed de iis suis cuique sensus relinquatur, quæ cuique innotescunt.* Sed enim qui sic ineptiunt, satis imperitiam produunt, & testantur, se nondum intimiora hujus disciplinæ penetrasse. Neque enim de morum scientia gloriari potest, qui de Lege, de summo bono, de officiis, de virtutum ac vitiorum discrimine generalia quædam mente complexus est, & confusum sibi, qualis plerumque esse solet, conceptum de re-

liquis capitibus formavit. Verum necesse est, ut, qui supra vulgum in hoc studiorum genere sapere velit, officia naturaliter debita e genuino principio accurate, ad tollendam omnem dubitationem, demonstrare sciat: ut iusto, honesto ac decore suos limites constituat: ut Leges Naturales a positivis universalibus caute distingvat: ut Jus Nat. a rationibus naturalibus, & sanæ rationis dictamen a mentis luxuriantis, sibi que nimium indulgentis, pruritu solide discernat: ut cognitum insuper & exploratum habeat, quo casu libertas naturalis vel extendi, vel coarctari & suspendi possit? quæ Belli, quæ Pacis, quæ Naturæ, quæ Gentium jura dentur? quæ prudentiæ Rectoriæ, quæ legislatoriæ & consultatoriæ sint, fundamenta? quibus remediis affectus compescantur, & mores ad honestatem, vitæque decus, componantur? quin & alia innumera occurrunt, sine quorum cognitione frustra quisquam solidiorem doctrinæ moralis scientiam jactitaverit. Difficultatem rei agnovit Jo. Seldenus, magnum Britannicæ Decus, *Perplexæ*, inquit, *rite extricare, confusa invicem distinguere, veri ac falsi confinia, horumque strenuos anfractus satis habere exploratos, & demum ex iis, quæ superstruuntur, de fundamentis seu principiis rectè conjicere, rem perquam arduam, pene inaccessam, & paucissimorum mortalium esse, de J. N. & G. secundum Discipl. Ebr. L. I. c. III.*

## §. III.

Ultima disciplinae practicae pestis erat probabilissimus Moralis, quo grassante, plurimis persuasum erat, strenue officio functos esse, qui, circa decidendam quaestionem dubiam, rationes probabiles cumulassent, vel unius alteriusve gra-  
vis Doctōris auctoritatem & consensum allegassent. Et geminum quidem obtrudebant probabilissimum, alterum extrinsecum, qui meris magnorum virorum suffragiis niteretur; alterum intrinsecum, qui rationibus verosimilibus e natura rei petitis superstructus esset. Probabilissimo extrinsecō seu auctoritativo praesulit *Tullius*: *Quid, ait, in re dubia acturus es? idem, quod pecudes, quae dispulsa, sui generis sequuntur greges, ut bos armenta: Sic ergo bonos viros, aut eos, quicumque dicentur boni, etiam si ruant, Lib. VII. Epist. ad Attic.* Incrementa dederunt omnis generis sectae, caeco sese impetu ad Magistrorum placita adstringentes; *Conf. Baco de Verul. de Augm. Scient. Libr. I.* qui cordate monet, auctoritati & credulitati, tanquam principalissimae causae, tribuendum esse, quod primis temporibus scientiae absque insigni aliquo augmento exangves jacuerint. Ad supremum, si moralia spectes, fastigium hanc superstitionem prorexit Ordo Jesuitarum, quorum Princeps & Coryphaeus *Ignat. Loyola, in Epist. de Virt. Obedient. Sect. 18.* hanc suis Legem dedit: *Statuere debetis vobiscum, quicquid Superior praecipit, ipsius Dei esse pra-*



praeceptum & voluntatem. Atque ut ad credenda, quae Catholica fides proponit, toto animo assensuque vestro statim incumbitis: Sic in eadem facienda, quaecunque superior dixerit, caeco quodam impetu voluntatis parendi cupida, sine ulla prorsus inquisitione, feramini. Quam Magistri regulam eo extenderunt affectu, ut audacter docerent, licere, opinionem, quam vel unicus celeberrimus Doctor scripto publico tuitus esset, quamvis in se falsam, tuto sequi. Quod impiae probabilitatis monstrum pridem confoderunt viri doctissimi, Ludov. Montaltius in *Lit. Provincial. de Moral. & Polit. Jesuitarum Discipl. Wilb. Weddrock. in Not. ad Literas illas Provinc. Sam. Rachel. Exam. Probabil. Jesuit. & novorum Casuist. Add. Conring. Epist. ad Rachel. laud. Exam. praemiss. Stegerus. Tract. de Probabil. Jo. Heinr. Weiss. de Probabilismo. Mor.* Probabilismus intrinsicus, quem vocant, illis, qui tricus scholasticis assuevere, perquam familiaris est; quippe qui non tam pondere, quam multitudine argumentorum moventur. Hinc si de bonitate, turpitudine vel indifferentia actionis iudicium sit ferendum, mire se torquent, ingentem rationum anxie conquisitarum farraginem in scenam producant: sed enim, cum lubrico probabilitatis fundamento nitantur, non confirmationem reddunt animum, verum ancipitem ac suspensum relinquunt, & rem dubiam ut plurimum magis implicent, quam explicent. Sane non citra nauseam casuistarum Romanen-

manensium vasta volumina evolvere licet, raro ita rem controversam pertractant, ut tuto acquiescere, & conscientiam tranquillare possis. Obscure loquuntur, subtiliter distinguunt, ambitiose decidunt. Cujus rei non alia causa subest, quam quod probabilia ament, demonstrationes negligent, & opinionem verius, quam scientiam sectentur, nec ex principiis indubitato veris conclusiones eliciant, sed ex rationibus, quas mens fluctuans suggerit, verosimilibus vim probandi petant.

## §. IV.

Multos etiam, ut recte observat *Pufend. de J. N. & G. L. I. C. II. §. 1.* superiori ætate a cura demonstrationum moralium revocavit *Aristotelis* auctoritas, quippe qui de iis non adeo magnifice sensisse videtur, cum *Ethic. Nicomach. L. I. c. III.* scribit: *Institutio nostra cum satisfecerit officio suo, cum pro rei subjectæ natura unumquodque explicaverit. Non enim in omni disputationis genere peræque accurata subtilitas requirenda est: quemadmodum nec in operibus mechanicis. Est vero in iis rebus, quæ honestæ & justæ sunt, quas civilis scientia considerat, tanta varietas, tantusque in iis versatur error, ut lege modo, non autem natura, constare videantur. Similisque inconstantia ac mutatio versatur etiam in iis, quæ ut bona expetuntur; idque propterea, quod ex his multi decrementa capiunt. Reperti enim sunt, quibus divitiæ, etiam quibus robur corporis exitio fuerit.*

fuerit. Satis itaque erit, si, cum de ejusmodi rebus, ex rationibus item ejusmodi explicatio instituat, rudi quadam & crassa forma verum declaremus; satis item, si (cum & de rebus, quae plerumque eveniunt, & vero etiam ex talibus rationibus disputationem instituamus,) ad talem quoque modum concludamus. Eodem autem modo etiam accipi oportebit, quae hic dicentur. Est enim bene instituti hominis, tantam in unoquoque genere disputationis subtilitatem desiderare, quantam rei ipsius fert natura. Ut enim ridiculus sit, qui Mathematicum probabilibus rationibus utentem probet: ita is quoque, qui ab Oratore demonstrationes postulet & c. Verum enim vero Sam. Rachel Introduct. in Phil. Moral. Arist. c. XII. nec non in Exam. Probabil. Jesuit. c. VI. VII. cui ad stipulatur Nic. Hertius in Not. ad Puffend. de J. N. & G. L. I. c. II. §. 1. excusandum censent Philosophum. Cum enim scripserit discipulis, qui pro recepto aevi istius more mathematicis Scientiis erant imbuti, monuisse, ut ne expectarent tales demonstrationes, quae *αριθμητικῶν* mathematicam exaequarent, sed quales materia substrata suppeditare posset. At cum in doctrina morali definitiones, principia, & axiomata aequae certa & evidentia inveniuntur, ac vel in ipsa Mathesi, temeritatis utique non erit, ab illa non minus, quam ab hac, indubiam certitudinem, & clare, ac distincte cuivis sanae mentis cognoscibilem veritatem expectare, & moralia ad modum demon-

demonstrationum mathematicarum exigere. Neque hoc est, ut imperite aliqui iudicant, tricas & inanès subtilitates sequi, sed tum demum genuino nitori suo divinior hæc Philosophiæ pars restituitur, si, omissa instabili & vâga philosophandi methodo, per demonstrationes veritas moralis eruatur. Vid. *Vincent. Placcius Comment. in Bac. de Verul. de Augm. Scient. L.VII. c. 1. Text. III.* Nec obstat, quod *Jo. Andr. Smidius Eth. Postt. §. 1. n. 6.* objicit: *Geometricas & arithmeticas demonstrationes plerasque esse categoricas, adeoque scientiam gignere, ut plurimum non pendentem ab aliqua conditione, qua illam ex parte faciat contingentem; ex adverso in moralibus hypotheticas probationes multo esse frequentiores, categoricas vero rariores?* Sane probatio hypothetica scientiam moralem in se non reddit incertam, sed facti solummodo aliqua inde nascitur incertitudo. V. g. Atheismum, homicidium, furtum, Jure N. esse interdicta, e custodia societatis, quam ista vitia turbant, & infringunt, apodicticè potest demonstrari: Enimvero num hæc vel illa persona atheismi, adulterii, homicidii rea sit, certo, ac infallibiliter non semper constat; cum plerumque cognitio facti resolvatur, vel in unius, alteriusve testis, ac indicis delationem, vel in propriam confessionem, quæ haud raro, si cum primis vi tormentorum extorta sit, fallit. Instas: Disciplina practica versatur circa mores, & actiones humanas, hæc sunt liberæ, sunt contingentes, ac adeo incertæ;

tæ; namque rerum contingentium nulla datur certa scientia? Quod hoc dubium concernit, sciendum, actus humanos posse dupliciter spectari, vel physice, & sic omnino sunt instabiles, & contingentes; quia a liberrima voluntatis nostræ determinatione pendent: vel moraliter, & secundum incumbentem obligationem, hoc pacto necessarios merito dixeris; cum necessario vel boni sint, vel mali, justi, vel injusti, atque adeo vel suscipiendi, vel omittendi. De bonitate autem, malitia, sive indifferentia certus homo fit, si accuratam actionis cum norma legali collationem instituerit. Vid. *Sam. Rachel. l. c.*

## §. V.

*Hugo Grotius de J. B. & P. L. II. c. XXIII*

§. 9. de differentia inter certitudinem rerum moralium & mathematicarum ita disserit: *Verissimum est, quod scripsit Aristoteles, in moralibus non aque ut in mathematicis disciplinis certitudinem inveniri: quod eo venit, quia mathematica disciplina a materia omni formas separans, & quia formæ ipsæ tales plerumque sunt, ut nihil habeant interjectum, sicut inter rectum & curvum nihil est medii. Ast in moralibus circumstantia etiam minima variant materiam, & formæ, de quibus agitur, solent habere interjectum aliquid, ea latitudine, ut modo ad hoc, modo ad illud extremum propius accedat. Ita enim inter id, quod fieri oportet, & inter id, quod fieri nefas est, medium est, quod licet, sed modo huic, modo*

modo illi parti propinquius : unde ambiguitas saepe incidit, ut in crepusculo, aut in aqua frigida calefcente. Verum accurate ad hæc respondit *Pufendorf. de J. N. & G. L. I. c. II. §. 9. 10.* quod in mathematicis æque, ac in moralibus, levissima circumstantia, citra ullam tamen certitudinis diminutionem, mutationem inferat; namque lineam v. g. si vel minima sui parte a regula deflectat, & recta fieri subito curvam, & hoc modo secundum qualitatem mutari: quin & quantitatis mutationem contingere, si vel minima accessio, aut decessio, fiat. Sed nec licentiam actionis, & indifferentiam, quæ justitiam inter & turpitudinem media intercedit, incertam, & dubiam reddere disciplinam, cum medium illa sit non participationis, quale est crepusculum, vel aqua trepida, sed negationis, quod de neutro extremorum aliquid assumit. Non diffitetur tamen *Vir Illustis*, esse aliquod discrimen, si gradum subtilitatis, & *αιρησις* species, inter demonstrationes mathematicas, & morales, quamvis illud non ad abstractiones mentales, & separationes formarum ab omni materia referat, quod *Grotius l. c.* facit, sed ad diversam naturam quantitatis physicæ, & moralis; cum mathesis versetur circa quantitates, quæ ex sua natura exactissime determinari, dividi, & quod proportionem attinet, ad amissim exæquari possint: Disciplina autem moralis, postquam qualitatem certam de subjecto demonstraverit, determinationem quantitatis iudicio, ac æstimationi humanæ plerumque relinquat.

## §. VI.

Ex dictis quodammodo intelligitur, quanto-  
 pere hallucinentur, & quam fœdæ se ignorantia  
 reos faciant, qui omnes demonstrationes a mora-  
 libus abesse jubent, imo qui modum ea scientifi-  
 ce tradendi, ceu inutilem, & ab eorundem natu-  
 ra prorsus alienum, rejciunt. Nempe hi erunt  
 fere, quorum animis obsoleta illa, & dudum a sa-  
 nioribus explosa opinio adhucdum infixæ hæret,  
 ac si demonstrationes scientificæ in solis disciplinis  
 theoreticis, non æque in practicis, quærendæ es-  
 sent, quod utique absolum. Quid enim, quæso,  
 significat, rem demonstrare? eandem e certo, ac  
 evidenti principio ita probare, ut inter antecedens,  
 & consequens, præmissas, & conclusiones neces-  
 sarius nexus detur. Quales probationes in doctri-  
 na morali occurrere, cum per se patet, tum ex  
 postea dicendis clarissime apparebit. Quare sicut  
 veras illa demonstrationes complectitur: Ita ean-  
 dem jure meritoque scientiam non analogice, sed  
 verè & proprie talem appellaveris. Confer. *Ra-  
 chel. l. c. Anton. le Grand Instit. Phil. P. X. C. R.  
 Pufendorf. in Prefat. Elem. Jurisprud. Universal.  
 Hertius Elem. Prud. Civ. Pæd. §. V. Hedinger  
 Sicilim. ex Græt. de J. B. & P. Proleg. §. 1. 2. seqq.  
 Smidius Eth. Posit. §. V. Placcius Access. J. N.  
 Proleg. Theor. II. §. 10.*

## §. VII.

Cæterum evidentia & certitudo demonstratio-  
 num moralium primario a principii, e quo illæ  
 dedu-

deducuntur, natura, & conditione pendet. Si principium abstrusum, si dubium, vel plane falsum fuerit, omnis sane demonstrandi vis vacillat, & concidit. Quare ante omnia de veritate, ac evidentia principii, e quo derivatur moralitas actionum humanarum, constare debet; in cujus notitiam certiori modo, & via magis compendiaris, non penetraveris, quam si naturam, ac indolem humanam, quacum necessario cohaerent Leges Naturales, paulo penitius scruteris. Quemadmodum enim Summus Imperans, cum Legibus civitatem instruit, ejus genio sese accommodat; siquidem non omnia decreta omnibus Rerumpublicarum formis aptari queunt: Ita, cum justitiae sensu homo imbuendus, & ad certos actus divinitus per naturam adstringendus esset, non poterant, citra fatalem civitatis macrocosmicæ ruinam, aliæ Leges sanciri, quam quæ forti humanæ convenirent, ejusdemque salutem, & tranquillitatem tuerentur. Unde, quales sint Leges Naturales, ex ipsa hominis natura, in cujus conservationem datæ sunt, dijudicandum venit. Age igitur, convertere in te met ipsum, iustria naturæ tuæ recessus, & in tui ipsius contemplatione aliquantisper defixus hæres; intelliges, opinor, cum aliunde, tum ex mentis, quæ nulla arte, nulla consuetudine humana exulta est, deformitate, tum e corporis imbecillitate, ac inopia, eo hominem consilio procreatum esse, ut non sibi soli vivat, sed suavi cum aliis consortio jungatur, & societatem



tem, in quam ductu naturali fertur, colat, ejusdemque beneficio defectum, quem in se deprehendit, suppleat. *Fingamus, verba sunt Pufend. de O. H. & C. L. I. c. III. §. 2. hominem, citra omnem ab aliis hominibus accedentem curam, & culturam, ad robustam etatem proVectum, cui nihil sit scientiæ, nisi quod ex proprio ingenio, velut ultro pullulaverit, eundemque ab omnium aliorum hominum ope, atque consortio, in solitudine destitutum: Sane vix miserabilius animal deprehendetur, elingve nimirum, ac nudum, cui nihil relictum, quam herbas, radicesque vellere, aut sponte natos fructus legere, sitim fonte, flumine, aut lacuna obvia levare, repellendis aëris injuriis antra subire, aut musco, gramineve corpus utcumque tegere, tempus radiosissimum per otium exigere, ad quemvis strepitum, aut alterius animantis occursum exhorrescere, aut per feram bestiam demum perire. Contra quicquid jam commoditatis vitam humanam comitatur; id omne ex natura hominum ope redundavit. Add. de J. N. & G. L. II. c. 1. §. 8. & Spicil. Controv. c. 3, §. 1. seqq.*

## §. VIII.

Quid vero ex hisce consequitur? hominis naturam esse socialem; quid amplius? naturaliter præcepta esse, quæ salutem, & tranquillitatem societatis humanæ promovent, & conservant; e contrario naturaliter interdicta esse, quæ eandem turbant, ac destruunt. Ergone hæc necessario con-

necta

nexa sunt? imo vero! qui vult finem, vult etiam media, ad finem illum ducentia. Voluit Deus, ut homo socialiter viveret: Ergo non potuit non ab una parte efficaciter simul velle ac imperare actus vitæ sociali convenientes, ab altera, prohibere actus vitæ sociali contrarios, & disconvenientes. Pauca hæc, si rite observentur, viam sternunt ad cognoscendum genuinum moralitatis naturalis principium, quod huc redit: Quicquid necessarium nexum, seu necessariam convenientiam, involvit cum societate humana, illud naturaliter vel est præceptum, vel prohibitum. Cujus principii vim paulo clarioribus verbis explicatam sic cape: Quicquid ita est comparatum, ut, admissio eo promiscue, societas humana facta, testaque, conservari non possit, illud est Jus N. prohibitive. E contrario: Quicquid ita est comparatum, ut, omisso eo promiscue, tranquillitas, & incolumitas generis humani perstare nequeat, illud est Jus N. præceptivi. Quicquid denique ita sese habet, ut ex eo nec conservatio, nec destructio pendeat salutis, & tranquillitatis publicæ, illud censetur naturaliter indifferens, & vulgo ad Jus N. permissivum refertur. Principio sic rite constituto, nuda opus est subsumptione, & absque negotio de cujusvis actionis moralitate naturali pronuntiari potest. Evidentiam rei paucis exemplis demonstrabimus. Queritur: Num Jus N. exigat, ut homo fidem datam servet: ut obsequium Superioribus præstet: ut animum honestis artibus, ac scientiis imbuat,

imbuat, temperantiæ, castitati, similibusque virtutibus studeat? Resp. Affirm. quia tam arcte hi actus cum societate humana connexi sunt, ut, neglectis iis, de salute publica omnino desperandum sit. Finge enim, omnes fidem in pactis, & promissis damnare: omnes jugum imperii rigida cervice ex-  
cutere: omnes culturam animi omittere: omnes incontinens, & voluptuosum vitæ genus sectari; ultima sane ex tanta vitiorum confuge fata, & præsentissimum salutis discrimen generi humano imminere, quotusquisque non intelligit? Idem de homicidio, furto, adulterio, atheismo &c. sentiendum; quorum permissio, & promiscua licentia quoniam cum perturbatione, & everfione rerum humanarum manifeste conjuncta est, exinde eorundem pravitas, & prohibitio naturalis evidenter perspicitur.

## §. IX.

Sic igitur genuinum, idque unicum naturaliter moralia cognoscendi & dijudicandi principium est custodia, & tranquillitas societatis humanæ; in quo fere *Pufendorfium* sequimur; nisi quod Illustris Vir nuspiam satis exprimat, vim hujus principii, nec propositionem Juris N. fundamentalem, in qua omne demonstrationum moralium momentum situm est, claris, & perspicuis verbis ad omnium captum eloquatur. Quin & in eo sæpe lapsus est, quod Jus N. cum Æquitate naturali passim confundat, ac, ubi ad evincendam particularium actionum justitiam vel injustitiam ven-

tum,

tum, suspenſo nonnunquam & fluctuanti animo hinc inde feratur, & principii ſui velut immemor, rationibus duntaxat naturalibus, ac adeo mere probabilibus, ſuperſtruat deciſionem ſuam. V. g. in Quæſt. Num civitas peccet, quæ civem innocentem, cujus traditio manu armata urgetur, deſerit, hoſtiſque arbitrio permittit? Num ab homine pauperrimæ fortis cum uſura mutuum repeti poſſit? Num debitor principalis primo, fidejuſſor ſecundo loco, an vice verſa, ad ſolutionem teneatur? Num contractus locationis conductionis naturaliter exigat, ut ei, qui operam continuam alteri addidit, eandemque morbo, vel alio caſu impeditus, interrumpere ad modicum tempus cogitur, nihilofecius pacta merces in ſolidum tradatur? Num extrema inopia laboranti quicquam, famis ſedandæ cauſa, ſurripere liceat? Num, ſi plures ad facinus patrandum concurrerunt, & unus, alterve, fuga elapſus ſit, unus pro omnibus, an quisque pro ſua parte teneatur? In his, ſimilibusve quæſtionibus enodandiſ, ac decidendiſ, quarum inſignem copiam cum in *Libello de O. H. & C.* tum in *Opere maj. de J. N. & G.* invenias, *Pufendorfius* pro alterutra parte, tanquam naturaliter vel præcepta, vel prohibita, pugnat, aut iudicium prorsus ſuſpendit; cum tamen mera problemata ſint, quæ ob deficientem neceſſarium cum conditione humana, & vita ſociali nexum, ad objectum *Jur. N.* neutiquam pertinent, ſed aliquam duntaxat æquitatis ſpeciem præ ſe ferunt, de juſtitia au-

tem vel injustitia naturali stricte tali minus participant. Unde in numero rerum naturaliter indifferentium habentur; eo quod, ut dixi, salva perennatura sit societas humana, quodcunque etiam ex oppositis invaluerit; idque evidentissimum est signum, Jus N. in neutram partem hic pronuntiare.

## §. X.

Et sane in eo plerique morum Doctores graviter impingunt, quod Jus N. & rationes naturales non satis accurate inter se discernant, & pro Lege subito Naturali venditent, quod aliqua æquitatis specie nititur. Hinc Leges Divinas & humanas, naturales, & positivas universales misere permiscent, & confusum aliquod inde systema conficiunt. Cujus mali hæc præcipua est causa, quod multi verum J. N. principium, a quo pendet moralitas actionum humanarum, vel plane nesciant, vel cognitum male applicent, vel circa speciales casus definiendos incaute negligant, & eo sibi solum placeant, si rationes turmatim in aciem educere, earumque copia hostem, si non vincere, saltem obruere valeant. Ex quo tandem famosus, quem supra notavimus, Probabilismus oritur, omnem certitudinem excludens, & scholasticis litigiis fores latissime pandens.

## §. XI.

Sicut igitur ex necessaria actionum convenientia vel disconvenientia cum natura hominis & salute ac incolumitate societatis recta ratio, quid natu-

naturaliter bonum, quidve malum sit, evidenter & apodictice cognoscit: Ita multis tamen hoc principium circa officiorum, quæ vel sibi met ipsi, vel Deo ex obligatione naturali homo debet, demonstrationem deficere videtur; & hinc pro communi Jurisprudentiæ universalis fonte, & pro adæquata actuum moralium norma habendum esse, negant, quos inter sunt *Zentgrav. de Orig. Verit. J. N. p. 170. seqq.* nec non *Isag. Instit. de J. & J. p. 23. seqq.* *Strimefius de Orig. Moral. p. 97.* *Gröning. Biblioth. Juris Gent. Europ. L. III. c. X. §. 11, 12.* *Hedinger Jurispr. Nat. P. I. Proth. Quest. II. §. 13.* *Sam. Coccejus Tract. de Princip. J. N. unica vera & adæquato P. I. Quest. 2.* *Buddeus Elem. Phil. Pract. P. II. c. IV. Sect. I. §. 23, 24, & Select. J. N. & G. p. 67.* aliique plures. Sed enim qui custodiam societatis humanæ tantum obligationi erga proximum substernunt, angustioribus, quam par erat, limitibus illam circumscribunt, nec altissimum ejus fundum exhauriunt; cum & cætera, quotquot naturaliter nos stringunt, officia, prono inde alveo fluant, modo dictum Principium rite explicetur, & applicetur.

## §. XII.

Supra evicimus, ad Jus Nat. ea pertinere, quæ indissolubili vinculo cum natura hominis rationali & sociali sint connexa; quandoquidem Deus societatem humanam a se adornatam, quoquo eam consideres modo, velit pacatam & tranquillam;

& hinc actiones, quæ pacem illam & tranquillitatem turbant, divinitus interdictas, & quæ eandem sustentant ac tuentur, præceptas intelligi, ostendimus. Qua in re illud cum primis observandum venit, actum, de cujus moralitate disquiratur, non spectandum esse solitarie, prout ab uno alterove homine susceptus est; Sic enim vel actio turpissima naturaliter licita & permixta videri poterat; eo quod ex illa, quatenus ab una vel minimum a paucis personis patrata supponitur, destructio societatis humanæ non sit metuenda. Sed fingendum est, hujusmodi actum a cunctis hominibus promiscue committi; sic enim demum clarum evadit, utrum ex eo vel conservatio, vel perturbatio & eversio rerum humanarum pendeat, ob quam deinceps vel bonitas, vel malitia naturalis, eidem inesse censerit debeat. Neque vana & inanis hæc est fictio. Nam quod tibi naturaliter licet, licet & mihi, licet & reliquis omnibus, qui se membra societatis humanæ profitentur. Unde si quis audacter affirmet, potestatem, v. g. furandi, latrocinandi, a natura sibi concessam esse, eandem sibi licentiam vindicabit, & alter, quin & reliqui omnes, affectare poterunt, qui naturam humanam cum ipso communem habent, ad æqualitatem naturalem jure suo provocantes. Quod si igitur furti & latrocinii turpitudinem evidenter ex lumine naturæ cognoscere & demonstrare velis, suppose, totum genus humanum latronum & piratarum esse colluviem, alios in aliorum vitam & bona

bona impune grassari, nulli pacatam rerum suarum possessionem concedi; nullum a cruenta alterius invasione tutum esse, putasne, malo hoc latius serpente, salvam & incolumem perstituram societatem humanam? Indubitato igitur concludis, furtum & latrocinium a Deo, qui salutem & tranquillitatem communem non destructam, sed promotam vult, per Legem Naturalem prohibitum esse.

## §. XIII.

Persequamus hunc demonstrationis modum, & primum ad officia hominis erga seipsum applicemus. Notum est, quod animi & corporis cultura illa ipse, quæ sibi homo debet, officia absolvat. Ponamus igitur, partium hominis essentialium curam ab omnibus promiscue omitti, non artibus, non scientiis mentem a quoquam exornari, sordidum & squalidum vitæ genus a cunctis eligi, corporis vires ingluvie, ebrietate, & immodica venere exhauriri; proh! in quantam communi hoc malo miseriam, & deformitatem genus humanum conjiceretur! quam tetra ubivis facies oculos feriret! non hominum, credo, societatem colentium, sed nescio, quod ferum & horridum animantium genus cerneret. Sic ergo salus & custodia societatis humanæ, ad quam tuendam quisque, eo quod homo est, obligatur, unumquemvis admonet, ac edocet, ita ætatem transigendam esse, ut fructum inde percipiat genus humanum; & proinde ex obligatione naturali homini incumbere,



bere, ut ingenii dotes probe excolat, speculationibus non otiosis, & inanibus, sed publico profuturis, insenscat, mores ad honestatem componat, affectuum, quibus societas turbatur, impetum coërceat, denique caste, & continenter se gerat, ne corpus luxu, & intemperantia extenuatum, mentem intempestive destituat, & fata ante diem, cum publicæ salutis detrimento, & jactura, accelerentur. Quia igitur officia, quibus sibi metipsis homines naturaliter obstricti dicuntur, tam arcto vinculo colligata sunt, cum generis humani incolumitate, ut hæc, citra illorum observationem, perennatura non sit: Satis inde liquet, quod custodia societatis obligationem hominum erga se ipsos, æque ac alteram, quæ in proximo terminatur, dirigat, ac moderetur.

#### §. XIV.

Sed demonstratio Religionis Naturalis, quæ officia erga Deum complectitur, ex eodem principio repetenda, majus negotium facessere videtur: Enimvero nec hic magnopere desudandum existimem. Nam quemadmodum conditio vivendi, qua homines utuntur, duum generum est, altera in civili, altera in naturali statu: Ita utraque metu ac reverentia Numinis stat ac sustinetur, eademque remota, tollitur, humanamque felicitatem cum summis miseriis & calamitatibus commutat. Et in statu quidem civili id hoc evidentius est, quo magis constat, ipsis Legibus Civilibus verum robur a sola auctoritate divina accedere,

re, qua profligata, nullam sibi felicitatem, quæ diuturna sit, civis polliceri possit. Ex libidine Imperantium pendebunt omnia, quos, si in vitia descedunt, quæ pravitas est ingenii humani, nullus metus aut pudor cohibebit, cumque nihil ipsis sublimius existiment, quo in præmium vel pœnam rapiantur, nullum tribunal, cui rationem reddant: sævitia, immanitate, luxuria, cuncta perdere, & altissima Reipublicæ vulnera imponere non erubescunt; denique sic patria civibusque utentur, tanquam non nisi ipsorum causa hæc omnia natura produxisset. Quod secus longe est, ubi Religione animus imbutus inflammatusque est. Tum enim in publicæ salutis curam Princeps multo acrius incumbit, & pulcherrima quadam virtutis æmulatione, divinæque vindictæ metu, utilissima quæque Reipublicæ præstet, nec tam facile intempestivo sui amore, aut proprii commodi studio, aut voluptatis libidine transversus agitur. Sanctam oportet esse regnandi artem, & religione munitam. Solus Numinis Divini cultus, & aræ ac templa sunt, quæ profanas ex Imperantium animis cogitationes expellunt, eosque ad salubria consilia, & perpetuam publicæ salutis curam accendunt, ut nihil ad sustinendam spem patriæ, fortunæque publicam, Principis religione, auspiciatius esse queat. Ad cives vero in officio continendos, quantum ea præsidii afferat, satis intelligunt, qui clavum Reipublicæ tenent, aut ingenium humani indolem, ac pravitatem sedulo scrutantur.

Neque

Neque enim metus temporalis poenae hominum malitiae coercendae sufficeret, aut sola obsequii gloria, aut fides, Superioribus data, eam reprimere posset. Ipsam Imperantis vitam & dignitatem in quanto discrimine versari oportet, si quis civium vitam suam, quod per saepe asuvenire videas, contemnere discat? Hic sane, religione remota, ubi praesens imperium ipsi displicere coeperit, ultima adversus Principem moliri, omniaque consilia sua ad ejus perniciem conferre audebit. Qui enim religionis sensum ex animo suo ejicere, & penitus extinguere conatur, nihil morte pejus aut gravius metuendum esse; sibi persuadet, cujus si nullam rationem habeat, si ad eam tolerandam animum obfirmet, consilia sua in praecipua aget, temere & inconsiderate omnia perficiet, & ad ultima facinora compositam paratamque mentem habebit, nec ulla honestatis specie a deterrimis consiliis se revocari patietur. Quid vero si ambitio & regnandi libido accedat, & prave Republicam administrare videantur, quibus summa rerum delata est? nihil erit, quod civis, oppressa Religione, non audeat, & cupiditates suas expleat, axemque fortunae ipse conscendat, a quo alios audacter excussit. Neque occasio rei gerendae deesse poterit; cum ingenium humanum ad facinora & res novandas aptissimum sit, ac plebi imprudenti cum primis semper fere imperia invisae esse soleant. Fugit a libertatis umbra accedet, &, nisi Religionis

vis impetum compescat, ad periculosissimos motus seditionesque populum armabit. Præterea & illud in aprico est, Religione pulsa, neminem facile opera humanitatis & amicitiae exerciturum esse, nisi gloriæ aut emolumentum spem exploratam habeat. Cumque in foro civili ex actis & probatis sententia feratur, turpissimæ fraudes & scelera, si clam & citra arbitros patari queant, pro summi solertia ingeniique dexteritate haberentur. Conscientia etiam, quæ plerosque arguit, atque ad facinorum admissorum confessionem stimulat, citra Religionem vanum nomen esset, atque a deo securitatis impunitatisque spes ad turpissima facta, omnemque libidinem homines incitaret. Hactenus de usu & necessitate Religionis in statu civili. Eandem vim exercet in statu naturali, quem hodiernum Principes inter se & Reipublicæ representant. Quam male hominibus extra societatem civilem viventibus consuleretur, quam inter incipitia perpetuoque metu agerent, nisi a Religione spes ipsis fiduciaque accederet? Non pax satis tuta, nulla foederibus constantia, nulla promissis fides, nihil firmum immotumque; sed quisque ad solam utilitatem, propriique commodi sensum omnia referret; ut hinc Religionem neglectam prolapsamque generis humani salutem & tranquillitatem secum in præceps tracturam esse, ambigi non possit. Hæc vinculum est, per quod Respublicæ coherent, & spiritus vitalis, quem tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi o-

nus

nus & præda, si sensus omnis Religionis deleatur. Sed quo hæc omnia de Religione spectant? eo adducta sunt consilio, ut, de quo multi dubitant, evincatur, officia, quæ Deo naturaliter debentur, & quæ Religio Naturalis docet & complectitur, necessarium cum salutæ & incolumitate generis humani involvere nexum, cultusque divini, in quantum naturaliter æstimatur, necessitatem e custodia societatis certo & apodictice demonstrari posse, nec saltem indirecte, quod *Puffend.* putat *de O. H. & C. L. I. c. IV. §. 13.* sed omnino directe, ut ex dictis liquet.

## §. XV.

Quantumvis igitur salus societatis humanæ triplicem officiorum, quæ Deo, quæ proximo, & quæ nobismetipsis naturaliter præstare tenemur, classem luculenter exponat, & moderetur: Haud tamen diffitemur, nonnullorum actuum, qui scilicet necessariam cum tranquillitate publica convenientiam aut disconvenientiam non inferunt, ex eodem principio evidenter deduci non posse; sed hunc defectum Theologia Moralis inter Christianos quam abundantissime supplet. Quamobrem confundi non debet, quod a multis in hoc negotio fieri videas, Jurisprudentia Universalis cum Theologia Morali; sane notabilis inter utramque intercedit differentia. Illa ex lumine naturæ, hæc ex lumine Scripturæ, sive ex specialiori revelatione Divina innotescit. Illa maximam partem versatur circa actus externos formandos: hæc exactissima virium

virium nostrarum rectitudinem, & actuum interiorum, æque ac exteriorum cum Lege Divina conformitatem requirit. Illa omnes Gentes, hæc solos Christianos informat. Illa duntaxat ad vitam præsentem pacate, & socialiter transigendam facit, & nonnisi indirecte est quædam pædagogia ad Religionem Christianam: hæc ad alteram simul vitam protenditur. Conf. *Ægid. Stranchii Theol. Moral. Quæst. I. de Nat. & Const. Theol. Moral. Concl. II. nec non Compend. Tb. Mor. Bajeri Proleg. §. 1.*

## §. XVI.

Cæterum quæ, præter allata, contra veritatem principii, cui demonstrationes morales superstruximus, vulgo opponi solent, levioris sunt momenti, quam ut iis confutandis nunc immoremur. Hoc solum addere libet: Aliquibus vel ideo non ad societatem humanam, circa determinandam actionum justitiam, vel turpitudinem naturalem, recurrendum videri, quia nonnisi per accidens fiat, ut homo societatem colat, & in mutuo cum aliis consortio, & consuetudine vivat? Hoc vero nequam admitti, & concedi potest. Siquidem sociale vitæ genus non est accidens, sed necessarium, ac inseparabile naturæ humanæ consequens. Nam sicut ad societatem, loquimur cum *Bæclero Comment. in Grot. de J. B. & P. Proleg. §. IIX. Deus homines condidit, natura instruxit, ratio deduxit, oratio copulavit: Ita, si fingeretur status hominum extra societatem, ille nec humanus*

Aa

esset,

*esset, nec naturalis, & sic omnis coaguli, ut omnis juris, expers.* Ex quo colligitur, eum, qui, Anachoretarum more, nescio sub quo sanctitatis prætextu, in solitudinem concedit, & sibi soli posthac vivere instituit, aliquid audere, quod sit contra naturæ ductum, atque instinctum, ac proinde leges societatis, quarum obligatio universalis est, adhuc dum in statu illo solitario vim suam exercere, hominemque officiorum incumbentium continuo admonere. Plane, ut se res habet cum malo debitore, licet is profugus fiat, & vel in extremo orbis angulo delitescat: prior tamen obligatio ad solvendum creditori non tollitur, sed illum, quoquo vivat loco, stringit. Inquis: Sociale vitam propterea etiam non videri cum conditione humana necessario connexam, quia Adamus, priusquam socia ipsi jungeretur, revera aliquamdiu extra societatem vixerit? Enimvero, ut taceam, perexiguam temporis spatium fuisse, quo solus hunc orbem incoluerit primus homo, is sane ex naturæ suæ consideratione facile intelligere poterat, solitarium vitæ genus sibi nequaquam convenire; unde Evam, quæ socia & coadjutrix divinitus ipsi dabatur, tam promte, tam amice amplexus fuit. Socialis igitur erat Adamus, quamprimum conditus esset, actu primo, actus secundus sese illustri modo exeruit, postquam conjugem nactus fuisset, & genus humanum multiplicari cœpisset.

## §. XVII.

Quemadmodum igitur ex eo, quod actio societatem humanam vel turbat, & dissociat, vel tuetur, & tranquillam reddit, ejusdem honestas, aut turpitudine naturalis clare perspicitur: Ita nescio, num tanta ab ullo alio principio evidentia, tantaque certitudo moralitatis, in quantum hæc nempe naturaliter æstimatur, expectari possit. Persequamur modo brevibus stricturis eminentiores, quæ in hoc negotio prostant, hypotheses, & veritas asserti nostri hoc magis elucescet. Qui ad voluntatem Divinam hic provocant, confundunt inter se principium moralitatis essendi, & cognoscendi; non illud, sed hoc in controversiam venit. Etenim quin Deus sit auctor & conditor Legum, a quibus actiones habent, quod vel bonæ, vel malæ dicantur, dubitari non potest: ast de medio illas ipsas Leges investigandi, & voluntatem Dei, ejusque liberam circa actus humanos dispositionem inde cognoscendi, disquiritur. In eundem pene censum veniunt, qui determinationem moralitatis ad rectæ rationis dictamen unice restringunt. Anceps sane hic & dubius est, si ita simpliciter spectetur, demonstrandi modus. Quoties enim mentis corruptæ, & præjudiciis excœcaturæ pruritus pro rectæ rationis dictamine venditatur? Quoties in diversissimas partes rapiuntur, qui de actione vel suscepta, vel suscipienda iudicium ferunt? Unus eam probat, alter damnat, tertius eam indifferentem excusat. Unusquisque

A A 1

sanat



sanæ rationis dictamen jactitat : & tamen veritas nonnisi una datur. Quamobrem ut ad liquidum perducatur, a cujus partibus illa stet, certis ratio nostra finibus est circumscribenda, certaue norma & regula constituenda, ad quam mentis judicia & pronunciata exigantur, ut indubitato constet, num quis recte, an perverse, ratione sua usus sit. Illam normam qui vel S. Scripturam, vel integritatis statum faciunt, principium afferunt, quod rationi non est evidens, & quod proinde ab hominibus, qui specialiori revelatione Divina destituti, solo lumine naturæ reguntur, neutiquam apprehenditur; imo confunditur sic lumen naturæ, & lumen gratiæ: Jurisprudentia Universalis & Theologia Moralis, de cujus discrimine paulo ante. Alii demonstrationes morales ad generales quasdam propositiones revocant, quales septem numero adducit *Robert. Scharrock de Officiis secundum J. N. c. II. n. 12. Nemini innocenti damnum inferre: Fidem servare: Bene merenti pariter retribuere: Ea facere, quæ propriam promovent felicitatem: Prolem procreare quam maxime felicem: Consanguineis benefacere bene moratis: Hominibus prodesse sanguine non conjunctis.* De his regulis confidenter ait *Scharrock l. c. quod sint placita naturæ prima, ex quibus cetera ejus leges, ut immortales conclusiones ab immortalibus principis deriventur, per quæ distincta species actionum honestarum statuuntur, & quisque, quid sibi conveniat, possit judicium facere.* Verum enim-

enimvero propositiones illæ generales, licet in se videantur satis certæ, & evidentes, non tamen possunt haberi pro norma primaria, & pro principio primo moralitatis, sed in aliud ultimato resoluntur. Quid enim? si quis tam pertinax sit, ut illarum veritatem in dubium vocet? si hominem plene convincere, & eo perducere velis, ut acquiescat: necesse est, vim obligatoriam ex altiori principio repetas, ac demonstres. E quonam igitur? E custodia, & incolumitate societatis humanæ, quæ cum neglectu commemoratorum præceptorum stare non potest. Jube enim hominem, quocum tibi res est, fingere: innocentes promiscue opprimi, fidem omnem damnari, debitam merentibus mercedem, denegari, propriam salutem a cunctis negligi, prolem male educari, consanguineos æque, ac reliquos cives, contemni &c. quære tum ex eo, num credat, malis hisce ingravescentibus, saluum, incolume, & tranquillum perstiturum genus humanum? negabit, opinor, evidentiâ rei motus. Sic vero constringes hominem, ut vel invitus fateatur, hos actus, quia repugnant salutî societatis humanæ, ad quam tuendam, & promovendam omnis homo, eo quod homo est, tenetur, a Deo, tanquam auctore hujus societatis, esse prohibitos. En! quam planus, quam expeditus sit hic demonstrandi modus! Alii aliam ingrediuntur viam, & consensu Gentium vel omnium, vel saltem moratorum, moralitatem actionum humanarum metiendam esse, perhibent.

Verum hæc demonstratio, præterquam quod non sit a priori, sed a posteriori, nullam parit vel evidentiam, vel certitudinem. Quis enim totum terrarum orbem emensus est? quis omnium, vel saltem plerarumque Gentium indolem, leges, & mores scrutatus est? Quis definire audeat, quinam præcise populi pro moratioribus sint habendi, cum omnes hoc nomen affectent? Quis iudex, quis arbiter erit in re tam ancipiti, cujus sententia tuto acquiescere liceat?

## §. XIX.

Nescio autem, num ullius philosophia, si demonstrationes morales spectes, magis sit lubrica, & monstrosa, quam *Thoma Hobbesi*, licet eam non minus, quam *Euclidis Elementa*, evidenter, & accurate demonstratam, & firmissimis innixam fulcris prædicet *Mar. Mersennius in Epist. ad Sam. Sorberium Libr. de Cive* annexa; applaudente *Petr. Gassend. in Epist. ad eundem Sorber.* Siquidem quot pene principia, e quibus conclusiones practicas deducit, tot paradoxa, tot falsa affert. *Mensuram Juris* constituit utilitatem privatam, *de Cive, c. I. §. X.* secutus in eo *Carneadem*, impudenter quondam clamitantem: *Jura sibi homines sola utilitate sanxisse*; *Conf. Grot. de J. B. & P. Proleg. §. V.* Supponit *Hobbes*, extra statum civilem bellum dari omnium in omnes, in eo jus omnium in omnia, & quidlibet agendi licentiam inducit. Namque a Legibus nonnisi Civilibus, & a pactis oriri dicitur, tum quod unusquisque jus suum sibi

fibi proprium, & ab alieno distinctum habeat, tum etiam quod prohibeatur aliena invadere. Unde præcepta hæc: *Honorem parentibus Legibus definitum non denegabis: hominem, quem Leges vetant occidere, non occides: Legibus vetitum conjugium fugies: rem alienam invito domino non auferes: Leges & judicia falso testimonio non frustrabere*, Leges esse mere Civiles, discrete profitetur *de Cive c. XIV. §. 9.* idque hunc in modum demonstrare aggreditur: *In statu naturali, inquit, nihil alienum erat, & proinde alienum invadere, impossibile. Deinde omnia communia erant, quare etiam concubitus omnes liciti. Tertio, status belli erat, ideoque licitum occidere. Quarto, omnia proprio cujusque judicio definita erant, ideoque honores etiam paterni. Postremo, nulla judicia publica erant, & propterea nullus usus testimonii dicendi, neque veri, neque falsi.* At grandia hæc sunt postulata, quæ demonstrationibus suis præmittit *Hobbes*. Quis enim bellum omnium in omnes? quis jus omnium in omnia? quis naturalem quilibet agendi licentiam concedat? Certe natura hominem non ad bellum, sed ad societatem colendam finxit, & vel in vulgus notum est, hominem esse ζῷον πολιτικόν, animal sociale; cujus axiomatis veritatem gratis vellicat *Hobbes c. I. §. 2.* jus omnium in omnia præsupponit universalem omnium omnino rerum communionem, qualis tamen nunquam in orbe extitit. Conf. *Ziegler, Bacler, Simon, Ofs-*

ander in *Grot. de J. B. & P. L. II. c. II. §. 2.* Hinc etiam concidit naturalis, quam comminiscitur, quidlibet agendi licentia. Ubi enim manet το γνωστον τῆ θῆξ, cordibus nostris inscriptum? Ergone justitia naturalis est inane nomen, & titulus sine re? Quodsi omnia naturaliter licita sunt, & per pacta demum atque constitutiones civiles ad id adstringimur, ut a læsione proximi abstineamus, & suis quemque rebus pacate frui patiamur; Summi Imperantes, qui erga se invicem spectati, hodiernum vivunt in statu naturali, plane sunt exleges, seque, citra ullam iniquitatis notam, quoquo libuerit tempore, invadere & debellare possunt; modo aliqua spes lucri, & commodi proprii affulgeat. Namque Jura Civilia mere talia ipsos non obligant, sed ad solos cives extenduntur. At foederum, inquit *Hobbes*, & pactorum vinculo constringendi sunt Imperantes? Quid vero, si nolint pacisci? si negent, se a libertate naturali discessuros? si quidlibet agendi licentiam factis obtendant? non apparet, quo modo, stante hypothesis *Hobbesiana*, intra justitiæ & æquitatis limites contineri possint. Eadem vivendi ratio & tum obtinebat, cum homines, antequam in civitates secessum fecissent, segreges in familiis degerent. Patresfamilias superiorem in his terris non agnoscebant, Leges Civiles, & humanæ, quæ illos stringerent, nullæ erant: neque tamen quidlibet adversus quoslibet ipsis licebat, ut aliorum vitæ, & bonis juste insidiari, & ex rapinis, ac latro-

ciniis

ciniis commodum privatum quærere possent; sed per Jus illud universale, cordibus nostris insitum, suorum quisque officiorum subinde admonebatur. Equidem passim *Hobbes* Legem & Justitiam Naturalem splendidis verbis jactitat, eamque per dictamen rectæ rationis definit: sed enim quam præposterum, & vere impium sibi de recta ratione conceptum formet, ex ejus descriptione intelligas. Postquam enim, *de Cive, c. II. §. I.* Legem Nat. definivisset, quod sit dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda, vel omittenda sunt, ad vitæ, membrorumque conservationem, quantum fieri potest, diuturnam; (quæ definitio in sano sensu admitti poterat,) Adjicit in *Not. ad l. c.* Per rectam rationem in statu hominum naturali intelligo non, ut multi, facultatem infallibilem, sed ratiocinandi actum, id est, ratiocinationem uniuscujusque propriam, & veram circa actiones suas, quæ in utilitatem vel damnum ceterorum hominum redundare possint. Propriam dico, quia, quanquam in civitate ipsius civitatis ratio (hoc est, *Lex Civilis,*) a singulis civibus pro recta habenda sit: tamen extra civitatem, ubi rectam rationem a falsa dignoscere, nisi comparatione facta cum sua, nemo potest, suæ cujusque ratio non modo pro actionum propriarum, quæ suo periculo sunt, regula, sed etiam in suis rebus pro rationis alienæ mensura censenda est. Veram dico, id est, ex veris principiis, recte compositis, concludentem. Propterea quod in ratiocinatione falsa, sive in stultitia hominum

*officia sua erga ceteros homines, ad conservati-  
onem propriam necessaria non videntium, omnis  
confistit Legum Naturalium violatio. Sic ergo  
recta ratio Hobbeso dicitur, qua quis se conser-  
vare, & utilitatem propriam quoque modo pro-  
movere studet, quantumvis illud cum damno, &  
læsione proximi fiat; unde normam justitiæ, &  
æquitatis facit commodum privatum, in eoque  
omnem Juris Naturalis violationem sitam esse ju-  
dicat, si quis officium alteri præstet, ex quo ali-  
quod inde ad se incommodum redundet. Quid  
mirum, ex fonte tam impuro tam turbidos rivu-  
los derivari! Vide sis Rich. Cumberlandum Tract.  
de Leg. Nat. ex instituto hypotheses Hobb. exami-  
nantem, & solide confutantem; easdem passim etiam  
castigat Pufendorf. in Opere Maj. de J. N. & G.  
Add. Huber. de Jure Civitat. L. I. Sect. I. c. II.  
nec non Gröning. Biblioth. J. G. Europ. L. III. C. VI.*

## §. XIX.

Doctores Scholastici, quibuscum etiam faciunt  
aliqui ex recentioribus Moralists, maximam partem  
fundamentum demonstrationum moralium qua-  
runt in intrinseca quadam actionum humanarum ad  
objectum J. Nat. pertinentium bonitate, vel turpitu-  
dine, sibi que imaginantur, rem omnem absque  
negotio breviter sic expediri posse, si dicatur, a-  
ctus per se bonos esse naturaliter præceptos, a-  
ctus per se malos esse naturaliter prohibitos. Nempe  
tò per se opponunt dispositioni voluntatis Di-  
vinæ, sibi que antecedentes ad eandem morali-  
tatem

tatem concipiunt. Sed hæc demonstrandi ratio valde obscura est, veroque minus consentanea. Quomodo enim aliquid abstrahendo a voluntate Legislatoris Divini, atque adeo præscindo simul ab omni Lege Naturali (utpote quæ ipsissima Dei voluntas est vel præceptiva, vel prohibitiva,) naturaliter bonum aut malum dici possit, non apparet. Sane bonum est, quod cum Lege convenit, malum, quod Legi adversatur. Si igitur tollas Legem, si abstrahas a voluntaria dispositione Superioris, tum & boni, & mali discrimen cessat. Quod ut hoc rectius intelligatur, licet per se planum sit; notandum, in quavis actione morali occurrere partim materiale, & hoc est actus physicus procedens a potentia naturali: partim formale, & hoc est convenientia, vel pugnantia, cum Lege. Hæc sola relatio ad Legem induit actui physico, qui in se indifferens est, moralitatem. V. g. in homicidio materiale est occisio hominis, quæ per se mala non est, alias nec hosti hostem in bello iusto, nec carnifici maleficum, jussu Magistratus, interficere liceret: formale, a quo occisio hominis habet, quod homicidium nominetur, est violatio Legis illius, quæ vetat innocentem obtruncare, vel saltem vindictam privatam exercere. Sic igitur absque respectu ad Legem hanc prohibitivam homicidium non datur, sed actus mere physicus remanet, quem sæpe cum ipsis brutis communem habemus; v. g. si canis canem morsu defixo, interminat, homicidium reus non est,



est, quia nempe obligatio legalis eum non stringit, sed saltem physicum quiddam hic occurrit. Instas: Si vel maxime omnis Lex abrogaretur, recta ratio nihilominus dicitaret, neminem præter culpam esse lædendum, innocentem vita non esse privandum? Provocas ad rectam rationem; quaeso vero te, quid dictamen rectæ rationis, quatenus versatur circa agenda vel omittenda, aliud est, quam ipsummet Jus Nat.? Tolle in subjecto obligationis cum Jure Nat. ipsam etiam rationem, quæ bina necessario connexa sunt, & tum vide, num aliquod morale superfit, vel saltem concipi possit. Hinc sibi non satis constant, qui, dum scelera nefanda, blasphemiam, sacrilegium, incestum &c. commemorant, confidenter ajunt, hos actus, seposita etiam omni Lege, intrinsece ac sua natura, citra omnem impositionem, esse turpes & injustos: nec recordantur, hujusmodi vitia necessariam relationem involvere ad subjectum inferius, quod ratione præditum & per consequens etiam Lege Nat. imbutum sit, absque quo respectu nullus de illorum turpitudine conceptus datur. Nam v. g. si Psittacus verba blasphema, a circumstantibus impie prolata, repetat, ipse blasphemus non est: Si canis rem sacram auferat, sacrilegus non est: Si pullus equinus cum equa matre coeat, incestus crimen non committit. Unde hoc est? quia bestię solum materiale illorum vitiorum, quod physicum quid est, a potentia naturali proveniens, ac adeo indifferens, producant;

ducunt; formale ad solos homines, in genere animantium, spectat, in quibus rectæ rationis dictamen, id est, Jus Nat. datur. Neque vero, cum negatur, dari actus per se, antecedenter ad voluntatem Dei, bonos malosve, hoc modo vel differentia Legum Naturalium & positivarum, vel Juris Nat. immutabilitas infringitur. Equidem & Leges Naturales & Positivæ a Voluntate Dei originem trahunt: Sed in eo potissimum discrimen consistit, quod illæ cum conditione humana necessario cohæreant, ac adeo, cum & natura hominis, substantialiter spectata, sit immutabilis, omnem mutationem respuant: Hæ autem utilitatem quidem præstent in societate humana, sed non tantam, ut absque ea incolumitas generis humani conservari nequeat, mutationem proin ac dispensationem facile admittentes. Absurdum igitur est, quod scribit *Vasquius Controv. Illustr. L. I. c. 27. Deum mentes hominum hac imbuere opinione, hancque Legem facere potuisse, ut hominem homini infidiari, aut necem inferre, vel quovis modo nocere, nefas non esset, non magis, quam pecudes, armenta, feras, volucres, vel squameam turbam interficere.* Quasi vero tanta in voluntatem Dei inconstantia, & mutabilitas caderet, ut cum, quem animal rationale, & sociale condidit, ad actus, cum hac indole, & conditione humana, e diametro pugnantes, adstringere vel voluisset, vel potuisset. Et sane perinde est, ac si diceret, Deum potuisse

potuisse facere, ut homo non esset homo. Quod si enim Deus naturam tibi humanam largitus non esset, non homo, sed aliud ferum & horridum animal esses. *Zentgrav. L. de Summa Juris Div. f. de J. & J. p. 10. seqq.* discrimen facit inter legale & morale actuum Jure N. præceptorum, & interdictorum. Illud ad voluntatem Dei consequenter, hoc ad eandem antecedenter refert: Illud a Lege N. præceptiva & prohibitiva, hoc ab intrinseca quadam convenientia aut pugnantia cum natura hominis rationali, & sociali derivat. Sed enim nos differentiam inter moralitatem, & legalitatem actionum, ad objectum Juris N. pertinentium, si utriusque origo spectetur, nullam agnoscimus. Utraque dependet a voluntate Legislatoris Divini. Et, si fons moralitatis extra Deum quæratur, nescio, annon inconsiderate sic aliud Deo principium ad latus statuatur. Deinde cum fundamentum moralitatis *Zentgravius l. c.* constituat necessariam convenientiam, aut pugnantiam actionis cum natura hominis rationali, & sociali, non video, quomodo voluntatem Dei excludere possit. Ergone ratio nostra sese antecedenter habet ad voluntatem Dei? Nonne liberrimo ejus decreto factum est, ut homo rationalis & socialis conderetur? Quare dum quis largitur, actionem naturaliter honestam, aut turpem esse, eo quod naturæ, ac indoli humanæ sive convenientis sit, sive disconveniens, vel imprudens etiam concedit, moralitatis principium esse voluntatem Dei; Siquidem

dem ab ea ratio humana ortum habet, eandem-que mentis nostræ dictamina exprimunt. Sed nolim longius inpræsentiarum huic de intrinseca actionum moralitate liti immorari. Problema est morale, de quo in utramvis partem disputatur. Plerique morum Doctores, qui hic a se invicem discrepant, in eo tamen fere consentiunt, quod eosdem pene astus vel pro naturaliter bonis & honestis, vel pro naturaliter malis & turpibus habeant, modus duntaxat illam honestatem & turpitudinem ex lumine naturæ demonstrandi tantopere ipsis controversus est.

§. XX.

Prostant adhuc aliæ hypotheses, quas passim Viri doctissimi pro asserenda rerum moralium veritate, & certitudine adducunt. At singulas persequi velle, quid attinet? & quam longum est? satis est, præcipuas libasse, & quid in iis jure desiderari possit, ingenue significasse. Interim maxima hæc opinionum divortia multis cavillandi occasionem dedere, ut audacter affirmarent, parum roboris inesse demonstrationibus practicis, & lubrico moralia niti fundamento. Quid vero tam certum? quid tam evidens est? quod non plures subito convellere, & impugnare satagant; alii ex mentis imbecillitate, alii ex præjudiciis, alii ex in-tempestivo inclarescendi studio. Cæterum ea, quam supra tradidimus, moralia investigandi methodus vel ideo reliquis præferenda videtur, quia fuit e principio & vero, & evidenti, & adæqua-  
to.

to. Hæc tria autem requisita, veritas, perspicuitas & universalitas, ubi circa demonstrationes morales concurrunt, dubitationem omnem tollunt, & apodicticam certitudinem in mente hominis pariunt.

## DISSERTATIO VI.

### DE QUÆSTIONE:

Num homines a Deo exleges creati, possibile fuerit?

#### §. I.

CUM de possibilitate status hominum exlegis disquirimus, vocabulum *exlegis* eo a nobis accipitur sensu, quatenus omnimodam ab obligatione quacunque legali solutionem notat. Est alias illa vox ex numero τῶν πολλαγῶς λεγομένων. Vel enim absolute sumitur, & tum omnium omnino, quotquot feruntur, Legum vim obligatoriam excludit; quo pacto solus Deus in classe substantiarum intelligentium exlex dicendus, utpote qui, eo quod a nemine dependet, sui simpliciter juris est, nec a quoquam legaliter obligari potest. Quod autem Deus sibi ipse Lex esse communiter dicitur, id quomodo intelligi debeat, exponit *Pufend. de J. N. & G. L. II. c. I. §. 3. Add. Veltbem. in Grot. L. I. c. I. §. 8.* Contra ea in creaturis plenariam a Lege immunitatem in  
 non

non nisi vindicare licet, quas vel omni vita privata, vel anima duntaxat vegetativa, & sensitiva natura instruxit. Unde haud immerito bestiae, ob deficientem in illis cogitandi, ratiocinandique potentiam, remotam æque, ac propinquam, ab obligatione legali immunes habentur. Conf. Dissert. Dn. Præsidis *de Bruto Exlege*. Secundum quid Exleges vocari possunt, qui Legibus licet Divinis obnoxii sint, imperio tamen & potestati humanæ non subjacent, ac proin, ob eminentissimum Majestatis characterem, vinculo legali in rebus mere civilibus constringi nequeunt. Quale exlex vitæ genus Principibus, superiorem in his terris, præter Deum immortalem, non agnoscentibus, jure adscribitur; idque fusius demonstratum dedit Dn. Præses in *Disputat. de Statu Summorum Imperantium Exlege*. Qui ultimus vocabuli Exlegis significatus ab hoc loco alienus est. Quodsi enim vel maxime Leges Civiles tollerentur, & solis naturalibus mundus regeretur, non tamen propterea metuendum putem, ne genus humanum intercidat. Utut forte, quia multa, in quibus Jus N. deficit, Leges Civiles suppleant, plurimaque accuratius exprimunt, & determinant, non tam decorus, abrogatis hisce, ubivis ordo servari posset. Cæterum cum ita a nobis quaestio informatur: *Num Deus hominem non minus, quam animantia bruta, in statu prorsus libero, omnique Lege soluto, creare potuerit?* Consideramus hominem secundum eam, qua nunc gaudet, naturam, indolem,

B b

atque

atque conditionem; & sic ex legem eidem licentiam, ut quidvis pro arbitrato ex vago quodam impetu ageret, nullique Juri, ac necessitati legali adstringeretur, tribui potuisse, omnino negamus; idque pluribus nobis jamjam demonstrandum suscipimus.

## §. II.

Primum argumentum pro neganda status hominum ex legis possibilitate suggerit nobis socialitas, ad quam colendam homo natus est. Animal hominem esse sociale, multa probatione haud eget, utpote quod tota ipsius effatur natura. Vid. *Puffend. de O. H. & C. L. I. c. III. §. 3.* Jam vero nulla societas, nisi Legibus suffulta, diu perstare, factaque & tecta servari potest. Fingamus enim in civitate aliqua vel ad paucos saltem annos omnem vim Legum expirare, plenissimamque agendi libertatem induci, ut quidvis pro lubitu cuivis impune facere, ac in vitam, bonaque aliorum, citra rationis reddendæ, poenæque infligendæ metum grassari liceat, proh Deum immortalem! quanta tum confusio, quantæ turbæ orientur! quam tetra ubivis facies oculos feriet! profligata sane & neglecta salus publica ultimam brevi singulorum civium perniciem certissimumque interitum post se trahet. Unde *Cicero c. LIII. pro Cluent.* *Hoc vinculum est, inquit, hujus dignitatis, qua fruimur in republica, hoc fundamentum libertatis, hic fons aequitatis, mens, & animus, & consilium, & sententia civitatis posita est in*  
Legi-

*Legibus. Ut corpora nostra sine mente: Sic civitas sine Lege, suis partibus, ut nervis, ac sanguine, & membris, uti non potest.*

## §. III.

Quodsi igitur in civitate neglectus Legum tot mala, tantasque parit calamitates, quid tum futurum putas, si totum genus humanum ab omnī Legum, cum Divinarum, tum humanarum obligatione eximeretur? Non ordinatam, puto, societatem, sed latronum, & piratarum colluviem cernereres. Quamvis ne ii quidem, qui latrociniiis asseverunt, omnimodam quidlibet agendi licentiam ferant. Habent utique & ipsi suas inter se Leges, quibus subscribere & parere tenentur, quotquot in eorum consortium admitti ac recipi volunt. Secvant aliquam Juris speciem, dum a mutua laesione abstinent, nullamque sibi invicem injuriam faciant: dum praedam congestam aequaliter partiuntur: dum quemque partis e suorum numero bonis pacate frui sinunt: dum conjunctis sese defendunt viribus: dum commissa summa fide celant. *Tanta scilicet justitia vis est, idem Tullius ait II. Offic. ut ne illi quidem, qui maleficio, & scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitia vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. Ille autem, qui archipirata dicitur, nisi aequaliter praedam disperiat, aut occiditur a sociis, aut relinquetur.*



## §. IV.

At bestia, inquis, animalis pariter sunt socialia, neque tamen ad tuendam inter se socialitatem Legibus indigent? Datur equidem in brutis etiam aliqualis appetitus societatis: longe interim aliter comparatum est cum sensuali socialitatis cultura brutorum, quam cum intellectuali hominum. Et rationes quidem, our illa, non æque hæc, absque Rege perdurare possit, accurate, & copiose exponit *Hobbes*, quas ex *c. V. §. 5. de Cive*, hoc loco recensuisse, instituto nostro apprime conveniens erit. Ita autem ille: *In creaturis, solò sensu, & appetitu viventibus consensio animorum ita est durabilis, ut nulla alia re opus sit ad eam, ad pacem inter se conservandam, præterquam naturali earum appetitu. In hominibus autem aliter res se habet. Nam primo inter homines certamen est honoris & dignitatis: inter bestias non est: unde odium & invidia, ex quibus nascitur seditio & bellum, inter homines est, inter illas non est. Secundo, appetitus naturalis apum & similitum creaturarum conformes sunt, & feruntur ad bonum commune, quod inter illas non differt a privato. Homini autem nihil pene pro bono habetur, in quo non sit possessori aliquid præcipui & eximii præ eo, quod possident ceteri. Tertio, animantia, que rationem non habent, nullum defectum vident, vel videre se putant, in administratione suarum rerum publicarum; sed in multitudine hominum plurimi sunt, qui præ-*

cate-

*ceteris sapere existimantes, conantur res novare, & diversi novatores innovant diversis modis, id quod est distractio & bellum civile. Quarto, animantia bruta, utcumque possint vocis suæ usum aliquem habere, ad significandum inter se affectus suos: Carent tamen illa verborum arte, qua necessario requiritur ad perturbationes animi concitandas, nimirum, qua bonum melius, malum pejus animo representatur, quam revera est: hominis autem lingua tuba quadam belli est & seditionis, diciturque Pericles suis quondam orationibus tonuisse, fulgurasse & confudisse totam Græciam. Quinto, non distinguunt illa injuriam a damno. Inde accidit, ut, dum bene ipsis sit, socios non culpent. Homines autem maxime respublica molesti sunt, quibus maxime licet esse otiosis; non enim ante certare de dignitate publica solent, quam in certamine contra famem & frigus victoriam reportaverint &c. Hactenus Hobbes.*

## §. V.

*Exlex vitæ genus naturæ humanæ nequaquam conveniens esse, præter socialitatem comprobatur etiam mentis, qua præditi sumus, dignitas, & præstantia. Plurima homo cum brutis habet communia, sola mente, ac ratione ab iis distinguitur. Hujus vero præclaras, & eximias dotes, quibus divinitus exornata est, nec admirari quisquam satis, nec plene cloqui valet. Quanta ejus est vis! quanta acies! quam facile objecta rerum arripit, quanta*

accurate omnia discernit, quam distincte quidvis suo loco reponit, quam promte singula, quo velit tempore, reddit. De acquirenda rerum pulcherrimarum cognitione impigre cogitat: celerissimo hinc inde motu excurret, & quod novum, quod rarum, quod abstrusum, & a natura reconditum, avide conquirat. Neque angusti sensuum finibus sese circumscribi patitur, sed laxatis habenis latissime evagatur, & nunc ad sævam cœlestium contemplationem ascendit, nunc in abyssum naturæ sese demittit, obvia quavis sollicitè rursatur, & quæ superiori ætate spississimis ignorantie tenebris involuta jacebant, in clarissimam lucem quam felicissime protrahit. Quo labore suo nunquam lassatur, nunquam velut penitus confecto acquiescit. Longius indies provehitur, augmentum cognitionis quærit, & quo plus hausit, hoc magis sitis aditringitur. Sensuum acies objecti alias sublimitate depravari, & obtundi solet. Sic visus ab hincantem solis lucem multoties intuenso hebetior fit: horret tactus acuta ignis spicula: offenduntur aures fortiori, crebriusve repetita soni repercutiōne. At quanto major mentis est perfectio! quo excellentior & sublimior res fuerit, hoc magis eius inquisitione acuitur, hoc paratior, hoc expeditior ad cognoscendum difficillima quæque redditur. Insuper ut præteritorum meminit! ut præsentia disponit! ut futura prospicit! Admirandos, ut paucis multa complectar, effectus producit, sequæ ad magna natam esse, certissimis prædit indi-

cia.

ciis. Quantum vero dignitati huic & amplitudini mentis detractum crederes, si procul a virtutis, ex qua tantam voluptatem capit, semita arceretur, si, præcisa omni laudis, fama que captandæ materia, humi sepete, & cum ignobili animantium genere vilescere, ac ea duntaxat, quæ ad qualemcunque corporis sustentationem pertinent, procurare cogeretur? *Natura mentis spiritualis & Deo cognata, verba sunt Rjc. Cumberl. de Leg. Nat. c. II. §. 4. p. 97. officium nobilius flagitat, quam quod anima sutils competat, ut salis instar a carne arceat putredinem. Generaliter enim observari potest & debet, dotes anime longe minores sufficere ad vitam diu conservandam, quam que in homine reperiuntur; quod videre licet in longavis, aliquot brutis, imo & in arboribus, ut quercu, quibus vita diuturna est sine sensu, multo magis sine mente: imo & mentis nostre acumen non in eo consistere, ut prospiciamus, quam alimenta, medicamenta, exercitia &c. ad longevam in hac statione commorationem faciunt; nam in his mire cautiunt etiam præstantissimi Medicorum, sed in iis potius eminere, quæ ad numinis agnitionem ac cultum, & moralem civilemque doctrinam spectant. Hinc etiam saniores Ethnici maximam Epicureæ Sectæ insaniam, quod voluptatibus omnia metiretur, animamque saginando non nisi corpori datam esse, impudenter doceret, ex animo detestabantur, nobilissimoque huic spiritui graviora longe munia obeunda esse, &*

agnoscebant, & se invicem ad excolendas animi  
dotes certatim adhortabantur.

## §. VI.

Si præterea & illud attendatur, quod mens  
actus non directos, ut bruta solent, sed reflexos  
efficiat, ratiocinandoque unum ex altero colligat,  
& varias ex principiis suis deductas conclusiones  
formet: liquido constabit, hominem, quoties ori-  
ginem, ac conditionem suam meditatur, non posse  
non simul Legum huc spectantium æquitatem, ac  
necessitatem agnoscere. Ita dum homo memi-  
nit, se causam sui ipsius non esse, sed ab Ente pri-  
mo, ac independente partim, partim a parentibus  
essentiam accepisse, ratio insinuat, iisdem  
vitæ suæ auctoribus omnem observantiam, ac ob-  
sequium deberi. Dum insuper homo recordatur,  
se sibi ad vitam bene beateque agendam solum  
non sufficere, sed aliorum opera, & auxilio indi-  
gere, dictamen rationis in promptu est: Amice cum  
sociis vivendum, talisque mutui amoris, benevo-  
lentia, ac humanitatis officia cuiusvis exhibenda esse,  
qualia ab eodem ipse expectat. Pari facilitate &  
reliqua Juris N. præcepta sese sponte sua insinu-  
ant, rectumque rationis usum indissolubili nexu  
sequuntur. Quid? quod rectitudo rationis ipsam  
met Jus N. quodammodo dici possit. Audiamus  
hæc de re ingeniose, & distincte differentem  
*Osiandrum in Grot. L. I. c. I. ad Tb. X. Observ.*  
*I. Antecedenter, inquit, ad Jus Nat. non da-*  
*tur recta ratio, sed ratio recta est per ipsam Jus*  
*Nat.*

*Nat. Imo Jus Nat. est nihil aliud, quam rectitudo rationis; ita igitur sese res habet. Concipiemus primo in homine mentem sive rationem, tanquam facultatem quandam animæ naturalem. Secundo rectitudinem illam & principia honesti adhuc dum reliqua & cum ratione connexa, quorum subjectum est ratio & mens hominis: & tertio actus procedentes ex ratione recta, sive Jure Natura instructa, qui consequenter moralitatem quandam induunt. Non itaque recta ratio antevolat Jus Nat. sed ratio ut sic, quia omne subjectum præsternitur suæ perfectioni, & deinde in illa ipsa rectitudine Jus N. consistit, ad quam actus recti & honesti consequuntur. Si enim esset recta ratio ante Jus Nat. esset aliqua rectitudo ante rectitudinem, & ipsum Jus Nat. præsupponeret aliam perfectionem quandam moralem, quæ ipsum Jus Nat. fundaret.*

## §. VII.

Cum mente, partialiter nimirum pro intellectu sumpta, vinculo naturali cohæret voluntas; hujus vero indifferentis, & libertas summopere pariter exigebat, ut certæ alicui normæ alligaretur, ne in fœdam, vagam, & voluptuosam degeneraret licentiam. Non ad unum alias determinatum, & æquabilem agendi modum homo adstrictus est, ut has, & non alias, hoc, & non alio modo, exercere debeat operationes, sed insigni præditus est libertate, ut possit agere, & non agere, agere hoc,

agere illud, agere hoc modo, agere alio modo. Quomodo autem istiusmodi indifferentia ad utrumque oppositorum singularem homini præ bestiis, quas ad certi generis actus, certamve operandi rationem a natura damnatas novimus, prærogativam afferit: Ita eadem hæc libertas arbitrii non poterat non generi humano valde noxia & exitialis esse, ni Legibus, velut sepe quadam, divinitus mature circumscripta fuisset. Certe viæ Leges sufficiunt coercendæ satis effreni appetitûs; equi instar indomiti recalcitrantis, proterviæ. Quoties enim a præscripta rectæ rationis norma recedit, & alia longe, quam quæ mens agenda proposuit, exequitur? Quoties intellectus iudicium præposita festinatione voluntas occupat, coccoquo impetu es duntaxat, quæ voluptatem afferunt, quæ sensus suaviter permulcent, quæ luxuriantem, & fastidientem appetitum satiam, persequitur? quantum perere igitur tum illam exorbitaturam putas, si sanæ, Legibusve imbutæ rationis imperio, ac regimine profus exsoluta, in plenam libertatem vindicetur, eidemque motibus inordinatis simpliciter indulgere, integrum sit? Totus sane homo immutabitur, ac, sublata inter facultates animæ harmonia, perpetuo intestino bello flagrabit, seque ipsum tandem debellabit.

## §. VIII.

Sicut ergo indifferentia voluntatis generinum & pene præcipuum est status hominum legalis fundamentum; Ita revera homines faciunt exleges, quot-

quotquot eodem, demta libertate, ad actus suscipiendos, aut omittendos, necessitate quadam intrinseca cogi, & determinari, cum Stoicis, &, qui eandem cum illis tibi iam instant, Socini nonnullis, quin etiam Calvinii affectis inepte fingunt. Causa utique, cur bestiae obligationem in se recipere, & idoneum Legum subjectum constituere nequeant, hæc principalis subest, quod libero arbitrio destituta, actiones in sua potestate non habeant, ac adeo præceptioni, aut prohibitioni Legislatoris conformiter sese gerere non possint. Quod si igitur ista libertas hominibus quoque adimatur, in eundem illos, si obligationem legalem spectes, cum brutis venire censum, maxima cum insania dicendum foret. Et qua tandem non absurda ex hypothese hac paradoxa fluunt? Vidit ea, & proluxe exposuit *Boeth. L. V. Prof. III. Frustra*, inquit, bonis malisque premia pænave proponuntur, qua nullus metuit liber ac voluntarius motus animorum; idque omnium videbitur iniquissimum, quod nunc æquissimum judicatur, vel puniri improbos, vel remunerari probos, quos ad alterutrum non propria mittit voluntas, sed futuri cogit certa necessitas. Nec vitia igitur, nec virtutes quicquam fuerint, sed omnium meritorum mista potius & indiscreta confusio. Quoque nihil sceleratius excogitari potest, cum ex providentia rerum omnium ordo ducatur, nihilque consiliis liceat humanis, sit, ut vitia quoque nostra ad bonorum omnium referantur *Auctorem &c. Add. Prof. IV.*



## §. IX.

Hæc igitur & alia hujus generis incommoda ut declinarentur, & cumprimis ne ad animantium exlegum sortem homines deprimerentur, voluntas libera, indifferens, & ad utramque partem flexilis illis tribui debebat, quæ nec a Deo, ejusque præscientia, concursu, aut decretis, nec a judicio intellectus practici, sed a se sola ad agendum determinaretur. Negat equidem *Heerbord. Colleg. Eth. pag. 712. seqq.* voluntatem a semetipsa determinari posse. *Si enim, ait, voluntas semetipsam determinat ad volendum, sequitur, quod alia priori volitione se determinet, etsi hoc, requiretur iterum alia prior, atque ita progressus patebit in infinitum, quod absurdum.* Alit inanis & sophistica hæc est subtilitas, quæ nihil in recessu habet. Determinatio voluntatis non præsupponit ullam priorem volitionem, sed eo ipso dum voluntas se ad aliquid determinat, illud simul velle censetur, adeo, ut determinatio, & volitio indissolubili nexu sint conjunctæ. Sed cæca est voluntas, quæ igitur proprio motu sese ad quicquam determinare, & ex duobus libere alterutrum eligere, vel repudiare possit? Incaute, & imprudenter a Philosophis quibusdam cæcitas voluntati, quæ tamen potentia, & facultas animæ rationalis est, adscribitur. Præclare hac de re Ingeniosissimus *duc Hamel: Si voluntas nihil intueri, nihil potest percipere, quomodo intellectum sibi consulentem*

tem audit, eligit, consentit? Frustra cæcam irradiat, & surdam mones: quomodo se ad agendum applicat, & subiectis viribus imperat? Non intelligimus, nisi cum volumus. Quid efficit, ut velimus, si voluntas ipsa nihil agere, nihil moliri possit, nisi a ratione directâ? Unde motus omnis, & actionis principium ducitur? An ab intellectu? sed hunc voluntas movet, & determinat: non enim animum ad cognoscendum adhibemus, nisi id velimus. Quod si voluntas ipsa nihil aggreditur, quod non fuerit ab intellectu præmonstratum, quod igitur erit agendi principium? Præterea non potest voluntas ab objecto moveri & allici, nisi illud velut præsens ipsi voluntati exhibeatur; sibi autem nequit, nisi per suam imaginem; qui autem fieri poterit, ut facultas omnis cognitionis experta imaginem objecti cognoscat, aut unum præ alio eligat? An species & imagines ab intellectu in voluntatem migrant? sed accidentia ex uno in aliud subiectam non commeant. An potius instar purissimi luminis propagantur? sed lux cæco frustra porrigitur. Add. seqq. Tract. de Mente Hum. L. IV. c. II. §. 7. Inconcussa ergo perstat indifferentia voluntatis, eaque, hominem Legibus obligari & posse, & debere, evidenter arguit.

## §. X.

Præterea inter causas, cur hominem exlex vitæ genus dedecet, numeranda cum primis etiam est summa, quæ in illo datur, ad nocendum aliis apti-

is aptitudo & proclivitas, notante *Pufendorf. de J. N. & G. L. II. c. I. §. 6. de O. H. & C. L. I. c. III. §. 4.* Vere *Tullius I. Offic. c. V.* *Nulla tam detestabilis pestis est, qua non homini ab homine nascatur.* Unde *Anacharsis* interrogatus: Τί ἐστὶ τὸ πολέμιον ἀνθρώποις; αὐτοί, ἑφ' ἑαυτοῖς; *quid hominibus maxime infestum esset? Ipsi, inquit, sibi ipsis; ut est apud Stob. Serm. II.* Sentit equidem homo, & penitus novit, nulla re magis salutem cum publicam, tum privatam, promoveri, quam si quisque aliis, quantum in se est, & bene velit, & bene faciat, nec temere cum quoquam hostiliter collidatur: Quotus autem quisque hunc rectum rationis ductum sequitur? Affectuum impetu in contrarium rapimur, & ad turbas, ad infidias, ad mutuas cædes armamur. Parum lacessiti de vindicta subito cogitamus, ac implacabili odio eum, a quo nos offensos putamus, persequimur, aqua & igni crebro, si in nostra id esset potestate, & per Leges liceret, eidem, minime licet talia merenti, levem ob causam, interdici.

## §. XI.

Sed nec arma, quibus hostem appetamus, nobis defunt. Quantumvis enim neque ungvium robar, neque vim dentium, neque acumen cornuum natura homini concesserit: Mens tamen & ratio, quicquid horum deest, quam abundantissime supplet ac compensat. Hæc ad fraudem acuta est: inimica consilia tacite capit, astute exequitur:

tur: & nunc ex insidiis agit, nunc aperto Marte concreditur: late & provide omnia, velut ex specula quadam, circumspicit, tanto magis metuenda, quanto difficilius exacerbata placatur, quanto rarius quemquam in secretum admittit, participemque cogitatorum facit. Præter hæc mentis solertiam vehementissimos in se stimulos homo sentit, quibus ad libidinem, ac luxum, ad avaritiam, ad invidiam, similesque affectus alios ferendis litibus, bellisque ciendis ærissimos impellitur. Qualia vitia a reliquo animantium genere aliena sunt, solum hominem in mutuam perniciem urgent ac concitant.

## §. XII.

In hac morum pravitate non aliud, quo ultima generis humani ruina ac perniciēs averteretur, suppetebat medium, quam ut, Legibus tempestive constitutis, homines ad malum tam proni, tam præcipites, affectus suos, injecto velut freno, rite moderari, geniumque in singulis licet diversum, ad voluntatem Legislatoris tranquillitatisque publicæ conservationem componere juberentur, idque si facere abnuerent, vi coactiva pœnali ad officium redire cogerentur. Contra eam huius necessitati legali bestias subjici, opus non erat. Si quidem hæc, ut *Hobbes*. superius belle docuit, satis pacate inter se vivunt, sui similes non temere infestant, nec, nisi lacessitæ, hostilia exercent. Cupiditates internas sequuntur, sed ita, ut modum a natura præscriptum non excedant. Famelicæ

licæ plus cibi non sumunt, quam ad famem sedandam sufficit. Sitientes potum largius, quam pro satietate, non ingurgitant. Simplex vitæ genus amant, luxum omnem nesciunt. Ad coitum celebrandum non omni, sed statis dumtaxat anni temporibus stimulantur, qui veneris æstus brevi, ubi naturæ satis de cujusque speciei propagatione cautum, rursus defervescit. Reliquis insuper affectibus obnoxiz non sunt. Fastu non turgent: Invidia non pallent: curis non extenuantur.

## §. XIII.

Ast quam longe aliter hæc in homine! Nunquam pene tranquillo is est animo, turbulentis subinde cum passionibus conflictatur. Famæ aut fiti cum premitur, haud contentus est, simplici cibo, potuque, latrantem stomachum, & arentem gulam, delenivisse, viresque corporis detritas sanis ac necessariis dapibus restaurasse, sed omnis generis delicias luxuriose, magnisque cum impensis, conquirat. Ad libidinem valde pronus est, longèque crebrius veneris usum appetit, quam sobolis procreatio, cujus gratia iste nobis a natura inditus est stimulus, exigit. Nimius præterea sui æstimator, aliorum superciliosus contemtor, raro forte sua contentus vivit, plura subinde & majora, quam capere possit, affectat. Quid de ira, quid de odio, quid de vindictæ cupiditate dicamus? qui sane seditiosi affectus, ni limites, intra quos quodammodo continerentur, Leges posuissent, longius

gius indies grassaturi, præsentissimumque salutis discrimen allaturi forent.

§. XIV.

Sic vero, inquis, hoc corrupto quidem rerum statu Legibus ad coërcendum pravæ naturæ depravatæ cupiditates opus est; ast olim in statu primo integritatis, cum omne scelus, & crimen lateret, & ne quidem interna ad malum propensio adesset, nedum ut ea per actus vitiosos externos sese exereret, quidni tum hominem ab omnî obligatione legali immunem præstari potuisse, crederemus? Facit huc illud *Macrobbi*: *Nisi pessimis effusissimisque moribus viveretur, profecto opus ferundis legibus non fuisset.* Vetus verbum est: *Leges bonæ ex malis moribus procreantur, ac originem trahunt.* Quid? quod *Tacit. L. III. An- nal. c. XXVI.* disertè testetur: *Vetustissimos mortalium, nulla adhuc libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna, aut coercionibus egisse: neque premiis opus fuisse, cum honesta suopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum fuisse vetitum?*

§. XV.

At enim vero maximus omnino Legum in sta- tu etiam innocentæ erat usus. Quia enim liberum homini integro arbitrium competebat, vellet- ne bonum, an malum, sequi, hac libertate sua ne abuteretur, & secus, quam par erat, vitam insti- tueret; Lex statui debebat, quæ vim exerceret tam, directivam, ostendendo, quasnam actiones

Cc

fuscipi,

fulcipi, & quasnam omitti Legislator Supremus vellet, quam vindicativam, comminando poenam transgressorem statutorum divinorum mansuram. Quod autem communi proverbio dicitur: Ex pravis moribus Leges bonas generari, illud, si de Legibus, cum primis particularibus, sermo sit, admitti potest; siquidem omnino isti Legislatorem commovent, ut severis mandatis invalescenti protervix, & libidini peccandi obviam eat, eandemque rigore poenali reprimere laboret. Licet igitur mores protoplastorum sancti primum & incorrupti fuerint, quia tamen, ob concessam arbitrii libertatem, in pejus ruere, & degenerare poterant, consilii erat, ut per Leges officii quisque sui perpetuo admoneretur. Insigne autem *Taciti* de inculpatis vetustissimarum Gentium moribus encomium quod attinet, quasi nempe absque ulla coercitione poenali vitam pure, sanctaeque transegissent, sua sponte, quod justum, ac æquum videretur, facientes, illud *αὐξήσις* & hyperbolen oratoriam sapit, nec multum a decantatissima Poetarum ætate aurea & Saturnina abit. Equidem facile largimur, prisca ævi homines longe simplicius, verecundius, & religiosius vitæ genus secutos fuisse, quam perditis corrupti hujus seculi moribus fieri assolet; ubi certatur velut ingenti quodam nequitiae certamine, nec raro pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia vincit: At quod omne profus nefas abhorruerint, integri totti, scelerisque puri, nulla proin sanctione poenali

egen-

egentes, id ut nobis persuaderi patiamur, interna ad malum proclivitas, quæ in illis æque ac in nobis sese exerebat, haudquaquam permittit.

§. XVI.

Cæterum quod homines in statu quoque integritatis continuato haud exleges victuros fuisse, modo asseruimus, id nonnisi de Legibus Divinis, non æque de humanis, ac civilibus, intellectum volumus. Neque enim ratio reddi potest, cur obligatio legalis, eaque civilis, tum introduceretur, ubi nullus civitatum, nullus Rerumpublicarum usus esset. Abunde Jura Divina poterant sufficere, ut in officio quisque suo contineretur. Sunt equidem nonnulli, quos inter etiam est B. noster *Alberti Compend. Juris N. P. II. c. XIV. §. I.* in ea sententia, ac si in statu quoque innocentia, si perdurasset, locum societates civiles inventuræ fuissent; id vero *Dn. Thomasto Jurispr. Div. P. I. c. II. §. 37. seqq.* aliisque Viris doctissimis haudquaquam probabile videtur. Et sane si meminimus, insufficientiam, indigentiam, metum damni, injuriæ, hostilis invasionis, & similibus læsionum, quæ præcipuè fuerunt causæ, cur ab æqualitate naturali homines recederent, & in communionem civilem per pacta coirent, a statu primævo continuato longe abfutura fuisse, non appareret, quæ tum necessitas, vel utilitas ordinationem civitatum exegisset. Nullus inopiar, in tanta rerum omnium abundantia, locus futurus erat: multo minus requirebatur, ut, ad propulsandum



imminens malum, vires in familiis segregibus dispersæ conjungerentur, pacisque publicæ turbatores inflictione poenæ, vel denunciatione belli ad mitiorem, sanioeremque mentem reducerentur; cum omniæ æmulandi, altercandique materia esset præcisa, & sanctis studiis, mutuisque officiis ætate concorditer, & placide transigeretur. Sed objicitur: *Rempublicam, cum sit perfectissima societas, perfectissimum statum dedecere non potuisse; macula siquidem carituram, qua in statu corrupto per molestiam, atque difficultatem inficiatur paritio, quod hæc facillima, promptissimaque extitisset. Utilem interim, si non necessariam, propter gradus virtutis in ipsis hominibus integris futuram fuisse. Quod si vero omnes sufficientem ad imperandum aptitudinem statuatur habuisse, æquitati & equalitati maxime per statum popularem consuli potuisse, utpote in quo ad omnes, qui digni sunt, fasces perveniant.* Enimvero (1) status civilis non tam perfectionis, quam imperfectionis potius notâ ac argumentum est; quippe qui cum in finem institutus, ut indigentia, imbecillitati, ac malitia humanæ medela afferretur, & Civitas, ut Cicero inquit *L. VIII. ad Att. Epist. II. opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta redderetur.* (2) Paritio non potest non cum aliquo tædio, & molestia esse conjuncta, si quis eum, quem per omnia sibi æqualem videt, & qui nullum plane Jus, cur subjectionem exigat, allegare potest, tanquam superiorem venerari, ejus

ejusque mandatis obtemperare teneatur. Fac, fuisse quosdam virtutis gradus in hominibus integris, ut alius alium sapientia, rerumque gerendarum dexteritate excelleret, ista tamen qualiscunque ingenii prærogativa nondum superioritatem civilem uni in alterum concedebat. Quid? quod quisque tantum habiturus fuisset prudentiæ, quantum ad vitam bene beateque agendam requiritur. (3) Quam Reipublicæ formam homines integri probaturi fuerint, monarchicam, aristocraticam, an popularem, de eo tum demum disquirendi locus daretur, si evictum prius esset, revera aliquem regiminis civilis usum in statu integritatis futurum fuisse. Sed huic controversiæ longius immorari, nostri jam instituti non est.

## §. XVII.

Quin potius paucis, quod ad finem properamus, admirandam ingeniorum varietatem spectabimus, ex qua evidenter quoque status hominum legalis necessitas elucescet. Tanta certe in moribus, tanta in studiis & inclinationibus humanis conspicua est dissimilitudo, ut pervulgatum inde dudum enatum sit proverbium: Quot capita, tot sensus! Paucis una mens est, in diversa plerique tendunt; isque dissensus non in integris solum gentibus & nationibus, quarum quæque pene peculiari genio ducitur, sed in iis etiam, qui eandem patriam, eosdem Penates colunt, eodemque sanguine prognati sunt, sese aperte prædit. Quinimo ne unus quidem idemque homo sibi subinde

constat, & per omnia similis apprehenditur. Variè distractus modo in has, modo in illas propendit partes. Quod jam avide appetit, paulo post acerrime insectatur. Varius semper & mutabilis, nunc consentit, nunc dissentit: nunc favet, nunc odit: eademque re nunc lætatur, nunc contristatur. Plane omnino ad mentem nostram laudatus *Thomasius*: *Singuli homines non volunt perpetuo, quod semel volunt, sed sæpe volunt diversa, sæpe opposita & pugnancia, ita ut, quod jam volunt, alio tempore nolint, aut velint ejus contrarium. Imo uno eodemque temporis momento sentiunt intra se anxietatem pugnantium affectuum, eos hinc inde rapientium, ut diu nesciant, quid velint.* Tractat. elegantiss. qui nuper demum in lucem a Dn. Auctore editus est, *de Fundamentis Juris N. & G. ex sensu communi deductis, L. I. c. I. §. V.*

## §. XIX.

In bestiis tantam cerre disparitatem ac dissimilitudinem nequiquam deprehendere licet. Uno pene eadem modo in singulis speciebus affectatæ, unaque membrorum in corpore animali constitutione natura donatæ sunt. Unde qui individuum aliquod penitus cognitum & perspectum habet, haud injuria de totius speciei cognitione gloriari potest. Quod enim in aliis aliis nonnullas dotes, alias proprietates notamus, illud majorem partem non tam inclinationi naturali, quam consuetudini ac educationi tribuendum. Quædam quippe ac impetum connatum citra ullam tergi-

ver-

variationem constanter sequuntur, a quo multo  
 nonnisi labore abduci queunt, ita tamen ut sibi  
 relictæ in gratiam cum natura mature redeant, &  
 ad uniformem, sibi que cum reliqua sui generis  
 cæterva communem agendi modum celeriter re-  
 vertantur. In hoc vero multum homines a bru-  
 tis animantibus abire videas. Paucissimos consi-  
 milis appetitus, una voluntas, & ad amussim con-  
 spirans effectus ducit. Singuli fere diversa amant,  
 contrariisque aguntur studiis. Ἄλλος γὰρ τ' ἄλ-  
 λωσιν ἀνὴρ ἐπιτέρεται ἔργοις, *alius alius dele-*  
*ctatur operibus.* Unde si quando iudicium de  
 se ancipiti ferendum, maxima opinionum divor-  
 tia non sine stupore observantur. Scilicet ut vo-  
 cis & loquelæ, sic & ingeniorum non minor in  
 genere humano discrepantia datur. Quæ quidem  
 inæqualitas primam ipsi naturæ originem debet,  
 eo quod dispari longe ratione animi, corporisque  
 dotes distribuit: mire tamen eandem consuetudo  
 postmodum ac institutio, quæ in diversis diversa  
 est, & cui incredibilem vim inesse, domestico quisque  
 experitur exemplo, augere, dissimillimumque vi-  
 tæ genus producere solet. Ac proinde si quis vel  
 maxime intimos unius hominis recessus perlustra-  
 verit, ac secretissima quæque in eo rimatus fue-  
 rit, quod tamen ægre a quoquam fieri potest, non  
 propterea exactam totius speciei humanæ notiti-  
 am imbibisse censerit debet; cum non omnes eo-  
 dem metiri, ac mensurare liceat modulo.

## §. XIX.

Hæc igitur varietas animorum ne perpetuas in genere humano lites, turbas, ac dissensiones pareret, Leges scribi necessum erat, quibus svavi, concordique harmonia ad unum quodammodo sensum, ac mentem discors hominis cœtus cogeretur. Insignis alias & plane mirabilis in vultu facieque humana dissimilitudo notatur, eaque multum, si rite rem æstimes, utilitatis affert, & pro magno naturæ beneficio haberi debet; eo quod officiorum præstandorum confusio, quæ, stante una formarum in singulis hominibus designatione, evitari vix posset, anam commode præcidit. Vid. *Pufendorfius de J. N. & G. L. II. c. I. §. 7.* Ast ex animorum dissidentium varietate, ni Leges in remedium mali adhibitæ forent, quam plurima incommoda, certissimamque tandem fatalis ruinae accelerationem metuendam fuisse, tanto minus dubitari potest, quanto certius constat, nullam societatem, nisi pace, & concordia manitam, stabilem, ac diuturnam esse.

## §. XX.

Ex hæcenus ergo dictis satis, opinor, superque patet, Creatorem O. M. posteaquam semel decretum de producenda creatura rationali, ac sociali fecisset, non potuisse non, ut sua nempe decreto vis constaret, certa insimul jura, quæ cynosuræ & regulæ essent actionum humanarum, sancire. Ac proin qui hominem ex legem sibi fingunt, æque absurdi videntur, ac ii, qui bestiam ratione præditam sibi, mente concipiunt.

DIS-

## DISSERTATIO VII.

DE

Lapsu Gentilium circa naturalem  
Dei notitiam.

PROLEGOMENA.

§. I.

**D**icuri de Lapsu Gentilium circa naturalem Dei notitiam, voces ante omnia, quæ titulo exhibentur, paucis explicabimus. Gentiles a gente dici, vel tyronibus notum; vi etymi itaque Gentiles erunt, qui eadem gente, vel familia sunt orti, vel prout Cicero hanc vocem declarat, *Topic. cap. VI. Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt, ab ingenuis oriundi, quorum Majorum nemo servitusem servivit, quique capite non sunt diminuti.* Qui significatus ab hoc loco alienus est; nobis enim cum Scriptoribus Ecclesiasticis Gentilium nomine hic omnes veniunt, quotquot extra communionem fidelium vivunt, ut destituti salvifica Dei cognitione solo lumine naturæ regantur: Veteribus Christianis Pagani dicebantur, propterea, quod Christi milites non essent, sed quasi extra societatem bellatorum spirituum in pagis degerent; unde & Paganismus pro Gentilismo. *Conf. Thesaur. Fabri.*

§. II.

Per notitiam Dei naturalem intelligimus eam

C c 5

de.

de Deo cognitionem, quæ ex lumine naturæ pro-  
 manat; & contradistinguitur revelatæ, quam ex  
 lumine gratiæ haurimus. Geminam autem esse,  
 unam ἐμφυτον, sive *insitam*, alteram ἐπικτητον,  
 sive *acquistam*, passim Theologi docent; *Insita*  
*est habitus primorum principiorum de Deo, in-*  
*tellectui per naturam sine mentis opera impressus,*  
*eundemque perficiens ac aptum reddens ad actual-*  
*iter cognoscendum Deum, in quantum is natura*  
*cognoscibilis est. Acquisita est habitus aliqualis*  
*Dei cognitionis, accurata rerum contemplatione,*  
*vi discursus naturalis, comparatus; prout B. Kö-*  
*nigius utramque notitiam Dei naturalem definit*  
*Theol. Posit. §. 21, 22. De insita gravis contro-*  
*versia moveri solet: Utrum per modum actus vel*  
*habitus proprie sic dicti, an vero per nudam po-*  
*tentiam homini connascatur? Nos posterius tue-*  
*mur, moti & rei veritate, & magnorum Virorum*  
*auctoritate. Consistit autem hæc potentia in apti-*  
*tudine, & perfectione quadam naturali, qua ho-*  
*mo, quamprimum sese usus rationis paululum ex-*  
*erit, & termini innotescere cœpere, propositio-*  
*nibus objectum notitiæ naturalis constituentibus,*  
*proprio motu, absque ullo interveniente discursu,*  
*libere assentitur. Equidem Leges Naturæ cordi-*  
*bus inferiptæ dicuntur, unde forte quis cognitio-*  
*nem actualem, eamque connatam colligat; verum*  
*isto loquendi modo nihil aliud innuitur, quam*  
*hominem naturaliter, absque alia revelatione, Le-*  
*gum Naturalium notitiam sibi comparare posse,*  
 utpote

utpote quas ratio humana, proprio instinctu, sufficienter explicet. Ex quo consequitur, cum grano salis accipiendam esse tritam locutionem, qua præcepta Juris N. vulgo ajunt natura esse nota. Nimirum is non est sensus, quasi ante usum rationis propositiones actuales de agendis seu omit- tendis in intellectu existant, ita ut, quamprimum homo in lucem sit editus, species earum menti impressas habeat; Sed ob duplicem potissimum rationem natura notæ dicuntur. Primo quod ho- mo, confirmato rationis usu, subito aptus fiat ad agnoscendum ea, quæ Juris Naturæ sunt vel præ- ceptivi, vel prohibitivi, & quidem mediante lu- mine rationis, quod cum homini naturale sit, ipsæ etiam Leges, tanquam dictamina rationis, natura quasi cognitæ concipiuntur. Altera ratio, ex men- te *Dn. Pufendorfi*, hæc reddi potest, quod gene- ralia J. N. præcepta, v. g. *Deum esse colendum, pa- rentes esse honorandos, suum cuique tribuendum,* &c. tam clara, & perspicua sunt, ut tantum non primo nativitatis die mentibus nostris indita vide- antur, præcipue cum nemo, adulta ætate, memi- nisse possit illius temporis, quo primum de cru- endis Legibus Naturalibus cogitaverit. Eodem modo etiam se res habet cum principiis primis theoreticis, qualia sunt: *impossibile est, idem si- mul esse, & non esse; quodlibet est, vel non est; totum est majus sua parte &c.* quorum habitum plurimi nobis connatum putant; verum distingvi- mus nos inter ipsam potentiam cognoscendi hu- jusmo-



jusmodi principia, & actualem eorum cognitio-  
 nem, priorem admittimus, posteriorem negamus;  
 Et si quis principia hæc actu nobiscum nata sta-  
 tuere velit, is ponderet, quæso, quod ad mini-  
 mum terminorum cognitio prærequiratur, ante-  
 quam ipsa principia nobis innotescere possint, quæ  
 vero experientia comprobat, nemini terminorum  
 notitiam naturalem & insitam esse; unde enim  
 constet infanti, quid totum sit? quid pars? quid  
 duo? quid quatuor? vel quid sibi velit tò simul  
 esse, & non esse? ideo recte colligimus, nec ipsa  
 principia nobis esse congenita. Cæterum hanc de  
 insitis notitiis sententiam passim abunde confirmant  
 magni nominis Theologi, *B. Calovius Tom. II. Loc. Theol. B. Musæus in Introd. cap. II. præci-  
 pue vero B. Hülfemannus & B. Bajerus, ille in  
 Prælect. ad Brev. cap. I. expresse fatetur; se illi  
 sententiæ assentiri, quæ naturalem cognitionem  
 non per modum habitus, sed per nudam poten-  
 tiam cognoscendi connasci cum homine tradat;  
 adductisque locis Rom. I. v. 19. cap. II. v. 14.  
 concludit tandem, cognitionem illam naturalem  
 inesse homini per potentiam, non per infusum ha-  
 bitum: Hic vero Theol. Posit. Proleg. cap. I. §. X.  
 ad n. e. inquit; notitias naturales dici insitas, non  
 quod cognitio Dei actualis, aut species expressa  
 homini per naturam ante rationis usum insit, sed  
 quia apprehensis terminis statim intellectui, citra  
 discursum insit, non secus, ac si cum ipsa natura  
 ei actu implantata esset. Si quis tamen notitiam  
 Dei*

Dei insitam malit per habitum, quam per potentiam describere, ei non adeo repugnabimus, modo non intelligat habitum stricte, sed analogice sic dictum, quo sensu etiam vocem habitus in definitione Königiana superius adducta accepimus. Sed mittimus hanc controversiam, & sine ulteriore mora in rem presentem venimus. Cumque tria potissimum pro objecto habeat naturalis Dei notitia, *existentiam, essentiam, & cultum Deo debitum*; ideo secuti hanc divisionem, tribus etiam distinctis Sectionibus ostendemus, quantum circa hæc tria maxime lapsi sint Gentiles? atque ut hoc magis de enormitate errorum constet, hanc methodum servabimus, ut prius, quam eosdem subiciamus, uniuscujusque partis cognitionem Dei naturalem concernentis evidentiam ex lumine naturæ breviter, & perspicue demonstratam demus, præcipue cum nonnulli a nobis hic attendantur errores, quos Ethnici per naturam, & verum ejus usum evitare, vel exuere poterant.

## SECTIO I.

### De Lapsu Gentilium circa Naturalem Existentiæ Dei Notitiam.

#### §. I.

**D**eum esse, evidenter gentilibus ex lumine naturæ innotescit; certe vel solus ordo & dependentia causarum ipsos convincere potest; quicquid enim est, ab alio esse vident; cumque nihil sit

fit causa sui ipsius, neque etiam progressus in infinitum detur; necesse est, tandem deveniant ad causam primam, quæ a nulla alia vel in esse, vel in fieri, vel in operari dependeat, atque insimul omnibus Entibus creatis essentiam suam largiatur; qualis causa prima & independens erit ipse Deus. *D. Dreierus* equidem hanc vitam causalitatis incertitudinis & imperfectionis cujusdam arguere videtur, quando ait *Disput. XVI. Phil. prim. §. 6.* e dependentia causarum recte quidem inferri, quod detur independens & causa prima; illud vero apodictice demonstrari non posse, quod talis causa prima & independens sit præcise Deus, quum dubium suboriri possit, annon forte sit corpus aliquod coeleste. At enim vero nescio, quomodo corpus, utut subtilissimum, ab omni dependentia liberari possit, cum jam in formali suo aliqualem dependentiam a materia & forma, e quibus componitur, involvat. Accedit & hoc, quod in causa, si dicenda sit prima, divina ac infinita virtus requiratur, ut non solum sibi met ipsi, verum etiam aliis independenter essentiam communicare possit; quod cum ne quidem in Spiritum, finitum puta, cadat, frustra causæ primæ prærogativa corpori alicui coelesti vindicabitur; Solum itaque Deus erit causa illa prima ac independens.

### §. II.

Evidentissimum præterea demonstrandæ per naturam existentie Dei argumentum in Motu depre-

prehendunt Gentiles: quippe sana ratio dicitur, quod quicquid movetur, ab alio moveatur, & illud ab alio, & hoc rursus ab alio; in infinitum autem procedere non licere: ergo subsistendum esse tandem in aliquo primo movente, quod ipsum primum movens dicendum sit Deus. Qui modus cognoscendi Deum naturaliter tantopere aridet modo dicto Dreiero, ut non vereatur scribere l. c. non nisi per motum, quod sit Deus, apodictice cognosci. Alii tamen in eodem multa desiderant, præprimis *Francisc. Suarez. Disputat. Metaph. XXX. Sect. L* qui hoc medium, per se & præcise sumptum, multis modis inefficax dicit, ad demonstrandum, esse saltem in rerum natura aliquam substantiam immaterialem, nedum ad demonstrandam primam & increatam substantiam; inprimis de eo dubitat, num omne, quod movetur, præcise ab alio moveatur; cum multa sint, quæ per actum virtualem videantur sese movere, & reducere ad actum, ut loquitur, formalem; quod in voluntate hominis & aqua calida reducens se ad pristinam frigiditatem aliquantum conspicitur: At facile discusseris, quicquid *Suarez* hic cum aliis opponit; quemadmodum enim implicat, esse primum motorem, & tamen non esse substantiam primum; ita & primus motor non potest non esse substantia aliqua immaterialis; si enim materialis esset, non posset aliis modum impertiri, quia materia per se omnis motus est expers. Principium vero illud, quo omne, quod movetur, ab

ab alio moveri dicitur, firmum pariter atque inconcussum manet, neque exempla a voluntate & aere petita quicquam ponderis habent. Quis enim negaverit, voluntatem ab alio, præcipue ab Intellectu, qui objecta sub specie boni vel mali repræsentat, moveri? Sed & aqua, ubi calorem rursus cum frigore commutat, non tam a se, quam a generante causa, aut circumstante aere ad pristinam frigiditatem reducitur. Vid. *Heinsf. Theol. Nat. cap. III. §. XXXIII.*

## §. III.

Ex eo pariter, quod animadvertunt gentiles, Entibus etiam inanimatis, & omni facultate cognoscendi destitutis, finem & scopum, ad quem tendant, præfixum esse; prona via colligere possunt, Deum esse, qui certo consilio hoc universum & quoscunque rerum naturalium fines dirigat. Et ne omnino naturalis hæc Dei notitia animo ipsis excidat, conscientiam perpetuum monitorem habent. Unde enim esset, quod homo, etiam ethnicus & gentilis, si quod scelus commisit, etiamsi omnem aliorum notitiam fugiat, tantos in mente angores perferat, ut misere excrutiat, tot suspiriis miserabili sæpe planctu & eulatu permittis, sortem suam deplorat, & vel ipsa morte vitam sibi acerbiolem putet, nisi τὸ γυνώσκειν τῶν θεῶν ipsum urgeret. Hinc non raro videas, complures dolore victos vel mortem sibi consciscere, & detestandum carnificis ministerium occupare, vel sua sponte nomen apud Magistratum pro-

profiteri, & capitale sibi supplicium deposcere, saltem ne longius furiis, & sceleratae mentis terroribus angantur; adeo omnia, *Deum esse*, enunciant!

## §. IV.

Circa naturalem hanc existentiae Dei notitiam graviter lapsi sunt gentiles, quorum aliqui eandem impugnarunt directe, aliqui vero indirecte; directe impugnarunt, qui, suffocato naturae lumine, aperte, Deos esse, negare ausi sunt, ut Symbolum ipsorum esset illud Pyrrhonicorum apud *Sext. Empir. L. 3. c. 1. ἀκατάληπτόν ἐστι, ἢ ἔστι θεός, incomprehensibile est, an sit Deus*; vel illud ex *Eurip. in Bellephor. Ait aliquis, esse sane in caelo Deos, non sunt, non sunt*. Qua impietatis nota ex praecis Philosophis infames fuerunt *Diagoras Melius, Critias Atheniensis, Evemerus Tegeata, Theodorus Cyrenaeus, Hippon, Sofias, Attius Antigonæ, & complures alii*, quorum catalogum exhibent *Sext. Empir. L. III. Plutarch. I. de Plat. Philos. C. VII. Laert. L. II. Aelian. L. II. C. 31*. Atque hoc hominum genus adeo monstruosum videbatur ipsis etiam sanioribus ethnicis, ut non potuerint sibi imaginari, quemquam esse, qui nullum prorsus de Diis sensum haberet; audacter *Sextus Empir. πάντες ἄνθρωποι χεδὸν ἑλληνές τε καὶ βάρβαροι νορίζουσιν, εἶναι τὸ θεῖον. L. VIII. adversus Mathem. & Arist. πάντες ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσι ὑπόληψιν. de Caelo C. III. §. 22.*

Dd

§. V.

## §. V.

Indirecte existentiam Dei, quantum in ipsis erat, inter gentiles everterunt, qui providentiam, & omnem de rebus humanis curam in Deo sublata[m] voluere; revera enim negare, Deum esse, aut negare, a Deo curari actiones humanas, si moralem effectum respicimus, tantundem valet, judicet *H. Grotio de J. B. & P. L. II. c. XX. §. XLVI.* Ad duas autem classes reduci possunt, qui ex gentilibus providentiæ Divinæ detraxerunt; alii eam absolute, & simpliciter negarunt, quibus forte illud *Lucani* frequenter in ore fuit: *Sunt nobis nulla profecto Numina, cum cæco rapiantur secula casu; mentimur regnare Jovem, mortalia nulli sunt curata Deo;* cujusmodi hominum & Philosophorum *Cicero* meminit *I. de Nat. Deor.* *Epicuro* etiam hic error tribuitur, quem propterea ridet *Max. Tyr. Dissert. XXIX.* & *Salvian. I. de Gubern. Seneca* autem graviter in eum invectus, *Tu, Epicure,* ait, *Deum inermem facis, omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam; & ne cuiquam metuendum esset, projecisti ipsum extra mecum &c. L. IV. de Benef.* Alii vero, ne crasse nimis philosophari viderentur, mitius sentientes magnarum, quidem & illustrium rerum curam ad Deum retulerunt, minora autem & levissima casui & cæcæ fortunæ permiserunt; ita *Enripides*: *Ὁ μὲν θεὸς τῶν ἀγῶν ἀπτεται, τὰ μικρὰ δὲ εἰς τύχην ἀφίσι εἶ;* *Deus res magnas curat, exiguas fortuna dimissas sinis;* teste *Platarch, de ira cobib.*

*cohib. circa fin.* In eundem censum veniunt verba *Aristotelis*: Διατείνει Θεός τὴν πρόνοιαν μέγχει τῶν ἑρηνίων; τὰ δὲ ἐπίγεια κατὰ τὴν πρὸς τὰ ἑρηνία συμπάθειαν κινεῖται; *Providentia Dei extendit se ad caelestia usque, terrestria vero consensu & conjunctione natura cum coelestibus rapiuntur.* Conf. de hac *Arist.* sententia *Laert. L. V. & Illustrium in vita Aristot. p. 15.*

## §. VI.

Illud autem maxime mirandum, inventos esse, qui gravem gentilium circa existentiam Dei lapsum & errorem non obscure aliquantum excusare, vel extenuare sustinuerint, negando, clare satis, & evidenter, Deum esse, ex lumine naturæ cognoscere posse. *Hobbesius* hanc facultatem non nisi prudentioribus tribuit; sic enim loquitur *de Cive, C. XIV. §. XLX.* Quod Deum esse, ratione naturali sciri posse, dixerim, ita accipiendum est, non tanquam omnes id scire posse putaverim; nisi quoniam ratione naturali, quam proportionem habeat sphaera ad cylindrum, invenit *Archimedes*, ex eo sequi putant, quemlibet ex vulgo idem invenire potuisse. *Socinus* hanc sententiam falsam esse dicit, quod homini naturaliter ejusque animo insita sit divinitatis alicujus opinio, cujus vi cuncta regantur, & gubernentur, quæque humanarum rerum imprimis curam gerat, omnibus consulat, atque prospiciat; quinimo ne quidem ante lapsum, nodum post, ullam de Deo cognitionem naturalem in homine extitisse, neque plus de Deo



extra Scripturam cognosci posse, quam quod fama extrinsecus addiscant homines; legas hos flosculos passim apud *Socin. Pral. Theolog. Ostorod. in Instit. German. Smalz. in Refutat. Franzii*. In quo amice cum *Socinianis* conspiciant *Arminiani*, quibus omnia, quæ de notitia Dei naturali afferri solent, infirma, lubrica, & incerta videntur. Hinc *Sim. Episcop. L. I. Instit. Tb. C. 3.* scribit: *De eo, utrum homini, ejusque animo, naturaliter insita sive innata sit Deitatis opinio, nolim pertinaciter contendere, mihi id vix verisimile videtur.* Utrum vero etiam *Flacius Illyr.* insitam Dei notitiam negaverit, adhuc disquiri solet. *Quenstedius* sane non dubitat hunc errorem ei imputare, propterea quod *Part. I. Clavis Script.* sub voce *Legis ad Rom. 2. v. 15.* solam notitiam Dei acquisitam intellexerit, & negaverit aliqua vera principia, aut notitiam unius Dei ejusque gubernationis in homine reliquam esse. At *B. Calovius System. Loc. Theol. Tom. I. & Dn. Hehenstreit in Dissertat. de Natur. Existent. Dei Notit.* quæ durius a *Flacio* dicta videntur, emollire contendunt, quasi non τὸ ὄντι, *an sit*, sed τὸ τὲ ἐστὶ, *quid & quis sit verus Deus*, homini in statu naturali denegasset. Nimis autem iniquus censor est *Mersennus*, homo Pontificius, quando *Comment. in Gen. Cap. I.* ubi prius probatum dedisset, notitias naturales de Deo negari a *Matt. Flacio Illyr.* impudenter tandem concludit: *Occasionem & ansam Atheismo a Lutheranis præberi: nondum enim*

enim adeo constat de mente *Flacii*; & ponamus, lapsum esse, tamen non nisi per calumniam, qui unius Viri est error, integro cœtui exprobratur.

§. VII.

Cum itaque ostensum a nobis sit, fuisse inter gentiles, qui existentiam Dei impugnarint, atque ob id ipsum via vel recta, vel obliqua, Atheorum numero accesserint; non possumus sicco plane pede præterire nobilissimam, quæ huc pertinet, quæstionem: *Utrum dentur Athei proprie sic dicti, nec ne?* Nihil jam moramur Atheos Practicos, de quorum existentia, imo frequentia non est, cur quis dubitet, modo oculos in hoc mundi theatro aliquantum circumferat, & impiam atque Epicuream plurimorum vivendi rationem menti subjiciat; Sed sermo nobis est de Atheis theoreticis, & speculativis, non quidem perpetuis, tales enim non inveniri, in aprico est; sed temporariis, ut adeo cardo quæstionis in eo vertatur: Num possibile sit, ut quis ad tempus serio credat, & intime persuasus sit, nullum esse Deum? negat hoc fieri posse *Voetius Part. I. Select.* ubi summum Atheismi gradum esse, docet, si quis studiose affectet totalem Numinis ἀναϊσθησίαν, atque adeo ἀπίστη πληροφροσύνην, h. e. cupiti Atheismi in animo suo certitudinem, & evidentiam; & contendit, quod Atheum ulterius ire non sinant trabales illi luminis & dictaminis naturalis, & æternæ Legis Divinæ clavi. At nos affirmativam amplectimur, secuti in eo acutissimum nostrum *Hülsemannum*, qui

diserte in *Brev. cap. II. Tb. I. & in Praelect. ad Formul. Concord. Art. II. cap. II.* testatur: ob frequentem abusum, & suppressionem luminis natura, & ab scelera contra naturalem aequitatem seu *συνήθησιν* commissa, nonnullos justo Dei iudicio & desertione adeo indurari, ut naturalis etiam cognitio aboleatur, & fiant tales quoad intellectum Diabolis ipsis deteriores, i. e. nec intelligant ex causis physicis, neque sentiant, esse Deum, donec sum premis tandem suppliciis in gehenna subiciantur. De eo itaque nullum est dubium, quin dentur Athei etiam speculativi & theoretici, non quidem per naturam, sed per indurationem, & diabolicam excoriationem; neque per omnem vitam, sed saltem ad tempus, & aliquod intervallum, quam limitationem de industria cum Theologis adjiciamus; neque enim existimandum est, ullum unquam extitisse, qui per omnes vitae dies intimo persuasus fuerit, nullum esse Deum. Agnovit illud jam olim ex gentilibus *Plato*, qui de *Leg. X.* ait: *Profecto nullus eorum ab adolescentia usque ad senectutem in hac opinione, quod Dii non sint, perseveravit.* Et si quis vel maxime Empiricorum esseveret, & juret, se nullum unquam de Deo sensum habuisse, cave credas; conscientia enim reclamatur; & facile mendacii convinces; eo ipso enim dum jurat, haud obscure innuit, Deum esse, cujus ira sibi & vindicta, si forte pejeret, metuenda sit. Caeterum detestandae Atheismi impietati subtili & callida ratione viam sterant, qui existenti-

am

am Dei, quam sibi explicandam sumere, frigidis nimis & stramineis argumentis adstruunt; quippe hoc modo simpliciores, dum firmiora non suppetere, sibi persuadent, fluctuantes & dubios reddunt, iisdemque virus Atheismi tacite propinant. Cujusmodi libello, superiori seculo, *Julius Caesar Vaninus*, Atheus famosissimus, non multo ante, quam vivus Tholosæ combustus esset, in publicum provolavit, quem speciose inscripserat: *Amphitheatrum aeternae providentiae. Divino-Magicum, Christiano-Physicum, nec non Astrologo-Catholicum adversus veteres Philosophos, Atheos, Epicureos, Stoicos.* Nec parum se apud cordatos suspectum reddidit paulo ante a nobis notatus *Hobbesus*, quando, *cap. XIV. §. XIX. de Cive*, negat, Atheos peccati reos esse; *quomodo enim, ait, peccare dicitur is, qui vel non existere Deum, vel non gubernare mundum, affirmaverit, vel aliam contumeliam in ipsum exomuerit? dicit enim, se voluntatem suam. Dei voluntati nunquam subjecisse, ut quem ne esse quidem opinatus fuerit; Summum autem imperium neminem in nos habere, quod non sit ei nostro consensu delatum; adeoque cum Atheus nunquam sub regno Dei fuerit, Legibus quoque ejus regni ipsum non obligari.* Quam sententiam blasphemam, ut par est, pronunciat *P. D. Alberti, Compend. Jur. N. Part. II. cap. I. §. 28.*

## SECTIO II.

De Lapsu Gentilium circa Naturalem  
Essentiæ Dei Notitiam.

## §. I.

**Q**Uæmadmodum Deus existentiam suam clarissime gentilibus per lumen naturæ manifestavit; ita nec essentiam eos latere voluit. Poterit autem Deus, ratione essentiæ spectatus, breviter & nervose describi: quod sit Spiritus independens; ut per spiritualitatem distingvatur a corporibus, & per infinitatem a Spiritibus, finitam & limitatam essentiam habentibus. Utramque & spiritualitatem & infinitatem Dei apodictice ex lumine naturæ cognoscere poterant gentiles; Spiritualitatis certe, ut complures alias rationes hic brevitate gratia reticemus, illustre ac indubium argumentum in motu deprehendunt, quod jam supra aliquantum attigimus; si enim Deus, ceu primus motor, partes extra partes haberet, & materiæ subjaceret, ipse pro principio motus non posset haberi, quia materia per se motu caret; quia si in primo motore daretur extensio aliqua vel magnitudo, ea esset vel finita, vel infinita; at neutra locum invenit, non infinita, cum magnitudo infinita nullibi habeatur, & implicet, esse quantum, & esse simul infinitum; nec finita, quippe hoc modo infinita movendi virtute destitueretur; ergo nulla prorsus extensio in primo motore sit, necesse

necesse est, sed substantia erit immaterialis & incorporea, quam Spiritum dicimus; vide prolixius de his differentem *Thomam Libr. I. contra Gentiles, cap. XX.* Quod vero Deus sit Spiritus infinitus, h. e. tam perfectus, aut tot perfectionibus quasi abundans, ut nullus in eo, quantuscunque etiam fuerit, perfectionum cumulus sit assignabilis, quin altius adhuc assurgat, pluresque perfectiones identidem subinferat; prout infinitatem in Deo exponit *B. Donat. Metaph. Usual. cap. XIV. §. 27.* illud absque multo labore ab ethnicis intelligitur; Si enim essentia Dei esset finita, & certis limitibus circumscripta, quicquam perfectionis ei deesset; quod de Deo, qui omnem imperfectiorem atque defectum respuit, citra absurditatem affirmare non poterunt.

## §. II.

Cum itaque tam perspicue lumen Nat. Essentiam Dei spiritualem, eamque infinitam explicet; hoc gravius lapsi sunt inter gentiles, qui Deo materiam, corpus & membra humana tribuerunt, neque saltem ἀνθρώποπαθῶς, ut Θεοπρεπῶς, seu modo & ratione Deo conveniente, declarassent, sed vere & ἀληθῶς, non secus ac si Deus ex materia & forma, ut quodvis aliud corpus, compositus esset. Qui error forte solam plebem tenuisse videri possit, de cujus imprudentia & simplicitate conqueritur ipse *Cicero L. I. de Nat. Deor. c. 36.* quod vulgus imperitorum non membra solum hominis Deo tribuat, sed usum etiam

D d 5

mem-

*membrorum, dare enim ipsi arcum, sagittas, bastam, clypeum, fulmen. Atenimvero ex Philosophis quoque multi hanc sententiam suam fecere, præcipue qui e schola Epicuri prodissent; hinc Vellejus Epicureus apud Cicer. l. c. cap. 18. ait: De forma Deorum partim natura nos admonet, partim ratio docet: nam a natura habemus omnes, omnium gentilium speciem nullam aliam nisi humanam Deorum; quæ enim alia forma occurrit unquam, aut vigilantibus cuiquam, aut dormientibus? aliqui ipsum etiam Aristotelem insimulant, quasi compositionem ex materia & forma Deo affinixerit, quia Lib. XII. Metaph. cap. VII. Deum dicat ζῷον, seu Animal, ut vulgo hanc vocem interpretantur. Sed respondet D. Zeidlerus Præfat. ad Introd. in Lect. Aristot. falsum esse, quod Deum in Metaphisicis Aristoteles Animal vocet; ζῷον quidem cum passim ibi vocare; at ζῷον non solum animal notare, sed & vivens; atque hunc significatum etiam intendere Philosophum, cum ζῷον Deum appellet.*

### §. III.

Sub essentia Dei comprehendimus etiam attributa Divina, utpote quæ ex parte rei ipsam essentiam involvunt, eandemque intrinsece denominant, ob infirmum tamen nostrum concipiendi modum ut distinctæ affectiones considerantur. Non sunt autem unius generis, alia Theologis audiunt *negativa*, quæ vi significationis negationem quandam aut remotionem imperfectionis alicujus,

jus, quæ in creaturis deprehenditur, important; alia *Positiva*, quæ cum respectu ad perfectiones, quæ in creaturis occurrunt, & per modum illarum, licet in eminentiore gradu, concipiuntur. Sed quia longum foret, omnes & singulas affectiones Divinas persequi, nos in præsentiarum eas solummodo lustrabimus, quæ cujusdam lapsus & erroris gentiles quam evidentissime arguunt.

## §. IV.

Inter attributa Dei negativa *Unitas* eminet, quatenus in Deo negationem plurium ejusdem naturæ sive essentiae infert. Pro qua ex lumine Nat. adstruenda *Heinsf. l. c. ex Piccart. in Orat. de Arist. & Plat. Theol.* ita argumentatur; Necessesse est, dicere Deum esse unum; nam si sint multi Dii, illi vel æquivoce erunt Dii, vel univoce sive *συνωνύμως*; æquivoce Deos facile admittimus; si autem univoce plures Dii statuuntur, oportet, ut isti plures vel conveniant in genere, vel in specie, Deus autem neque genus est, neque species, alias plura sub se contineret; impossibile igitur est, plures esse Deos. Quinimo ponamus, binos ad minimum esse Deos; isti aut erunt dignitate & potentia æquales, aut inæquales? at neutrum dici potest; non posterius, cum contradictio sit in adjecto, Deum esse, & tamen potentia, vel dignitate, quemquam superiorem agnoscere: sed nec prius, ni velis dicere, dari duo summa in eodem genere, quod absurdum. Cordate alias de orbis imperio *Alexander M. nec miratus duobus*



*duobus solibus potest regi, nec duo summa regna, salvo terrarum statu, potest habere. Curt. L. IV. C. XI. n. 22.* Unde mirari subit horrendam ethnicorum cœcitatē ac dementiam, quod, ut ut ipsis tam aperte de unitate Dei ex lumine naturæ constaret, tot Deorum millia sibi effingere non erubuerint; nam *ut nomina alia aliis gentibus, ita & Numina in iisdem innumerabilia reperimus, Plin. inquit lib. II. c. 7.* Si qua res stuporem vel admirationem in ipsis excitasset, subito Deus erat: *Quicquid humus, quicquid pelagus mirabile gignit, induxere Deos, colles, freta, flumina, flammæ. Prudent. I. cōtra Symm.* Quamvis aliqui sapientiores inter ethnicos excusent, quod non serio *πολύθεότητα* statuerint, sed eum maxime in finem introductam voluerint, ut libidinem & effusam plebis licentiam hoc facilius coercerent, & tot Numinum metu, ac timore compescerent. Verum nosse debebant, non esse faciendum malum, ut inde eveniat bonum; nec in plebe superstitionem, cujus alias potens non est, augendam, sed potius, quantum fieri possit, minuendam esse. Cæterum quia *H. Grotius* non solum hunc errorem in gentilibus extenuat; verum etiam notitiam de Dei unitate naturaliter minus evidentem dicit, de *J. B. & P. L. I. C. XX. §. XLVII.* ob id ipsum pro merito castigatur ab *Ostandro, in Observ. Grot. ad l. c.*

## §. V.

Ex numero attributorum negativorum etiam est

est *immutabilitas*, consistens in eo, quod Deus nulli mutationi obnoxius dici possit, neque secundum esse, cum sit Ens absolute necessarium; neque secundum accidentia, cum sit actus purissimus, omnem compositionem excludens; neque secundum locum, cum expers sit materiæ; neque secundum voluntatem aut propositum, cum tanquam ens sapientissimum sibi prorsus constet. Fluit ex immutabilitate *æternitas*, quæ est permanentia essentiæ Divinæ interminabilis, sine principio & fine, indivisibilis, omnem omnino successionem excludens. Hujus attributi pariter lumen Nat. certissimos reddit gentiles; Si enim quicquam concipiant Deo esse prius, ipse non erit causa prima, nec motor primus, quod tamen superius evictum; ni quis forte inter illos asserere velit, dari quoddam prius ipso primo; quod *ἀτοπον*. Nec saltem a parte ante, verum etiam a parte post æternum esse Deum, ex ejus Simplicitate ac Spiritualitate intelligunt; omnis enim corruptio est ex pugna contrariarum qualitatum; talis autem cum in Spiritum non cadat; ab ista etiam non potest non esse immunis. In utramque perfectionem Divinam tam facile ex lumine Nat. cognoscibilem enormiter rursus impegisse videas gentiles, dum mutabilitatis ac inconstantia Deum passim in scriptis impudenter arguunt; cujus generis multa dictoria collegit *Just. Martyr. Paranet. ad Gentes*. Ab interitu autem adeo non vindicarunt, ut cum *Anaximandro* quidam nativos esse

esse Deos longis intervallis orientes occidentesque dicerent, *Cic. l. de N. D.* quæ equidem in Idola ipsorum, quæ esse & cœperunt, & desierunt, quam optime quadrant, minus vero in Deum, cujus natura atque essentia talem mutationem non admittit. Nec parum æternitati derogarunt, quæ mundum cum *Heraclico* æternum crederent, quippe quæ perfectio soli Deo propria est. Ubi *ἐν παροῶν* notamus, solite alias & curiose a Scholasticis disputari: annon possibile fuerit, ut mundus a Deo ab æterno crearetur? nec desunt, qui affirmativam amplectentur, ita tamen, ut distingvant inter æternitatem dependentem, & independentem, priorem mundo, posteriorem Deo reservantes; Enimvero gratis hæc dicuntur, quia aperte implicat, æternum esse, & tamen ab alio, tanquam effectum a causa dependere, cum prioritas temporis, quæ necessario ex parte agentis & creatis requiritur, æternitatem in re creata & producta ipso actu destruat.

## §. VI.

Inter attributa positiva conspicua maxime est in Deo ejus *puritas*, & *sanctitas*, qua omnis labis & vitii expertus est, & munditiam, ac puritatem debitam a creaturis exigit. Hæc perfectio homini, quoties essentiam Divinam meditatur, prima statim fronte occurrit, ut adeo laboriosa hic demonstratione opus non sit. Atque hæc sanctitatis Divinæ notitia poterat aliquo modo excitare hominem ethnicum, ad indagandum statum integritatis, & sancti-

sanctitatis primæ; quippe cum ratio distinet: Deum, pro summa sanctitate, & puritate sua, non posse non etiam sanctas, & puras creaturas, præprimis rationales, producere; ipse vero satis perspiciat, naturam suam intime corruptam, & pravis concupiscentiis contaminatam esse, ut ad malum subinde magis, quam bonum inclinet; in istam tandem conjecturam delabitur, annon talis aliquando post primævam creationem status obtinuerit, quo purus, sanctus, & integer homo fuerit? unde probabilitas quidem, minus autem infallibilis certitudo exoritur; ambabus enim largimur, apodictice statum integritatis non posse demonstrari ex lumine naturæ; id quod etiam *B. D. Seligmannus in peculiari Dissertat. contra Strimesium Lipsiæ habita*, eleganter ostendit. Tantum vero abest, ut ullam hujus pædagogicæ rationem habuerint gentiles, ut potius horrendum in modum sanctitatem Dei conspurcarent, omnis generis flagitia & scelera Diis suis tribuendo. Jovem sane, quem omnium Deorum supremum habuere, modo induxerunt ut adulterum, modo ut sævum in Deos, modo ut iniquum in homines, modo ut raptorem & corruptorem ingenuorum &c. Vid. *Senec. de Vit. Beat. Cap. XXVI.* Accusat hoc nomine *Xenophanes apud Sext. Empir. VI. cap. XIII.* temeritatem *Homeri præcipue & Hesiodi: πάντα θεοῖς ἀνέθηκας Ὀμηρός δ' Ἡσίοδος τε, ἕστα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνειδέα κ' ψόγῳ θεῶσι, κλέπτειν, μοιχέειν κ' ἀλλήλους ἀπατεύειν.* Forte hoc

major

majorem sibi peccandi licentiam permitti putarunt, si & Deos impuros & sceleribus infames dicerent.

§. VII.

Cum Sanctitate conjunctissima est in Deo immutabilis ejus *Justitia*, quæ vel absolute & in se spectatur, & tum denotat, rectitudinem Divinæ voluntatis, qua omnia, quæ recta atque bona sunt, æternæ suæ legi conformiter vult; vel respective & in ordine ad alios, quatenus Deus, absque ullo personarum respectu, bonos gratiose remuneratur, malos autem severe punit, atque adeo hoc ultimo significato, quem nos hic potissimum attendimus, duplex est justitia Dei, una remunerativa, qua bonos præmiis, altera vindictiva, qua malos suppliciiis afficit. Utramque homo ethnicus naturaliter inter alia per viam, quam ajunt, Eminentia, in Deo eruere potest, argumentando scil. a creaturis ad Creatorem; Si enim Magistratus & Judex terrenus, modo officio suo digne præesse, & omni ex parte satisfacere velit, juris & æqui tenacissimus est; quanto magis illud de Deo tanquam supremo Judice expectandum! cum vero experientia comprobet, bonos ut plurimum in hac vita gravius affligi, malos autem mitiora subinde fata experiri, ut adeo æqualitas non semper servetur; inde homo, etiam sibi relictus, ex dictamine rationis probabiliter colligit; alium procul dubio statum præsentem post hanc vitam excepturum esse, quo, mutata  
forte

forte, ne justitia Dei periclitetur, digna unumquemque merces, pro ratione vitæ olim actæ, maneat. Qui naturæ ductus tantam in aliquibus ex sapientioribus ethnicis certitudinem produxit, ut speciali revelatione confirmatam, & suffultam crederes; major tamen pars hanc manuuctionem, quam naturalis Justitiæ Divinæ scientia exhibet; inani quodam torpore neglexit, quod vane sibi plerique persuaderent, post mortem actum penitus esse de homine, & ejus anima, utut hujus immortalitas tot argumentis ex lumine naturæ innotescat, unde notum est illud *Simon. apud Strob. Serm. CXX.* Βιοτῆς μὲν χρόνον ἔστι βραχυῶς, κρυφθεὶς δὲ ὑπὸ γῆς κείται θνητὸς τὸν ἅπαντα χρόνον. Reprehendit hanc cœcitatem, & inertiam in gentilibus *Clemens Alexandr. L. IV. Stromat.* Nec honores, inquit, post mortem eorum, qui sancte vixerunt, nec supplicia eorum, qui injuste & libidinosè se gesserunt, volunt intelligere ethnici, non ex nostris solum dico scripturis, sed nec suorum scriptis volunt aures præbere. Scribit enim *Theano Pythagorica:* Ἦν γὰρ τῷ ὄντι τοῖς κακοῖς εὐωχία ὁ βίος, πονηρῶσαιμένοις, ἔπειτα τελευτῶσιν, εἰ μὴ ἦν ἀθάνατος ἡ ψυχὴ, ἐμαῖον ὁ θάνατος; esset enim revera malis vita epulum, qui postquam omnia commiserunt scelera, deinde moriuntur, & si non esset anima immortalis, mors esset lucrum: *Hactenus Clem. Alex.*

## §. VIII.

Facili negotio reliqua etiam attributa Divina  
 Ec modo,

modo, quo cœpimus, enodari possent; sed ratio instituti nostri exigit, ut ad ea, quæ circa cultum Dei naturalem restant, progrediamur. Hoc solum addimus, nonnullos Scholasticorum hoc etiam nomine lapsus & negligentia gentiles arguere, quod, cum essentiam Dei ex lumine naturæ investigarent, Trinitatem tamen Personarum in Divinis prorsus intactam reliquerint, cujus tam clara alias in libro naturæ vestigia extarent. Et ne injuriam illis inferre videantur, operosam Trinitatis e principiis naturalibus demonstrationem institunt; evolvantur cum ipsis facientes: *Keckermannus Lib. I. System. Theol. c. 3. Raymundus de Sabunde Theol. Nat. cap. 46. Morneus Lib. de Verit. Relig. Christ. c. 5.* Verum quia Trinitas Personarum in Deo est articulus fidei non mixtus, sed purus, de quo ex sola revelatione constat, quem propterea non scimus, sed credimus; quod solide *B. Gerhard. in Loc. Tb. de Trin. Myster. c. 12.* contra *Scotum* demonstravit; ideo nihil sibi culpæ in eo contraxerunt gentiles, quod non eruerint ex abyssu naturæ, vel a priori demonstraverint hoc mysterium, cujus sublimitas omnem rationem transcendit; manet enim *μυσήριον ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ νοῦν, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν.*

### SECTIO III.

De Lapsu Gentilium circa naturalem cultus, Deo præstandi, Notitiam.

§. I.

## §. I.

**D**eum religioso cultu esse prosequendum, etiam citra specialem Scripturæ revelationem, clarissime patet gentilibus ex lumine naturæ. Ex eo enim, quod, præeunte natura, & sana ratione, cognoscunt, dari aliquod ens primum, summum, infinitum, & perfectissimum, cui singula, quæ existunt, suam naturam, & essentiam acceptam ferant, & a cujus nutu, atque providentia hæc inferiora dependeant, nexu etiam certo, infallibili atque concatenato concludere possunt, illi ipsi enti primo, summo, infinito, & perfectissimo omnem observantiam, cultum & honorem deberi. Unde Socrates apud *Xenophontem* τὸ θεὸν σέβειν, *Deos colere*, Legem esse, ait, quæ apud omnes homines valeat; & *Arist.* cum, qui Deum honorandum, aut parentes amandos neget, non argumentis, sed pœnis edomandum censet, *Top. I. § II.* Quare si qui gentiles cum priscis *Bealihenlium* incolis, quas *Gotthofred. in Archæolog. Cosm. L. I. de Potentia Hispan. in novo orbe*, sine literis, sine religione, sine Legibus, sine Magistratibus vixisse refert, omnem omnino Numinis Divini cultum damnent; hi, vel ipsorum saniorum ethnicorum judicio, prorsus inexcusabiles erunt.

## §. II.

Cultum naturalem summa cum imperfectio-  
ne conjunctum esse, haud difficulter intelligit ho-  
mo gentilis, modo in semetipsum per actus refle-



xos secedat, & naturam, atque conditionem su-  
 am paulo intimius rimetur; quippe nullam sibi  
 viam monstrari videt, qua Numen iratum & pec-  
 catis suis offensum penitus placare, ejusdemque  
 gratiam recuperare possit. Commendat equidem  
 sana ratio retractationem, dolorem, ac detestatio-  
 nem commissi sceleris; at facile animadvertit, ejus-  
 modi pœnitentiam, cum ne quidem in foro huma-  
 no sufficiat expiando crimini, tanto minus in foro  
 Divino, ob immutabilem Dei justitiã, locum in-  
 venturam; hinc anceps & dubius hæret, nec, si  
 in solo rationis dictamine subsistat, invenit, quo in  
 anxietate sua confugiat; ais: confugiendum esse  
 gentili ad immensam Dei bonitatem, & misericor-  
 diam, quæ pariter clare ex lumine naturæ cogno-  
 scatur; Enimvero idem lumen naturæ insimul di-  
 ctit, misericordiam Divinam ita adstruendam ef-  
 se, ne ejus justitia corruat: quæ mitigari non pot-  
 est, ni debita ratione eidem satisfiat. Atque hæc  
 insufficientia cultus naturalis in ordine ad salutem  
 æternam hoc magis elucescit, si meminerit homo  
 ethnicus, nullum sibi medium suppeditari, quo  
 ad finem ultimum consequendum perducì possit:  
 utut enim vel maxime studium bonorum operum  
 ipsi per naturam inculsetur; deprehendit tamen,  
 ea esse impura, imperfecta, & vitæ æternæ minus  
 proportionata, ut adeo tam amplam sibi merce-  
 dem de probitate sua naturali polliceri non possit;  
 præprimis cum observet, ne quidem eum cultum,  
 quem Deo deberi, vi luminis naturæ intelligit, per-  
 fecte

fecte a se præstari posse, neque perfectione *partium, graduum, vel perseverantia.* Hæc ergo ἄδυναμία & insufficientia Theologiæ naturalis gentiles, ex intentione Dei, paulatim manuducere debebat ad supernaturalem & specialiorem cultus Deo præstandi notitiam; *Cum enim per lumen nature nosset, verba sunt B. Bajeri, esse Deum, & animam humanam post mortem corporis superesse, homines vero ad peccandam maxime propensos esse, & quotidie Deum offendere; neque habere ex Theologia naturali medium, quo Deum placare possint; facile in eam cogitationem venerunt, Deum, pro sua bonitate, peculiari revelatione viam & media salutis alicubi ostendisse. Compend. Theol. Posit. Proleg. C. I. §. XIV.*

## §. III.

At hic graviter lapsi sunt gentiles, quod plerique, neglecta pædagogia naturali, nefas ducerent, si quis ultra aliqualem existentia vel essentia divinae notitiam sapere vellet; unde *Xenophon in Fragm. Epist.* Ὅτι μὲν γὰρ τὰ θεῖα ὑπὲρ ἡμῶν, παντὶ δῆλον, ἀπόχρη δὲ τῷ κρείττονι τῆς δυνάμεως αὐτοῦς, σέβειν, οἳοι δὲ εἰσιν, οὔτε εὐρεῖν ράδιον, οὔτε ζητεῖν θεμιτὸν, οὐδὲ γὰρ δεσποτῶν φύσιν ἢ πρᾶξιν δούλης δεῖ εἰδέναι, οἷς οὐδὲν πλεόν ὑπηρεσίας προσήκει. *Deum supra nos esse cuius constat, quem etiam colere æquum est; quales autem & qui sint Dii, nec inveniri facile potest, nec inquire fas est; quippe servorum etiam non interest, scire naturam aut facta dominorum*

suorum, ut quibus nihil prater ea conveniat, quam inservire. Ob quam negligentiam, & indignum prorsus torporem ἀναπολογίτης etiam pronuntiat gentiles Apostolus Rom. 1, 20. Causa autem, cur nullam fere pædagogiam naturalis rationem habuerint, hæc subesse videtur; quod forte, utut ex falsa quadam persuasione, putarint, Theologiam naturalem eum saltem in finem divinitus collatam esse, ut hoc arctiori vinculo animi civium inter se conjungerentur; hinc omisso usu pædagogico, qui tamen ex mente Dei præcipuus erat, solum politico inhærebant. In quo, loquor de ipso cum B. Alberti, l. c. §. 22. Similes fuerunt ei, qui postquam videt, calamm aptum esse ad scilpendum, eo ad scribendum non utitur, etsi hunc usum præ illo natura calami exigat. Postquam enim deprehenderunt gentiles, se uti posse Religionem, quam a lumine Nat. hauserant, in commodum Reipublicæ, ulterius ad notitiam genuini cultus acquirendam progressi non sunt, etsi hunc finem natura notitiarum naturalium de Deo quæ tota est pædagogica, per se requirat, illum tantum præsentia humana, per accidens adjecerit.

## §. IV.

Præter neglectum pædagogiam naturalis, cultum etiam divinum, quem Theologia Nat. præscribit, impie depravarunt gentiles per ἱεροδρασκίαν seu cultum fictivum, naturali ex levitate quadam, & vana mentis superstitione temere superinductum; neque enim contenti erant ea ratione cog-

lenti

lendi Deum, quam ex lumine naturæ hauserant, sed præter eam infinitos alios modos ex proprio ipsorummet cerebro effinxerunt; quibus gratiam a Deo, si forte indignaretur, inirent, eundemque sibi reconciliarent, utut non potuerint ignorare, nullum cultus naturalis genus Deo fore gratum, & acceptum, nisi quod divinitus esset præscriptum; agnovit hoc *Socrates*, cujus sententia erat, teste *Augustino*, *L. I. de Consens. Evang. cap. 18. Unumquemque Deum sic coli oportere, quomodo seipsum colendum esse præceperit.* Quam regulam, & Naturæ Legem, ubi semel damnassent gentes, non poterant non enormiter exorbitare, & ex uno errore in complures alios prolabi, adeo, ut ne sanguine quidem humano abstinerent, sed latronum & sicariorum more, ingenuos pueros, & virgines mactare, & Diis suis immolare sustinuerint. Confer eam in rem *Selden. de Diis Syris, Syntagm. c. 6.* Ad ultimum eo progressi sunt, ut gravissimum Deo cultum se præstituros crederent, si semetipsos animo impavido confodissent, ac libera morte, vivos quasi Deo sacrificassent. Quæ inanis persuasio non solos homines plebejos, sed & Viros illustres, ac sapientiæ gloria conspicuos ceperat; ita hoc violento mortis genere periisse novimus *Zenonem, Isocratem, Cleanthem, Hannibalem, Atticum*, & complures alios, quos passim commemorant Scriptores. Cum tamen nihil magis pugnet cum sana ratione, & natura hominis, quam sibi metipsi vim inferre, & fata

ante diem occupare; quippe retinendus est animus in custodia corporis, nec injussu ejus, a quo ille est datus, ex hominum vita migrandum, ne munus humanum, a Deo designatum, defugisse videamur. *Cic. in Somn. Scip. cap. 3.*

## §. V.

Præterea in cultum Deo per naturam debitum peccarunt gentiles per *ιδωλολατρείαν*, sive *cultum idololatricum*. Licet enim satis ex lumine naturæ intelligerent, Deum, tanquam Spiritum, spirituali etiam modo esse colendum; ipsi tamen in contrarium lapsi ad simulacra, ex ære, ligno, vel lapide, fabricata, convertebantur, his lucos, & nemora, his preces, & sacrificia consecrabant. Graviter hanc insaniam Zeno increpat: *Gentilium*, inquit, *sacrificium quam execrabile est, tam inane est; colunt enim vani vana signimenta in quaslibet formas, vultus, sexus, ætates, figurata. Quæ est ergo ista dementia, sacrificium nescientibus procurare, lumen cæcis inferre, tûra non spirantibus concremare, allegare preces surdis, ab his custodiam petere, quos fur non timet introlare. Sermôn. med. de Psalm.* Hinc S. Cecilia, ut est apud *Sur. in vit. Martyr.* non minus prudenter, quam animose, cum jussa esset a Præfetto idolorum acerræ thurs imponere, nescior, agebat, ubinam tuos oculos amiseris, nam quos tu. Deos dicis, ego & omnes, qui sanis oculis sumus, videmus esse lapides, æs, & plumbum. *Hæc miser! qui sana colunt, qui corde sinistra religiose*  
fbb

*sibi sculpunt simulacra, suumque Factorem fugi-  
ant, & qua fecere, verentur. Sedul. Lib. I. Oper.  
Paschal.*

## §. VI.

Primis quidem temporibus purior adhuc ser-  
vabatur cultus Dei naturalis; quippe nullis simu-  
lacrâs erat locus, sed mente, & Spiritu Deos co-  
lendos esse, docebant; testatur hoc *Macrob. L. I.  
in Somn. Scip. c. 2. Tertull. Apolog. c. 25. Plutar-  
chus* tradit: *Numam* vetuisse Romanis hominis  
vel bestiae formam tribuere Deo, neque fuisse ul-  
lam apud eos ante vel pictam, vel fictam imagi-  
nem Dei, sed templa solummodo extruxisse, si-  
mulacris per id tempus omissis, nefas putantes,  
*ὡς ἔτε ὄσιου ἀφορμιῶν τὰ ἑσλιόνα τοῖς χεῖροσιν,  
ἔτε ἐφάπτεσθαι θεῶν δυνατόν ἄλλως ἢ νοῆσει,*  
*augustiora exprimere humilioribus, neque adspi-  
rari aliter ad Deum, quam mente posse. Vid. Plut.  
in Num.* Successu autem temporis cultus imagi-  
num, & sculptilium majora indies incrementa ce-  
pit, cum πολυθεοθησκεία invaluisset, & nume-  
rus Deorum subinde augetur; ubi vix satis mi-  
seris hominum stultitiam, & simplicitatem, quod  
etiam res inanimatas, vel animantia bruta Divinis  
honoribus colere aggressi sint: Sic Phryges lunæ,  
Æthiopes diei, Persas igni, Ægyptios aquæ, Pe-  
lusios cepæ, Scythas acinaci, Assyrios columbæ,  
Memphitas bovi, alios crocodylo, alios feli, aut  
simiæ sacrificasse accepimus. Illud vero omnium  
maxime detestandum, quod ipsum Dæmonem, ju-  
raturum

E c 5

raturum

juratum generis humani hostem, pro Deo co-  
luerint, ejusque oracula, non secus, ac si su-  
prema ipsis Lex essent, avide, ac devote hau-  
serint; cum tamen fraudem ex amphiboliis, ali-  
liisque circumstantiis facile animadvertere potuis-  
sent, imo quandoque animadvertebant; candidè  
*Cicero Lib. II. de Divinat. Demosthenes quidem  
qui abhinc annos prope trecentos fuit, jam tum  
Φιλίππιζεῖν Pythiam dicebat, id est, quasi cum  
Philippo faceret. Hoc autem eo spectabat, ut  
eam a Philippo corruptam diceret. Qui licet  
existimare, in aliis quoque Oraculis Delphicis  
aliquid non sinceri fuisse. & Q. Curt. L. IV. c. 1  
VII. n. 29. de Oraculo Jovis Hammonis ait: Vera  
& salubriter estimanti fidem oraculi vana profecto  
responsa videri potuisse.*

## §. VII.

Ex hætenus dictis satis jam apparet, quan-  
tum gentiles a genuino, quem natura imperat,  
cultu Divino discesserint. Quid vero, si quis in-  
ter ipsos cultum naturalem integrum servet, &  
Deum eo modo, quem lumen nature præscribit,  
pie, & solcite colat, num propterea beatum, &  
salvum dicemus? Absit! cultus naturalis imme-  
diate neminem salvat, quantacunque etiam cum  
probitate, & sinceritate Deo exhibeatur, quia im-  
perfectus est, & fide in Christum, extra quem  
nulla salus speranda, destituitur. Quod notan-  
dum contra hodiernos Naturalistas, qui notitiam  
Dei naturalem ethnicis ad salutem sufficere pu-  
tant;

tant; atque hoc omni modo evincere, & demonstrare contendit. famosus ille *Edwardus Cherbury*, Anglus, in libro *de Relig. Gentilium*; Eundem errorem propugnant *Sociniani*, nec possunt aliter vi hypothesium suarum, cum enim, docente *Dn. D. Oleario*, in *Synops. Errorum Socinian.* sex illa communissima religionis naturalis capita, de Dei existentia, unitate, æternitate, perfecta justitia, sapientia, & potentia, pro articulis fundamentalibus Religionis Christianæ præcipuis habeant; quos solos de Deo, ejusque natura nosse, ad salutem sufficiat, quam in rem vide *Catech. Racov. cap. I. de Cognit. Dei*, nec non *Sacinum*, atque *Ostorod. in Institut. Relig. Christ.* non possunt non in simul facultatem tribuere gentilibus perveniendi ad salutem æternam per solum naturæ lumen, utpotè quod sex istos articulos clare, & perspicue proponit. Secuti in eo sunt *Socinianos Arminiani*; sic *Steph. Curcoll.* ait *Instit. Relig. Christ. L. VIII. c. 6.* posse gentiles etiam hodie in illis Regionibus viventes, in quas Evangelii prædicatio non penetravit, solius naturalis luminis ductu Deum colere, ita, ut hic ipsorum cultus ei placeat, & ita æternam salvi fiant, aut facti quondam sint. Eodem etiam collimant, quæ *Episcopus* habet *P. II. Disput. III. de Nat. Dei, & Limborch. Theol. Christ. L. II. c. 1.* Ex Calvinianis potissimum *Moses Amyrold* salutem æternam sine cognitione Christi possibilem statuit; uti *Maresus* refert in *Defens. Fidei Cathol. Dissert. III. Sect. I.* nec mirum,



rum, hanc opinionem aliquibus Calvinianorum ita probari, cum eorum dux, & conditor *Zwinglius* in *Expos. Fid. ad Regem Gallia Tom. II. Opera* non dubitet, *Aristidem, Socratem, Catones, Scipiones*, & quotquot inter ethnicos vitam cum probitate morali conjunctam egerunt, coelitam numero adscribere.

## §. VIII.

Atque hæc sunt, quæ de Lapsu Gentilium circa Naturalem Dei Notitiam conscribere, & hisce pagellis committere visum; Animus quidem erat, quartam etiam Sectionem adijcere, ac in ea Lapsum Gentilium circa Naturalem Operum Dei Notitiam ostendere; verum quia plurima, quæ huc referri poterant, in antecedentibus jam incidenter evoluta habentur, pedem hic figimus, & Divino Patrocinio, nec non Tuo, L. B. ulteriori favori ac benevolentia pie ac devote nos commendamus.

## DISSERTATIO VIII.

## DE

Officiis, quæ Jure imperfecto debentur.

## §. I.

**A**mbigua vox est Juris, cujus inscriptio meminit, sed ambiguitatem passim apud J. N. Scriptores enodatam legas. Nobis hoc loco qualitatem significat moralem ad accipiendum vel exigendum.

gendum aliquid. Quo sensu distinguitur jus in perfectum, & imperfectum. Perfectum est qualitas moralis, secundum quam nos alterum vel invitam ad quid exhibendum possumus adigere, & ipse ad idem plene est obligatus ex Lege aliqua, poenam definitam dictitante. Imperfectum est qualitas moralis, secundum quam idonei sumus ad recipiendum quid ab altero, non quidem ut ab invito id possit extorqueri, nisi forte urgente necessitate, sed ita tamen, ut alter idem ex virtute aliqua morali praestare teneatur; prout recte & eleganter utrumque jus definit *Pufend. de J. N. & G. L. I. C. I. §. 20. Add. Grotius de J. B. & P. L. I. C. I. §. 4 seqq. Molina de J. & J. Tom. I. Tract. I. Disp. II. n. 4. Suarez. Tract. de Leg. L. I. c. II. n. 5.* Hoc jus imperfectum, de quo nobis in praesenti sermo est, & obligatio imperfecta sibi opponuntur ut relatam & correlatum; qualis enim est obligatio ex parte unius ad actum praestandum, sive ea sit perfecta, sive imperfecta, tale etiam est jus ex parte alterius ad eundem exigendum. Sic paterfamilias ex obligatione perfecta operario a se conducto mercedem solvere tenetur: unde est, quod & in hoc jus perfectum illum requirendi nascatur. Contra ad erogationem elemosynarum nonnisi imperfecte adstringimur: unde nec mendicus aliud, quam jus imperfectum, hic praetendere potest. Ex quo conficitur, officia, ex obligatione imperfecta, & jure imperfecto debita, plane coincidere, nisi quod ista ad dan-

dantem, hzc ad accipientem potiore[m] involvant respectum.

## §. II.

Cum Jure Imperfecto non confundenda est Lex imperfecta, quam geminam alias faciunt, unam, quæ sanctione caret, & pœnam non irrogat ei, qui Legem transgressus est; de qua *Ba- gler, atque Ziegl. in Grot. L. II. C. V. §. 10. & Macrob. in Somn. Scip. circa fin.* Scilicet cum duæ sint essentielles cujusvis Legis perfectæ partes; definitiva, quæ mentem Legislatoris exponit, quidve faciendum, vel omittendum sit, declarat, & vindicativa, sanctio pœnalis dicta, quæ de pœna transgressori statuta testatur; quare si alterutra pars vel requisitum, sanctio maxime pœnalis, in Lege desideretur, imperfecta audit. Cujusmodi imperfectionis vulgo arguunt Legem Valeriam, de qua *Livius L. X. C. IX. Valeria Lex cum eum, qui provocasset, virgis cedi; securique necari vetuisset; si quis adversus ea fecisset, nihil ultra, quam improbe factum, adjecit, id quod tum pudor hominum erat, visum credo vinculum satis validum Legis, nunc vix serio ita mine- tur quisquam.* Addit *Pufend. ex Diod. Sic. L. XII. C. XX.* Legem Zaleuci, qua cautum erat, ne quis Civium implacabili inimicum odio persequeretur, sed ita inimicitias cum illo susciperet, tanquam brevi in gratiam cum eodem & amicitiam rediturus. Si quis autem secus fecisset, pro inimicis ferocisque ingenii homine censeretur.

Quam-

Quamvis ne in his quidem & alijs eodem exemplo descriptis Legibus antiquioribus omnis sanctio poenalis cessare videatur, sed infamia & estimationis diminutio ex earundem neglectu contracta poenae loco haberi debeat; iudice eodem Viro Illustri *de Jur. Nat. & Gent. L. I. c. VI. §. 24.* Alteram Legis imperfectae speciem Grotius ex Ulpiano describit, *quod fieri quid vetet, sed factum non rescindat, de J. B. & P. L. II. C. V. §. 16. n. 1.* Vetare enim & irritum quid facere, sunt omnino distinctissima, neque sibi invicem semper respondent. Certe si mulier intra annum luctus spatium ad secundas nuptias transeat, facit, quod Lege positiva prohibitum est, actus tamen matrimonialis perstat, nec dissolvitur; utut vel maxime haec praepropera & intempestiva festinatio poena arbitraria coerceri soleat. Sic Lege pariter & Constitutione ecclesiastica sancitum est, ne personae matrimonium consummaturae ab alio, quam suae religionis Pastore copulam, & benedictionem sacerdotalem exigant. Si qui tamen ex desponsatis istud interdictum neglexerint, hoc quidem ipsis in crimen & poenam cedit, ceterum nulla matrimonii dissolutio metuenda. Causa vero, cur ejusmodi actus, cum Lege pugnans, non rescindatur, vel pro irrito declaretur, haec subest, quia ista pugna & *avopía* non substantialia, sed accidentalia concernit; ideo ad praecavenda majora, quae rescissionem secutura erant, incommoda, actus quidem ratus habetur, interim, ut Legi sua

vis

vis atque auctoritas constet, multa, quod peccatum est, expiari debet. Aliam adhuc Legis imperfectæ speciem affert *Alb. Bolognet. de Leg. Jur. & Equit. C. XXIX.* ubi scriptas Leges duabus imperfectionibus laborare asserit, quarum altera volentibus Legislatoibus, altera invitis illis, contingat. Volentibus, cum generatim aliquid decernant, & ea potissimum spectent, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον fiant & frequentius, non vero, quæ ἐκ παλαιότητος & perraro eveniant; inde quoque profuere, quod Leges illæ, universaliter ita conceptæ, sæpius interpretatione sint coangustandæ. Invis Legislatoribus imperfectionem, quæ obveniat, eam dicit, si aliquid propter humani ingeni imbecillitatem ipsorum Legislatorum memoriam effugiat, quod Idcirco imprudenter omittant, cum tamen maximopere exprimendum fuisset, ut ita verba Legis interpretationibus sint explenda. At rigorosus nimis Legum Censor *Bolognetus* videtur. Si enim omnes istæ Leges, qua circumstantias quasvis ac individuos & singulares rerum eventus non determinant, imperfectæ sint dicendæ, nulla prorsus fere invenietur perfecta, ne quidem in Legibus naturalibus; quia & hæ specialiores casus, ob nimiam & pene infinitam rerum obvenientium varietatem, raro attingunt, sed subinde ulteriori explicatione & interpretatione opus habent. Rectius in classem Legum imperfectarum retuleris Leges injustas, propterea quod hæ bonitate legali

gali, & virtute obligandi, atque adeo insigni perfectione, destituantur. Sed facile apparet, quicumque etiam Legis imperfectae significatus ex altis attendatur, jus imperfectum, a nobis intentum, & superius descriptum, longo ab eodem distare intervallo. Quibus ita praemissis, sine mora in rem praesentem venimus, & ad officia, quae imperfecte debentur, explicanda progredimur.

§. III.

Dicuntur autem nobis officia jure imperfecto debita, quae conscientiam tantum stringunt, & solo pudore, ac reverentia Numinis constant, ceterum nec vi bellica in statu naturali, nec actione forensi in statu Civili extorqueri possunt. Cum e contrario ad officia ex obligatione & jure perfecto debita, homo & in conscientia teneatur, & per vim ab altero compelli queat.

§. IV.

Causam, cur alia nobis perfecte, alia imperfecte debeantur, *Pufendorfius* inter eos, qui in naturali libertate vivunt, disparitatem praceptorum J. N. recte constituit, quorum alia ad esse, alia dumtaxat ad bene esse societatis faciant, ut ita cum minus necessarium sit, haec, quam illa, alteri exhiberi, rationis quoque sit, illa, quam haec, rigidior esse modo exigi. Verum in civitatibus, originem discriminis illius ex Legibus Civilibus, actionem dantibus, aut non dantibus, derivandam judicat, de J. N. & G. L. I. C. VII. §. 7. Alii aliam ingressi viam punctum hic omne in pactis quaerunt,

Ff

runt,

runt, & in illis quidem actibus, qui pacto aliquo firmantur, jus perfectum admittunt, in iis vero, qui eodem destituuntur, jus nonnisi imperfectum. At hi causam tantum inadæquatam adducere, & jus perfectum angustioribus, quam rei natura poscit, terminis circumscribere videtur. Sæpius enim facultas perfecte quiddam exigendi nobis competit, utut nullum specialius interveniat pactum. Id quod in statu naturali maxime conspicuum est, ubi si unus alterum quocunque modo præter culpam læserit, læsus hoc ipso jus perfectum satisfactionem, & damni illati compensationem urgendi consequitur, utut nullo forte peculiari pacto antea juncti fuerint. Facile interim largimur, magnam in societate humana pactorum esse necessitatem; cum enim non omnes ea facilitate, & ingenii bonitate sint præditi, ut sua sponte, quod rogantur, & aliis proficuum cernunt, ex obligatione imperfecta concedant, arctius utique sunt adstringendi, ut postea vel invitæ, ad quod semel se obligarunt, præstare cogantur, idque beneficio pactorum, & contractuum quam felicissime obtinetur. Utrum vero pacta etiam in statu integritatis aliquem locum fuerint habitura, curiosus alias disputatur. Nos, si omnino & hic, ὡς ἐν παράδῳ, aliquid reponere licet, distingvendum putamus, inter pacta mere naturalia, quæ ab homine, qua tali, profecta, solo Jure N. nituntur, & accessoria, seu mixta, quæ Jus Gentium vel Civile pro norma & principio agnoscunt. Prioris generis

ris pacta hominibus, in statu primævo degentibus, eò ipso, quod homines essent, denegari non poterant; quod vel solum pactum matrimoniale comprobatur. Maritum certe conjugi, quam semel duxisset, aliam superinducere, nefas erat, docente Salvatore nostro *Matth. XIX, 9.* Quare maritum inter & uxorem tacitum minimum de servanda fide conjugali pactum intercesserit, necesse est. Quod vero pacta & contractus, ex Jure Gentium, vel Civili, promanantes, attinet, isti utique, ob deficientem utriusque Juris, tum plane nondum existentis, obligationem, cessare debebant. Unde nullus emtioni, aut venditioni, locationi, aut conductioni, vel etiam permutationi locus; quin potius perpetua, & liberalissima ubivis obtinisset communicatio, adeo, ut propter hunc actum liberalitatis universalem ac perpetuum haud opus fuisset illis justitiæ commutativæ adminiculis, ad pondus quasi aut mensuram exquisitè prius expendendis, ut loquitur *B. Alberti, Compend. J. N. P. II. C. IX. §. 2.*

§. V.

Officia imperfecte debita vel absque labore, & insigni molestia nostra, vel cum impensa, & opera laboriosa præstantur; ista vulgaris humanitatis, hæc beneficii nomine insigniuntur. Sunt autem pro varietate rerum, quæ ad vitam hanc commode & tranquille transigendam faciunt, varia, ac pene innumera, quæ tamen omnia commune illud ac omnes, quotquot membra societa-



tis humanæ se profitentur, æqualiter obligans præ-  
 ceptum regit, ac moderatur: *Alterius commodum  
 atque utilitatem, quantum per te licet, promove.*  
*Conf. Pufend. de O. H. & C. L. I. C. VIII. §. 1.*  
 Neque enim sufficit, a damno, & injusta læsione  
 alterius quocunque modo abstinuisse. *Parum est,  
 nemini nocere, nisi studeas, multis prodesse, Au-*  
*gustin. L. XIX. de Civit. Dei, c. 14.* Talia quoque  
 alius sunt exhibenda, quæ eorundem animos, &  
 studia nobis concilient. *Alius re, alius fide, alius  
 gratia, alius consilio, alius præceptis selectioribus  
 adjuvandus. Seneca L. I. de Benef. c. 2. Cer-*  
*tandum officiis, ac velut in medio omnes utilita-*  
*tes ponenda, ut vel studio, vel pecunia, vel opi-*  
*bis alter alterum sublevet. Ambros. L. I. offic.*  
*c. 28.* Quippe vix arctius societatis humanæ viu-  
 culum datur, quam mutuum & reciprocum bene-  
 facendi studium. Præclare Cicero: *Magna illa  
 communitas est, quæ conficitur ex beneficiis utro-*  
*citroque natis, acceptisque, quæ mutua & gratia*  
*dum sunt, inter quos ea sunt, firma devincuntur*  
*societate, de Offic. L. I. c. 17.* unde Cyrus  
 apud Xenoph. *Καὶ πλατίζων, καὶ εὐεργετῶν ἀν-*  
*θρώπων, εὐνοίαν ἐξ αὐτῶν κτῶμα καὶ Φιλίαν,*  
*καὶ ἐκ τούτων καρπεύμα ἀσφάλειαν, καὶ εὐκλει-*  
*αν, ἃ ὅτε κατασῆπεται, ὅτε ὑπερπληρῶντα λυ-*  
*μαίνεται.* *Divitiis homines & beneficiis profe-*  
*quens, ex iis benevolentiam, & amicitiam mihi*  
*comparo; ex iis vero fructus mihi sit securitas,*

*Et bona fama, quae neque marcescunt, neque quo plura sunt, corrumpuntur. Cyropad. L. VIII.*

§. VI.

Si quis tamen omnino officia, quae imperfecte debebat, deneget, non tam injustitiae, quam inhumanitatis arguendus erit. Quippe injustitia, vel actio injusta stricte talis laesionem juris perfecti, in altero existentis, infert. Conf. *Hedinger. Jurispr. Nat. Part. II. Sect. III. Tit. II.* Quare si illud, quod exigendi alter jus imperfectum habuit, permittere nolis, non quidem injustus, durus tamen, morosus, & inhumanus audies. Namque ut impendio malignus fit, dicente *Erasmo*, qui fontem scatentem obtegit, aut solem obradiantem prohibet, aut lumen recusat de suo lumine accendere, aut viam monstrare gravatur: Ita vehementer fit inhumanus, qui cum possit, citra ullum suum incommodum prodesse nolit. Cujus farinae homines tamen non paucos deprehendas, qui Jure aliorum imperfecto abutentes, nequidem res innoxiae utilitatis aequo animo iisdem concedant, quasi extra societatem humanam constituti, sibi, non aliis, essent nati. *ἈΦαιρῦντες καὶ Χρῶμενοι, ἀλγῶσι, ὡς περ ἀπὸ τῶν σαρκῶν ἀΦαιρέμενοι.* *Auferentes aliquid de rebus suis, Et in usum conferentes tam dolent, quam si de corpore ipsis adimeretur; ut est apud Stob. Serm. X. & Arist. L. IV. Eth. C. 3.*

§. VII.

Manifestum interim est, posse aliquem ex Legge

justitiæ universalis, atque adeo in conscientia, ad actum obligari, ut tamen jus in alio, plenum puta & perfectum, quale non nisi ex justitia particulari provenit, non ponatur; id quod actus charitatis, & promissa potissimum gratuita evidenter ad oculum demonstrant. Qui enim rem nude, & gratis, vel ut alii loquuntur, imperfecte, & fide simplici promittit, ita se non obligatum cupit, ut alter jus sibi vindicet, vi, & imploratione Judicis eandem extorquendi, sed suam in agendo libertatem sibi reservat; utut vel maxime morali vinculo constringatur, & voluntatem, si gravis & constantis viri nomen pro dignitate tueri velit, immutare nequeat. Cujusmodi promissa a Patronis fiunt clientibus; unde si isti paulo duriores postea se præbeant, & in eo, quod se promte & benigne facturos polliciti sunt, perseverare nolint, his non ad vim ἀναγκαστικήν, sed ad preces solummodo, literas supplices, & submissas ac tempestivas admonitiones confugiendum; cum alias, si rem vi & impetu tractent, non beneficium, sed debitum postulare videri possint. Quippe *beneficii loco haberi non potest, quod ex debito defertur*, Quintil. ait *Declam. VIII.* Et *Seneca* illud demum verum beneficium dicit, *quod quis dedit, cum illi liceret & non dare. L. III. de Benef. c. 19.* Ubi tamen a promissione simplici, & imperfecta probe discernenda est nuda assertio, qua quis testatur de animo, quo nunc est, & spem alteri facit, posse fieri, ut aliquando rem ipsi vel donet, vel vendat.

Vid.

Vid. *Grot. de J. B. & P. L. II, C. XI. §. 2. & Velt-  
hem. in Not. & Observat. ad l. c.* Hæc enim nu-  
da & simplex mentis declaratio ne quidem imper-  
fectam obligationem in afferente producit; nam-  
que nihil cœu indubium affirmat, sed animi sensa  
de futuris simpliciter exponit, ut tamen liberta-  
tem etiam aliter agendi, & mentem pro re nata  
mutandi retineat. Quare si res aliter, quam  
optabas, ceciderit, non habes, cur de injuria il-  
lata multum conqueraris, vel indignæ levitatis, &  
inconstantiæ alterum temere accuses; præcipue  
cum non omnis mutatio vitio verti possit. Quia  
*animus humanus non tantum habet natura-  
lem potentiam mutandi consilium, sed & jus,*  
ut recte ait *Grot. l. c.* id est, interprete Henninge,  
*Non tantum potest quis de facta consilium, de quo  
semel cogitare cepit, mutare ex aliis rationibus,  
sed optimo jure hoc licet, & si in mutatione sen-  
tentia vitium sit aliquod, quod sit, quando pri-  
or sententia erat melior, id non est intrinsecum  
mutationi, sed provenit ex materia, quod prius  
consilium erat melius, cui non substitui debuisset  
deterius aliquod.*

§. VIII.

Nonnunquam evenire solet, ut officia, quæ  
alter imperfecte debebat, jure perfecto, & per vim  
extorqueantur, quoties scilicet extrema, & inelu-  
ctabilis accedit necessitas. In qua tamen, si locum  
invenire debeat, tria ut concurrant, requiritur.  
Primo, ut is, qui ejusmodi officium expetit, abs-

que ejus consecutione vitam sit amissurus. Secundo, ut spe & facultate ab aliis, quod postulat, impetrandi destituatur. Tertio, ut is, a quo officium exigitur, non sit in iisdem angustiis, & parâ necessitate constitutus. Vid. *Dn. Thomas, Jurispr. Divin. L. II. C. V. §. 21.* & *Dn. Ryffel, de J. N. & G. C. XII. §. 32.* Ita si classis in regionem longe distantem cursum dirigat, & in itinere aquæ vel commeatus penûria laboret, eandemque a genti hitori accola gratis vel pretio sublevare cupiat, hæc vero absque ratione pertinaciter deneget, vi potest adigi, ut quod antea humanitatis erat, postea sit necessitatis. Namque *necessitas arbitrium tollit*, *Seneca* inquit, *II. de Benef. c. 18.* & *Publii Syri Mimus: Necessitas, quod postulat, ni das, eripit.* Ais: Ablationem hanc violentam, quæ invito domino fiat, furti & rapinæ speciem habere? At non omnis ablatio rei alienæ, invito & dissentiente domino, furtum statim, vel latrocinium dicenda, alias etiam direptio, & spoliatio civium hostilium, in bello legitimo, jussu & auctoritate Principis, suscepta, eodem titulo notari deberet, quod nemo sanæ mentis dixerit. Quare videndum, utrum jure prohibendi alter gaudeat, nec ne; si prius, abstinendum a bonis alienis; si posterius, omnis iniquitas cessat, & dissensus, quod mera negatione, & voluntatis inhumanius obluquantis repugnantia nitatur, pro consensu habendus; idque in præfenti etiam casu obtinet. Quippe Deus in distribuendis dominiis, & proprietatibus rerum salutem societatis

cietatis maxime intendisse praesumitur; si quis vero hoc domini jure eo abutatur, ut ne quidem res innoxiae utilitatis, vel modicum ex bonis, quibus abundat, alteri de vita periclitanti concedere, eundemque praesentissimo mortis periculo eripere velit, quidni cogi, & per vim compelli queat, ut illud invito, ad quod naturaliter & ex regula charitatis adstringitur, permittat? Cujus rei rationes, quamvis ex diversis principiis, prolixius exponunt: *Hug. Grot. de Jur. Bell. & Pac. L. II. C. II. §. 6. Civil. Grot. de Princ. J. N. C. XIII. §. 10. Pufend. de J. N. & G. L. II. C. VI. §. 5. Less. de J. & J. L. II. C. XII. Dicast. L. II. de J. & J. Tract. II. Diss. IV. Dub. 9.*

§. IX.

Medium violentiae exactionis, ubi summa urget necessitas, in statu naturali est bellum, in statu Civili sola Magistratus vel Judicis imploratio, adeo, ut criminis loco haberi soleat, quicquam ausu propria in civitatibus tentasse. Si enim ne his quidem in rebus, quae ex Jure alias perfecto debentur, violenta a cive remedia, absque praevio Superiorum consensu, impune adhiberi possunt, quanto minus illud circa actus imperfecto debitos licebit? Quare ad Magistratum hic unice confugiendum, qui pro ea, qua pollet, facultate, & vi coactiva, obligationem naturalem, & imperfectam, ponderatis rite circumstantiis, in perfectam mutare, & necessitatem refractariis ad exercendos istiusmodi actus imponere licite potest. Id quod

inter Hebræos sapius factum esse, *Seldenus refert de J. N. & G. L. VI. C. VI.*

## §. X.

Quodsi vero cum hostibus patriæ nobis res sit, tantum abest, ut obligatio imperfecta officia quædam præstandi in perfectam transeat, ut potius res etiam innoxie, quas diximus, utilitatis, & quarum abundantia circumfluimus, juste illis & dene-  
gentur, & subtrahantur. Quippe hostis, rupto semel pacis & amicitie vinculo, jus alteri in infinitum sibi nocendi tacite concedit, ut quovis modo, aperto Marte, & per insidias, atteri & debellari queat. Unde non infima Ducis in eo gloria ponitur, si armæ, naves, pecunias, commeatus, fruges, & quicquid alendis copiis hostilibus inservit, callide vel intercipiat, vel perdat, vel absumat, imo si fieri possit, aqua & igni interdicit. Quæ tamen in hostem licentia non eo usque est extendenda, ut fidem quoque eidem datam sub se comprehendat. Hæc enim ceu. unicum componendis motibus bellicis, ac restituentæ paci & tranquillitati publicæ remedium, ex obligatione perfecta, sancte semper tuenda, adeo, ut graviter in Jus Naturæ & Gentium peccent, & detestandum perfidiæ crimen incurrant, quotquot vel latum unguem a pacis religionis discedunt, & ex ancipiti temporum mutatione pendunt. Qualem nobis *Hannibalem*, Carthaginensium imperatorem, *Val. Maximus* describit: *Bellum adversus Populum Romanum & Italianam professus, adver-*

*adversus ipsam fidem acrius gessit, mendaciis & fallacia, quasi praclaris artibus, gaudens; quo evenit, ut alioqui insignem sui memoriam relicturus, in dubio, majorne vir, an peior haberi deberet, poneret. L. IX. C. VI.*

§. XI.

Mitius cum hoste privato agendum, quem beneficiis, & multis actibus charitatis onerasse, & generosum, & in Christiano, ex monito Salvatoris, omnino necessarium. Quia omnis officiorum imperfecte debitorum subtractio nimiam animi acerbiteriam, & vindictae privatae, quam etiam naturalis ratio dissuadet, cupiditatem spirat. *Henniges* equidem *Comment. in Grot. L. II. C. XX. §. 8.* dubitat, imo tandem audacter negat, vindictam privatam Jure N. esse prohibitam, sed pro re indifferente habet, de qua Jus N. in neutram partem disponat. Ait enim *l. c.* *Se nullam hic deprehendere intrinsecam malitiam & moralem pravitatem, si quis privatus id sibi tribuat, quod apud Judicem consequi possit, nisi quod Lege & sanctione civili sit interdictum.* Hinc *Zieglerum & Struvium* a se in eo dissentientes, prolixè & satis acerbe confutat. Enimvero fluit hic *Hennigis* error ex falso principio, ac si darentur actiones per se & intrinsece bonae, aut malae, antecedenter ad voluntatem Dei, cujus contrarium accuratissimi J. N. Scriptores dudum evicerunt, ostendendo, in eruenda & determinanda moralitate non ad intrinsecam actionis bonitatem vel malitiam, qualis nulla datur, sed



sed ad solam voluntatem Dei & Legem socialitatis recurrendum. Sic ut ea dicantur Juris Naturæ vel præceptivi, vel prohibitivi, quæ necessariam vel convenientiam, vel disconvenientiam cum natura & conditione humana involvant. Qua stante hypothese, absque negotio demonstrabimus, multum obesse salutis socialitatis vindictam privatam, & propterea interdictam esse Jure Naturali. Si enim cuius promiscue integrum foret, jus suum propria autoritate persequi, & injuriam, qua vellet, pœna ulcisci, omnis certe in puniendo æquitas cessaret, potentissimus & robustissimus quisque debiliorem, ob leve sæpius delictum, opprimeret, & injustitiæ, ac vagæ libidini, fores latissime panderentur. Siquidem pauci ita sui sunt compotes, ut recenti potissimum dolore, offensæ vel ignoscant, vel ultionem ex æquo injuriæ respondentem de hoste sumant; quin potius major pars, quanto per vires licet, malo lædentem affligere, & hoc ipso animum exacerbatum, & vindictæ cupidam, explere satagit. Quare ad minuendas dissensiones, & injustæ oppressi-  
onis querelas, præceptum J. N. non quidem absolutum, sed hypotheticum, præsupponens statum imperantium & parentium, enascitur: Causam & litem ad Magistratum, qui a studio partium alienus habetur, deferendam esse, ut secundum juris & æqui rationem eandem decidat, & læso ita satisfiat. Cæterum *Henniges*, ut vindictam privatam æquitate naturali suffultam & firmatam probaret, ad patresfamilias, qui ante introductas civitates fami-

familias praefuerint, inter alia provocat. Hos, dicit, personas fuisse privatas, tamen scelera domesticorum, vel injuriam sibi suisque ab externis illatam propria autoritate, ex suo ipsorummet arbitrio, vindicasse, nec quicquam vitii in hac vindicta, utut a privatis profecta, inesse. Hic vero miramur, viro, cujus tantum alias in rebus subtiliter perspiciendis & dijudicandis acumen, in mentem venire potuisse, ut patresfamilias, quibus ipse independentem & plane regiam in suos potestatem, antequam in civitates familiae coirent, tribuit, ad privatorum sortem deprimere, atque adeo mere privatam eorundem vindictam dicere sustinuerit. De summo certe & eminentissimo ipsorum imperio hic ipse verbis Auctor l. c. p. 843. loquitur: *Quod Principibus in subditos & externos juris est, idem familiis independentibus competit. Quippe familiae suae Dominus non tantum ei ad libitum tanquam Rex imperat, sed & tuetur, fovet, jus dicit, & omnes omnino actiones, quas Majestas in civitate expediret, vi potestatis domesticae, in domo exercet. Si quando liberi inter se, si cum matre aut servis litigia habent, ille ut legitimus judex decidit, & criminosos rapit ad supplicia, si externa vi familia damnum patitur, res repetitum mittit, non datas vero persequitur, quod licite tam contra Resp. quam alios patresf. gerere potest. Summa, quod Regi in civitate, & extra eam, licet, hoc idem patrif. in domo, & contra eam. Quid ergo? num eos, qui Superiorem*

in

in his terris non agnoscunt, & omnia Majestatis jura exercent, personas non publicas, sed privatas nuncupabimus? Sic vero & summi imperantes, hac nostra ætate, splendido isto titulo carebunt, & in eundem cum subditis censum venient. Absurdum! Frustra excipit *Henniges*: *Reges & Resp. quia gentes sint, & Jure Gentium utantur, personas utique publicas esse vocandas, & propterea earum quoque vindictam esse publicam. Patres vero familias, itemque homines alios ἀπολίτας, quoniam in gentium censum, & dignitatem non sint adscripti, privatum conditionem sustinere.* Unde enim, quæso probabit, initium conditionis publicæ & privatæ ad originem Juris Gentium & civitatum præcise referendam esse? Imo vero tum statim illud discrimen obtinuisse censendum, ubi quis ab omni potestate humana exemptus alios sibi subjecisset, iisdemque ceu absolutus & supremus Dominus imperasset. Rectius itaque in familiis primorum temporum independentibus, patresfam. tanquam imperantes, personas publicas, & subjectos domesticos, tanquam parentes, personas privatas diceres. Ex quo postea & illud colligitur, poenam, quæ tum a patrefam. infligeretur, pro publica vindicta, & illam demum ultionem, quam domesticus, patref. a cujus nutu & autoritate pendebat, incio & inconsulto, exegisset, pro privata & Juri Nat. adversa vindicta fuisse habendam. Plura *Henniges*, quibus sententiam incrustet, in operosa & multis paginis absoluta demonstratione

cu-

cutnulat, quæ tamen, brevitatis gratia, nos hic  
 examinare superfedemus. Mirum interim & sin-  
 gularem Viri de vindicta publica & privata conce-  
 ptum ex utriusque definitione, quam subjiciemus,  
 intelliges. Ita vero ille *L. c. p. 832.* Vindicta pu-  
 blica est *illatio mali passionis, ob matum actionis,*  
*facta ab eo, qui majestatem habet, contra eum,*  
*qui itidem imperio civili gaudet.* Vindicta pri-  
 vata est, *qua patresfamilias, aut ii, qui sub nul-*  
*lius imperio sunt, inter se utuntur.* Quis autem  
 has descriptiones ferat, ut vel vindictam publicam  
 erga eos tantum, qui majestatem & imperium ci-  
 vile habent, exerceri posse asserat, vel privatam  
 inter eos, qui nullius imperio subsunt, admit-  
 tat? Imo quia nullius imperio subsunt, vindicta  
 illa non est privata, sed publica. Et ad quam  
 speciem *Henniges* vindictam, qua privatus priva-  
 tum persequitur, referet? Non sane ad publicam,  
 quod manifestum, sed nec privatam, quia hanc, stylo  
 quodam novo & Doctoribus inusitato, ad eos, qui  
 nullius imperio subjecti sunt, trahit. Ergo ad nullam?  
 "ΑΤΟΠΟΥ! Sed his diutius immorari, quid attinet,  
 & quam longum est? Ad aliam potius, quæ ma-  
 joris est momenti, & instituto nostro magis ac-  
 commodata, questionem convertimur.

§. XII.

Quæritur? Num Deo etiam aliquid ex jure  
 tantum imperfecto debeamus? Affirmativa Ponti-  
 ficis probatur, qui prætendunt, dari actus, non  
 a Deo absolute & simpliciter præceptos, sed sal-  
 tem

tem commendatos, sub spe tamen & promissione amplissimi cujusdam præmii, quorum observatio-  
 ne, cum nonnisi imperfecte obligent, homo ad  
 supremum perfectionis humanæ apicem & fastigi-  
 um ascendat. Et hos actus Consilia Evangelica  
 speciose appellant, quorum descriptionem ipse *Bel-  
 larminus*, Princeps & Promachus Romanensium,  
*L. II. de Monach. c. 7.* exhibet, ubi consilium de-  
 finit, quod sit opus bonum, a Christo nobis non  
 imperatum, sed demonstratum, non manda-  
 tum, sed commendatum. Differre autem,  
 ait, a præcepto ex parte materiæ, quia materia  
 præcepti bona sit, consilii melior & perfectior. Ex  
 parte subjecti, quod præceptum commune sit omni-  
 bus, consilium non item. Ex parte formæ, quod præ-  
 ceptum vi sua obliget, consilium in arbitrio hominis  
 positum sit. Ex parte finis, quod præceptum obser-  
 vatum habeat præmium, non observatum poenam,  
 consilium autem, si servetur, majus habeat præmi-  
 um. Subscribit in eo, ut in multis aliis, Papistarum  
 sententiæ *Hug. Grotius*, qui a præceptis declinare,  
 nefas & poenæ obnoxium dicit, ad summa vero  
 contendere, generosi esse consilii. Vide *de J. B. &  
 P. Proleg. §. 50. L. I. C. II. §. 11. n. 4. & §. VI. n.  
 2. 3.* aliave complura loca, in quibus passim con-  
 silia præceptis contradistincta legas. At non pot-  
 est stare cura analogia fidei hoc assertum, quod  
 præcal dubio primam debet originem falsæ de  
 Christo novo Legislatore & discrimine veteris ac  
 novæ Legis hypothese, quam ubi semel hausis-  
 sent

sent adversarii, facile adduci poterant, ut itatum quendam perfectionis, quo actus, imperfecte tantum obligantes, exerceri, & his ipsis singularis prerogativa, & certissima merces impetrari possit, sibi imaginarentur. Largimur equidem, insignem & notabilem in politicis consilium inter & praecipuum differentiam intercedere, quam *Hobbes de Cive, Cap. XIV. §. 1.* his verbis eleganter exponit: *Lex ejus est, qui potestatem habet in eos, quibus praecipit: Consilium ejus, qui potestatem non habet. Facere id, quod Lege praecipitur, officii, quod consilio, arbitrii est. Consilium dirigitur ad finem ejus, cui praecipitur: Lex autem ad finem ejus, qui praecipit. Consilium non nisi volentibus datur: Lex etiam nolentibus. Denique jus Consiliarii tollitur arbitrio ejus, cui consilium dat: Jus Legislatoris non tollitur arbitrio ejus, cui imponitur Lex.* Negamus veto, eandem praecipit & consilii diversitatem ad forum quoque Divinum sensu Papistico trahi posse. Nam quod Deus consulit, idem pro imperio praecipit, ut perfecte quemvis obliget. Nec opus est specialioribus consiliis, quicquid enim ardui vel honesti in circo virtutum continetur, illud omne ad Legem moralem, cujus perfecta nobis obligatio incumbit, referendum. Quare adimpleat prius homo Legem, & istum perfectionis gradum, quem praescribit, attingat, & tum demum ad majora, & altiora adspiret, sed inanis & irritus erit conatus; cum omnis excellentia, & operum nostrorum di-

Gg

gnitas,

gnitas, quantacunque videatur, longe inferior sit, quam ut rigori Legis Mosaicæ aliqua saltem ex parte respondere possit. Quis ergo tantum sibi temere sumat, ut quicumque se Deo ex obligatione tantum imperfecta debere, profiteatur. Concedunt interim Theologi, si consilia referantur ad actus indifferentes, divinitus nec præceptos, nec prohibitos, quale fuit illud Apostoli, coelibatibus, quorum ætas in duriora belli tempora incidere, svadentis, sano in sensu admitti posse. Eiusmodi enim actus, quod rem adiaphoram concernunt, utique saltem imperfecte obligant, ut in a-niuscujusque potestate, & libero arbitrio sit constitutum, velitne eos exercere, nec ne. Ubi tamen nec omissio cum pœna, nec observatio cum præmio vel merito aliquo conjuncta est. Confer. *B. Chemnit. Part. II. Loc. Theol. C. I. de Discrim. Præcept. & Consil. B. Gerhard. Loc. de Evang. B. Kromayer. Theol. Pos. Pol. Art. 13, 14. Gro-tium ex Commentatoribus castigant Osiander & Ziegl. ad l. c.*

## §. XIII.

Quemadmodum vero indubiæ veritatis est, nihil a nobis Deo præstari, quod non ex Jure perfecto ipsi debeamus: Ita si Deus e contrario quicumque boni in nosmet confert, ad illud ne quidem imperfecte, nedum perfecte, tenetur, sed puræ putæ gratiæ ac benignitati Divinæ tribuendum. Deus equidem omnis generis pacta & fœdera nobiscum sanxit, quorum rationem *Pufendorfius* exhibet

hibet in elegantissimo libello *de Jure Feicali Divino*; unde forte quis obligationem, minimum imperfectam, ad ea, de quibus convenit, implenda, in eodem colligat. Enimvero hæc pacta sunt *Μονόπλευρα*, quæ in hominibus quidem absolutum urgent obsequium, Deum autem, tanquam ex vi obligationis extrinsecus accedentis, nequaquam stringunt. Interim, quod semel pactus est, religiose servat, idque ob immutabilem justitiam, & veracitatem suam, per quam non potest non promissis & conventis stare. Neque tamen hoc ipso libertati Divinæ quicquam decedit, quod *Feldenus* existimat, notatus eo nomine a laudat. *Ossandro in Observ. Gros. L. II. C. XI. Tb. 4.* Causam, cur obligatio, quæ Jus in nobis vel perfectum, vel imperfectum generet, ex parte Dei non detur, recte *Grotius* absolutum, supremum, & nullis Legibus limitatum in omnes dominium constituit; quod tamen ita adstruendum, ne nimia ejus extensione bonitati ac justitiæ Divinæ quicquam detrahatur. A quo crimine ægre se liberabunt, quotquot vel ex Pontificiis, cum *Vasquezio, Lorino, Svarezio*, & aliis Scholæ Doctoribus, vel ex Calvinianis cum *Mose Amyraldo, Tract. de Prædest. C. IV.* tradunt: *Deum in continenti, ex quo hominem creavit, ad inferos & orbem eum relegare potuisse, nullo respectu habito actionum ejus bonarum, aut malarum, ad ostendendum supremum imperium, quod habeat super omnes res creatas, nullis terminis & limitibus circumscriptum*



ptum. Quod dogma horrendum pronuntiat *Corn. Janf. Tom. 2. de Doctr. August. L. III. C. I.* Ex Nōstris illud fusius ostendit *B. Hülsem. Brev. Loc. de Creat. Tb. I.*

## §. XIV.

Coronidis vice notamus, unumquemque ex Lege humanitatis obstrictum esse, ut officia ex obligatione tantum imperfecta, sibi ab aliis exhibita, grato excipiat animo, & si forte per sortem duriolem, vel præcisam remunerandi facultatem par pari referre nequeat, nihil tamen in voluntate, ac inserviendi promptitudine desiderari patiatur. Quippe nihil magis magnorum Virorum munificentiam, & benignitatem provocat, quam benefactorum memoria, & gratæ mentis significatio, quem præcipuum liberalitatis fructum ferunt. Facit huc illud *Sophoclis in Aj. Flag.* Ἄνδρι τοι χρεῶν μνήμην προσεῖναι, τερπνὸν εἰπίης πάθοι, χάρις χάριν γὰρ ἐστὶν ἢ τίτιστο' αἰεὶ, ἕτε δ' ἀπορρεῖ μνήσις. εὖ πεπονθότῳ, εἰ ἂν γένοιτο παθ' ἕτος εὐγενὴς ἀνὴρ. Si quis tamen omnino tam horridis & incultis moribus sit, ut referendæ gratiæ obliviscatur, nihilominus nec bello in statu naturali, nec actione in statu civili, ad officium, & saniolem mentem reduci, & compelli potest. Quia gratitudo pariter ad actus nonnisi imperfecte debitos, & cujusvis pudori relictos, pertinet, ut adeo, & omittatur, inhumanitatem quidem & impudentiam, minus autem injuriam, ac injustitiam stricte talem arguat. Addit cordate *Wendel. Phil. Mor.*

G. XXXVI.

C. XXXVI, §. 5. Optimam beneficii partem perituram, si actio, sicut certæ pecuniæ, aut ex conducto, aut ex locato detur; quinimo huic uni Legi omnia fora ob litium varietatem vix suffectura; & cum alias res honestissima sit, referre gratiam, desituram esse honestam, si necessaria sit, non enim magis laudatum iri gratum hominem, quam eum, qui depositum reddiderit, aut quod debeat, extra iudicem solverit. Plures rationes ex *Seneca* potissimum *Libro de Benef.* excerptas idem *Wendel. l. c.* exhibet. Priscis equidem Macedonum, Persarum, atque Atheniensium Legibus hominem quoque ἀχαριστὰς reum in jus vocari potuisse, *Xenoph.* refert *I. Pad.* cui adde *Themist. Orat. de Amicit.* & *Liban. in Declam.* At non videntur istæ gentes ingratitude nudam, & simplicem pœnis eœrcuisse, sed prægnantem & eminentiorem, qualis hodiequm actionem parit, vel potius jam competentem magis aggravat. *Conf. Thomaf. Jurisprud. Div. L. II. C. V. §. 54. 55.* Interim quo mitior ingratorum pœna in foro manet, hoc acerbius & detestabilius est commune omnium, quod incurrit, odium, quavis pœna civili longe gravius censendum. *Quid ergo? laudat. Seneca ait, impunitus erit ingratus? impunita tu credis esse, quæ invisa sunt? aut ullum supplicium gravius existimas, publico odio? Pœna est, quod non audet ab ullo beneficium accipere, quod non audet ulli dare, quod omnium designatur oculis, aut designari se iudicat, quod*

*intellectum optima rei ac dulcissima amisit testes, ingratorum omnium Deos metuit, urit illam & angit intercepti beneficii conscientia. Libr. de Benef. cap. 17.* Hic vela contrahimus, & Cœlesti Veritati pro benigno in hoc labore ductu grates immortales persolvimus.

## DISSERTATIO IX.

DE

Impedimentis cognitionis humanæ præcipuis.

PRÆFATIO.

CUM alia multa, tum illud etiam homo peculiare ac proprium habet, quod incredibile quadam res pulcherri-  
mas, abditissimasque, cognoscendi cupi-  
ditate flagret, & quo plus haufit, hoc ma-  
gis sitim adstringi sentiat. Omnes pene  
res, quantamcunque nobis primum vo-  
luptatem peperissent, ad ultimam fasti-  
dimus: Hic vero nihil tale videas, nullum  
nos tædium, nulla cognitionis longius  
provehendæ fatietas capit. In continuo  
velut motu mens nostra versatur, hinc  
inde excurrit, & quod novum, quod ra-  
rum, quod a natura involutum videtur,

avi-

avide conquirat. Solonem ferunt, cum in agone mortis prope constitutus, inaudisset lecto assidentes amicos de re gravi submissius, ne molestiam ægro crearent, differere, in altum, ut potuit, elato semimortuo capite, rogasse, ut vocem aliquantum extollerent, seque dictorum participem facerent, sibi, si etiam moriens scientiam augere, & rem ante ignotam cognoscere posset, exitum e vita jucundior fore. Tanto scilicet animus noster plura subinde pernoscendi studio tenetur, ut, langvente licet & torpente corpore, sese erigat, nullamque temere proficiendi occasionem omittat. Neque tamen casu factum putes, quod cogitationes nostræ in contemplandis naturæ rationibus tam vegetæ sint, tam exactæ: Imo Divina id successit consilio, ut mentes hoc modo excoleremus, & quam nobis lapsus, eheu! luctuosus Protoplastorum rerum naturalium (non enim mere spiritualis erat jactura) ignorantiam ingenerasset, paulatim, hoc interno novitatis stimulo excitati, exueremus, imaginemque Divinam, hac etiam in parte, quodammodo restauraremus. **Omni ergo cura, omnique contenti**

Gg 4

tentione enitendum, ut naturam ducem recte sequamur, & quem nobis posuit, scientiæ gradum feliciter attingamus. Dicitur vero non potest, quot & quanta se hic nobis objiciant obstacula? quibus e medio tollendis ni solícite incumbamus, fieri aliter nequit, quin a recto veritatis tramite abduci, ad vada & scopulos deferamur. Quare omnino operæ pretium videbatur, si ductum virorum excellentissimorum secuti, præcipua Cognitionis humanæ Impedimenta paulo distinctius explicarem; Præcipua inquam, omnibus enim ac singulis enarrandis immorari velle, pro! quam longum! quam arduum est! In quo tamen argumento ita versabimur, ut non sola commemorare impedimenta, sed & quæ iis comparanda sint remedia, haud obscure significare velimus. Deus, a quo omnis cognitio & veritas, coepta fortunet!

## §. I.

**I**mpedimenta cognitionis humanæ alia a natura, alia a fortuna, alia ab hominis incuria, & imprudentia proficiscuntur. Nobis equidem de ultimis potissimum hoc loco disquirere visum; sed nec priora nonnihil attigisse, ab instituto nostro  
alic-

alienum putamus. Eminent vero inter impedimenta naturalia ingenii stupiditas, iudicii infirmitas, memoriae imbecillitas; quarum ista profundam rerum occultarum perscrutationem, illa accuratam dijudicationem, hæc firmam retentionem laboriosam ac difficilem reddit. In universum ejusmodi defectus originem majori ex parte ab inordinato spirituum animalium motu, a cerebri ejusque fibrillarum mala structura, & cohaesione, & a facultatis imaginativæ langvore, ac debilitate trahunt.

## §. II.

Quemadmodum vero qui & ingenio, & iudicio, & memoria pollent, ad nihil non rite, & cum laude peragendum apti sunt: Ita qui singulis hiscè adminiculis destituuntur, ut nec percipere, nec discernere, nec memoriae imprimere sciunt, quæ vel parum subtilitatis habent, illi ad majora omnia inepti deprehenduntur, ac eam ob rationem non ad artium liberalium culturam, quæ hominem docilem, memorem, ingeniosum, acutum exigunt, sed ad aliud vitæ genus, quod plus operis, quam ingenii, requirat, applicandi; ne tempus, sumtusve inaniter consumant, & qui in illis formandis, melioremque ad frugem reducendis occupati sunt, oleum simul ac operam perdant.

## §. III.

Neque tamen, si malignam forte & nocentem in tribuendis ingenii dotibus naturam expertus sit, animus statim abjiciendus, & de felici

rerum successu desperandum : Imo, quod natura negavit, & parce ac minus liberaliter concessit, tu studio, industria, arte supplebis, & quas natura opposuisse videbatur difficultates, præclaro ac indefesso conatu superare allaborabis. Quæ ad acendum ingenium, confirmandum iudicium, & corroborandam memoriam faciunt, studiose sunt exercenda, & prudentiores in consilium crebrius adhibendi, ne inania tractes, & illud, unde remedium sperabas, majori tibi sit impedimento, quam adjumento. Quod sane haud paucis contingere solet. Ita videas v. g. nonnullos, qui memoria difficili laborant, ut huic malo occurrant, artem mnemonicam adhibere, illam, puta, artem, quæ modum tradit omnis generis imagines, ac simulaera animalium in certas classes, ac velut cellulas distribuendi, & sub iis res, verba aut numeros, quorum meminisse volumus, ita locandi, ut illorum conspectus & recordatio simul nobis ea, quæ hujuscemodi signis ac schematibus notata sunt, in mentem revocent. Quam ipsam tamen artem, tantopere aliquibus laudatam, (de qua legi potest *Dn. Posner, Prof. Jenens. in Dissert. de Adminicul. §. XVII, XIX. & quos allegat l. c. Sebast. Jezquierdo Disp. XXXII. Quæst. I. nec non Auctor Librorum Rhetoricorum ad Herennium L. III.*) carnificinam verius, quam medicinam memoriæ appellares. Siquidem tanto imaginum imprimendarum cumulo phantasia, quæ fulcrum & sustentaculum est memoriæ, intempestive lacessitur, defati-

fatigatur, obruitur. Non equidem ignoro, esse, qui subsidio isto adjuti ultra fidem pene humanam procedant, & trecentas quadringentasve voces, eodem, quo simplici dicebantur vice, vel etiam inverso ordine, ac per saltus, repetere, sineque ulla hæsitacione, ad omnium stuporem, promte recitare norint. Enimvero & illud nobis cognitum est, complures eidem arti in juventute adfuetos, postmodum, senescente ætate, tam imbecillem, & infidam expertos esse memoriam, ut hæc ægre, quæ commissa essent, licet pauciora, amplius redderet, ac in plerisque falleret: quem defectum non aliunde sibi exortum fatebantur, quam quod arti, quam diximus, mnemonicæ longius, ac liberius indulgissent, aciemque facultatis imaginatricis iænna simulacrorum memorialium copia obtudissent. Rectius vacillanti memoria *Astædus* consulit, dum præter alia *Encycloped. L. XXVII. c. III. §. 3.* attentam, & cum affectu quodam sæpius iteratam meditationem commendat. *Vebemens*, inquit, *imaginatio unit objectum cognitum & cognoscentem, ac proinde plurimum conducit ad memoria integritatem; imprimisque hic excellunt amor, & admiratio rei discenda; ita enim fit, ut affectus tingantur speciebus rerum cognitarum; affectus autem hoc modo tincti non possunt non tingere spiritus, qui sunt vehiculum memoria. Quocirca si quid velis memoria imprimere, solícite stude movere aliquem in te affectum. Id autem fit meditatione præstan;*



*præstantia, vel turpitudinis, utilitatis, vel inutilitatis rei, quam præ manibus habemus; item orebra repetitione, ac diligenti figurarum rhetoricarum applicatione.*

## §. IV.

Fortuna quoque multis modis augmentum cognitionis humanæ impedit. Cum v. g. excellentissima & capacissima sæpe ingenia, quibus e meliori, quod ajunt, luto mentem natura formavit, a studiis arceat, & ad operas manvianas, quid? ad aratrum & stivam relogat: Cum doctiores in tantas haud raro angustias conjicit, ut magis de pane lucrando, & familia digne sustentanda, quam de exornandis & amplificandis cum fructu scientiis, artibusve liberalibus solliciti esse cogantur: Cum concatenatos & in usum orbis literati susceptos variis turbis ac adversitatibus, siue publicæ eæ sint, siue privatæ & domesticæ, interpellat: Cum aurea & universæ communitati multum profutura summorum Virorum scripta difficultate ac injuria temporis consumit, seræque posteritati, præter inanem nominum ac titulorum memoriam, nihil reliquum facit. Et quæ sunt alia innumera, quæ fors adversa literatis ponit impedimenta, quibus recensendis ut longius jam immoremur, nihil attinet. Quin potius, quod instituti nostri ratio exigit, ad ea, quæ homo sibi metipso, in persequendo studiorum suorum cursu, imprudens obijcit, quæque propterea, modo debitam industri-

am

am adhibuerit, remove iterum valet, obstacula propius consideranda progredimur.

## §. V.

Inter impedimenta cognitionis humanæ primo loco cum *Job. Bapt. du Hamel L. de Mente Hum. C. IV. §. I. Præjudicia* ponimus. Nec mireris; siquidem hæc mentem hominis excœcant, oculosve perstringunt, ut veritatem, licet evidenter demonstratam, non agnoscat: ex falsis principiis conclusiones eliciat: in legendis aliorum scriptis iudicium præcipitet, & quam semel imbibit opinionem, adversus quoscunque mordicus tueatur; adeo, ut præcipuam errorum, quibus obrutus est intellectus humanus, causam ac originem haud immerito præjudicia dixeris. Quibus proin exuendis ac emendandis varii varia commendant. Aliquibus dubitatio Cartesiana interponenda videtur; sed hanc paucissimi capiunt, & paucorum eandem ingenio ac indoli satis aptam & accommodatam esse, ipse *Ren. des Cartes* haud diffitetur: *Vereor*, ait in *Dissert. de Meth. II. ne hoc ipsum, quod suscepi, tam arduum & difficile sit, ut valde paucis expediat imitari. Nam vel hoc unum, ut opiniones omnes, quibus olim fuimus imbuti, deponamus, non unicuique est tentandum. Et maxima pars hominum sub duobus generibus continetur, quorum neutri potest convenire. Nempe permulti sunt, qui, cum plus aquo propriis ingeniis confidant, nimis celeriter solent judicare, nunquamque satis temporis sibi sumunt, ad rationes omnes*

omnes circumspiciendas, & idcirco, si semel au-  
 sint opiniones omnes vulgo receptas in dubium  
 vocare, & velut a trita via recedere, non facile  
 illi semita, qua rectius ducit, semper insistent, sed  
 vagi potius & incerti in reliquam vitam aberrabunt.  
 Alii vero fere omnes cum satis iudicii vel  
 modestia habeant, ad existimandum, nonnullos  
 esse in mundo, qui ipsos sapientia antecedant,  
 & a quibus possint doceri, debent potius ab illis  
 opiniones, quas sequuturi sunt, accipere, quam  
 alias proprio ingenio investigare.

## §. VI.

Nostro iudicio facilius te adversus cœcos affe-  
 ctus & præconceptas opiniones munire non po-  
 teris, quam si nihil in rebus, quæ fide humana  
 nituntur, temere admittas, nihilque assensu pro-  
 bes, nisi quod clare & distincte perceperis. Sed  
 quid est clare rem percipere? Rem ita percipere,  
 ac si haberes ante te in tabella exscriptam, quoad  
 minutionem puncta, ut nullum horum negligere  
 possis. Quid distincte rem percipere? Ita partes  
 ejusdem rei ordinare, ut quæ abs sese, salva  
 ipsa, separari nequeunt, relinquuntur conjun-  
 ctæ, separentur vicissim in cognitione, ut res o-  
 mnis evadat clarior, quæ tam propinquam non  
 adeo postulant conjunctionem. prout scite has  
 phrasas explicavit B. Seeligm. in Dissert. de Phi-  
 losoph. Concil. Rostoch. 1685. hab.

## §. VII.

Claram vero & distinctam perceptionem cum  
 alia

alia multa tum liberior mentis evagatio, plurimumve rerum uno simul obtutu consideratio vehementer impedit. Siquidem ea mentis nostrae conditio est, ut, quo pluribus objectis intentata sit, hoc magis distrahatur, & ad subtiliora acute perspicienda inepta ac inhabilis reddatur. Plane ut se res cum sensibus nostris habet. Si oculo tantum fugitivo ædificium magnifice extructum percurras confusam nonnisi ideam inde hauries, & rudi ac indigesta velut mole mentem obrues: At si a summo ad imum omnia sigillatim tibi proponas, omnium contignationum & conclavium structuram, nexum & compagem seorsim penitus inspicias, oculosve in singulis partibus aliquantum defixos teness; tum demum claram & distinctam de domo a te visa ideam tibi sistere ac imprimere poteris. Eodem modo qui morae impatiens disciplinas perfunctorie atque tumultuarie tractat, uniusque rei, quod eandem subinde nihil, vel parum in recessu habere putet, paulo longius inharere, grave sibi & molestum ducit: Is confuse omnia, nihil distincte intelliget; nec fieri aliter potest, quin vera pro falsis, & falsa pro veris apprehendat. Qui autem lento ac suspensio gradu procedit; qui presenti animo intentisve ingenii nervis oblata quæque profundius meditatur; qui composita, quæque plures involvunt conceptus, in simplicia circumspæctæ resolvit, eademque seorsim lustrata apte rursus conjungit, is, quid clara & distincta perceptio sibi velit, re ipsa comperiet.

§. VIII.

## §. VIII.

Juvat etiam, quæ tenera cum primis nondumque satis confirmata ætate lecta, vel audita sunt, remitti, in eorundemque veritatem ac falsitatem inquirere, ut certum tandem ac deliberatum de iis feratur judicium. Negari equidem non potest, rem esse multæ meditationis, laborisve non exigui, mentem a pristinis cogitationibus abstrahere, inveteratas & ab incunabilis haustas opiniones abjicere, & ideas, altius jam impressas, delere, aliisque permutare; præcipue si quis singulas Philosophiæ partes accurato, & a studio partium alieno examini subicere, clarosye ac distinctos ubiuis conceptus sibi formare velit. Cave autem, animum propterea despondeas, operisque magnitudine ac molestia deterritus ab incepto desistas, ut malis forte viam hæctenus tritam porro calcare, quam novam, eamque magis, quod videri possit, salebrosam ingredi; quin potius strenue institutum persequere, difficultatem jucunditas, & fructus, quem amplissimum reportabis, varietas abunde compensabunt.

## §. IX.

Inter ea, quæ impedimento sunt cognitioni humanæ, II. referimus *Nimiam in Sensibus Fiduciam*. Sunt, qui nihil probent, nihil pro vero habeant, suoque calculo dignum judicent, nisi quod oculis auribusve perceperint, vel manibus palpant, sensus & sensibus obvia experimenta unicam tantum non credendorum ac sciendorum normam

cum

cum ignobili vulgo constituentes. Ex quorum mente *Lucretius* :

*Quid referemus enim, quod nobis certius ipsis  
Sensibus esse queat, quo vera & falsa notentur?*

*Ex sensu namque omnia, quae sunt credita,  
pendent,*

*Cui nisi prima fides recte fundata valebit,  
Haud erit occultis de rebus quo referentes,*

*Confirmare animos quicquam ratione queamus.*

At enim vero quam angustis rerum humanarum scientia terminis circumscriberetur, si longius, quam sensus permittunt, progredi non liceret? Multa certe sensus non attingunt, alia attingunt, sed non penetrant, non pervadunt, suprema, & quae in superficie haerent, lustrant, intetnam rerum structuram agere assequuntur. Ita si in Physicis corpora naturalia sensibus examinemus, praeter externas qualitates, soliditatem, fluiditatem, asperitatem, mollitiem, amaritudinem, dulcedinem &c. & varia colorum genera nihil ferme occurreret. Quam manca autem, quam curta & popularis esset Philosophia Naturalis, si ejusmodi accidentium in sensus influentium consideratione absolveretur? Et, quaeso, quam fallaces crebro sunt sensus? Multoties longe aliter nobis objecta, quam se revera habent, sistunt, ac repraesentant, ut si ipsorum iudicium ratum haberetur, non possemus non infinitis implicari erroribus. Quotusquisque ignorat, solem, lunam, stellas, corpora inusitatae & stupendae prorsus molis, disco-

Hh

rum

rum orbicularum facularumque scintillantium speciem ac magnitudinem referre videri oculis nostris, quibus tamen in sensuum numero plurimum alias tribuimus? Quoties sonus ejusque varia & anceps repercussio auribus nostris imponit? Quoties innumeræ ac vix perceptibiles odorum, saporum, & qualitatum tactilium differentiarum gustus, olfactus, tactusque perceptionem suspensionem ac dubiam reddunt?

## §. X.

Quare ut hoc majorem in cognoscendis rebus certitudinem consequamur, non tam sensuum, quam rationis iudicio standum. Purus, quoad licet, intellectus sistendus, & mens a phantasmatum, quibus stipatur, turba aliquantum repurganda, ut in seipsam secedere, & liberius ac profundius quidvis rimari valeat. Lubricam ergo insistentiam viam, quotquot cum Peripateticis imaginationi nimium indulgent, & πολυθρύλλητον suumt. *Nihil esse in intellectu, quod non sit prius in sensibus*, pleno ore ingeminantes, sensuum modulo pleraque metiuntur; vel si quid omnino fines horum excedat, illud ad occultas qualitates reducunt. Pererius sane, qui & ipse nomen Peripatetici colit, in *Prefat. Phil. Nat.* disertis verbis fatetur: Se primas sensibus, secundas rationi, postremas Philosophorum auctoritati deferre. Aliter jam olim Platonice, aliter hæc nostra ætate Neotericis visum. *Præclare ingeniosiss. du Hamel. Non ita fidendum, est sensibus, qui infirmi sunt & imbecilles, quique*  
*sapientius*

*sepius aberrant, ut rationi praecipuus honor non fervetur; de Mente Hum. L. I. C. IV. §. I. Cujus asserti causas uberius L. III. C. I. §. V. persequitur: Sensus, inquit, nihil aliud, quam accidentia percipiunt, essentias rerum non pervadunt, neque ex iis certa animi comprehensio colligitur. Fallaces interdum sunt nuntii, qui solent nobis illudere; circa rerum umbras nec constantes, nec lucidas versantur, neque claram & immutabilem scientiam, sed opiniones duntaxat ingenerant, & mentis aciem ad inferiora detorquent. Hoc enim imperitos ab eruditis discriminat, quod illi notionibus, quas per sensus hausere, velut ibligati, non ultra intendant animum, ut obscuriores illas notiones explicent, atque in sua principia resolvant: Docti vero intimas rerum essentias, genera, differentias, exquirant, quae quidem rationis solertia, metodo ac doctrina consequuntur.*

## §. XI.

Neque tamen propterea omnis plane sensuum in eruenda veritate usus damnandus est. *Anton. de Grand*, strenuus hypotheseum Cartesianarum propugnator, *Instit. Phil. P. I. C. II. §. 2.* distinguit inter vitae actiones, & veritatis inquisitionem: ad illas recte instituendas, sensus, ceu vitae duces, admittit; de hac vero ubi quaestio sit, omnem iis locum, omnemque fidem denegandam existimat. Quamvis postea mutare sententiam, & quae durius dicta erant, aliquantum emollire videatur; dum, nova distinctione allata, discrimina



men facit inter cognitionem corporum, ratione existentiae & ratione essentiae spectatorum: ex quibus priorem sensibus equidem adscribit, sed posteriorem plane abjudicat. **At** qui meminerit, quantum vel ad sola experimenta physica, quibus haud exigua veritatis pars in scrutanda intimius rerum natura detegi, & in lucem protrahi solet, feliciter suscipienda conferant sensus: Largietur forsitan, etiam sensus de gloria inventae veritatis, & cognitae corporum essentiae nonnihil participare debere. Sed objicis cum *Ant. le Grand*: Fallunt sensus, ergo fides iis haberi nequit? Fallunt utique, & nos id paulo ante falsi sumus; sed non omni & quovis tempore fallunt. Quando igitur? Ubi vel organon sensus male dispositum: vel objectum cognoscendum justo longius remotum: vel corpus interpositum cum ineptitudine aliqua conjunctum est. Alioqui valet illud *Ciceronis*: *Maxima est in sensibus veritas, si & sani sunt, & valentes, & omnia removentur, qua obstant & impediunt, II. Acad. Quaest. c. 7.* Sensus itaque, si nullum ex allatis requisitis desit, audiendi sunt, ita tamen, ut praecipua subinde mentis ratio habeatur: Sin vero deficient, prorsus negligendos dicimus, & ad solam mentem, ac intellectum, ejusque judicium recurrendum.

## §. XII.

Media hoc modo incedemus via, si nec nimis sensus extollamus, rationem infra eos cum Peripateticis deprimendo: nec nimium derogemus,

mus, quicquid ab iis originem trahit, cum Cartesianis in dubium vocando. *Non ii ergo sumus, loquor denuo cum laudat. du Hamel l. c. L. I. C. II. §. 12. qui sensus ad rerum cognitionem inutiles arbitremur; sed eos nequaquam sufficere, contendimus. Utendum est iis tanquam navi: cum enim ad locum, quo tendimus, pervenerint; sunt dimittendi. Discentes adjuvant, sed ut mens sese erigat, atque a contradicentibus turbis phantasmatum se subducat, necesse est, quo seipsam, & lamen, quo adspergitur, inveniat.*

§. XIII.

Cognitionis humanae impedimentis III. annumeramus *sectariam philosophandi rationem*, qua quis unius Philosophi placitis sese adstringit, eademque, utut nondum a se satis examinata, & probata, ceu indubitanter vera, cæco assensu amplectitur. Cujusmodi sectarium philosophandi genus in scholis olim frequentissimum erat, ubi unus *Aristoteles* in omnium ore versabatur; in hunc unum mentes oculosve defixos habebant: hujus unius librosolvebant, revolvebant; ut se plurimi ad *αρετήν* studia perduxisse crederent, si omnia, quæ a tanto Viro dicta essent, in numero haberent. Quo factum, ut nec se hinc inveniendis cogitarent; quod omnem sapientiam, omnemque veritatem jam occupatam censerent: nec iis, quæ falsa, incerta, ac dubia erant, emendandis, & corrigendis incumberent; quod piaculum videretur, inferiores ingenio discipulos plus

Magistro sapere velle. Qua superstitione impulsis splendidissimos, quibus Philosophum exornarent, titulos certatim excogitarunt. Hic summus sapientiae dictator, hic invictissimus Philosophorum Imperator, hic philosophici regni, scientiarum, laudis literariae aquila, hic veritatis Hercules, hic peregrinum quiddam, singulare, ac miraculum, regula item atque exemplar naturae, hic vir omni laude major, omnique calumnia potior ipsis audiebat; legas hæc ambitiosa & vere ridicula encomia apud *Goelen. in Epist. ad Nic. Taurell. de Reorum Aeternit.* Conf. etiam *Dn. Telleri Dissert. de Existimatione Philosophorum Gentil. imprimis Aristotelis Stagir. apud Christianos*, quam *Pro loco*. hic Lips. habuit 1695. ubi plurima hujus generis elogia ex variis Auctoribus studiose collecta exhibet.

## §. XIV.

Hæc vana simplicitas, & homine ingenuo plane indigna servitus literaria dudum quidem a prudentioribus agnita & explosa est: Nondum tamen eandem penitus expirasse, dies docet. Namque ut olim Scholastici ab *Aristotelis*, ita non pauci hodie ab alijs excellentis Philosophi, *Caresis* cum primis, auctoritate pendent, effata pro oraculis venditant, errores etiam, quæ summa omnino dementia est, pertinaciter propugnant; ac adeo unus viri dictus, & principis omnem doctrinam, omnemque sapientiam suam terminari patiuntur. *Tantum saepe opinio præjudicata potest, ut etiam sine*

*sine ratione valeat auctoritas; Cic. l. de Nat. Deor. C. V.*

## §. XV.

Quanta vero sectarius ejusmodi & servilis philosophandi modus studiorum pestis sit? quantamve remoram longius provehendis artium liberalium incrementis injiciat? facile, quod opinor, divinabis. Tam longe enim lateque fines cognitionis humanae patent, ut unius aetas iis describendis non sufficiat; nec ullus jure gloriari possit, se vel unicam tantum Philosophiae partem omnibus numeris absolutam proposuisse, ut nihil addi, nihil mutari, nihil detrahi queat; quin potius amplissimum sibi in tanta rerum cognoscendarum varietate spicilegium relictum esse, sincere fateantur, quotquot manum operi admovent, ingeniique vires magno conatu periclitantur. Quam parum ergo in commune consulunt, sortemque humanam juvant, qui iis, quae jam tradita & inventa sunt, unico acquiescunt, & contenti vivunt, de promovendis & amplificandis scientiis minus solliciti? imo qui omnia, modo magni nominis virum auctorem habeant, simplici fide accipiunt, strenueque defendunt? quae tamen, si nomen Philosophi pro dignitate tueri vellent, libero prius judicio ponderanda, examinanda, excolenda, &, si res posceret, immutanda erant. In rebus equidem, ad fidem, & salutem pertinentibus, genio nimium indulgere suo, impietatis habetur; in iis autem, quae a mente humana, & luminis naturalis

usu pendent, curiosius quidvis examinasse, laudique ducendum. Et abjecti sane nimiumque sibi diffidentis animi diceres, unius hominis, cui æque ac aliis de errandi periculo cautum non est, ductum cæco impetu, & obvelatis quasi oculis, Andabatarum more, sequi, ejusque auctoritatem sacro quodam horrore supplicem venerari. Rectius Seneca: *Non me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero: multum magnorum Virorum iudicio credo, aliquid & meo vendico; Epist. XLV.* Turpe est seni aut prospicienti senectutem, imo cuivis philosophanti, ex commentario sapere. Hoc Zeno dixit; tu quid? Hoc Cleanthes; tu quid? quousque sub alio moveris? & impera, & dic, quod memoria tradatur; aliquid & de tuo profer &c. Qui alium sequitur, nihil invenit, imo nec quarit. Quid ergo? non ibo per priorum vestigia? ego vera via utar veteri: Sed si propiorum planioreve invenero, hanc muniam. Qui ante nos ista moverunt, non Domini nostri, sed duces sunt. Patet omnibus veritas, nondum est occupata: multum ex illa etiam futura relicta est. Epist. XXXIII.

## §. XVI.

Dum igitur sectarium philosophandi modum repudiamus, eclecticum, qui ex omnibus Sectis, quod verissimum, aut verosimillimum est, pendenter seligit, quod deest, ac ommissum, fideliter supplet, commendatum volumus. Qua methodo ipsos Sectarum Auctores quondam usos accepimus.

mus. Genio isti abundant suo: nullius placitis temere concedebant: nec libertatem, quod rectum ipsis videretur, statuendi e manibus sibi extorqueri patiebantur. *Sagiritæ*, cujus tanta, quod diximus, in scholis veneratio erat, ut multi, vel latum unguem a principiis ejus recessisse, nefas & temerarium ducerent, totus ipse, quantus erat, eclecticus fuit. Ex iis enim, quæ antiquioris ævi Scriptores & Philosophi, Plato potissimum, quo præceptore usus erat, sensissent, alia probavit: alia expunxit: alia rudi duntaxat Minerva descripta magis ipse & plenius perpolivit: alia de novo excogitavit, & de suo addidit; majori subinde veritatis, & ingenii, quo pollebat, acuminis, quam aliorum auctoritatis ratione habita. Et quid de *Cartesio*, sæculi superioris Phœnice, dicamus? Hic vero adeo non eclecticum in suscipienda Philosophiæ cultura modum dedignatus est, ut mature animum libertati in philosophando afflueret, mentemque a partium studio, præconceptisve opinionibus abduceret; ne, si nimium forte alicui Philosopho tribuisset, præstrictis ejus obrutu oculis, rem ab ipso allatam leviter tantum inspiceret, eandemque, ceu plane confectam, & firmiter jam demonstratam, intempestivo assensu imprudens amplecteretur: vel si haud magni auctorem alias fecisset, præjudiciis denuo abreptus, omne, quod ab eo proponeretur, superciliose damnares. Quodsi ergo ipsi principes Philosophorum eclecticos se præferebantur, ut exiguum, imo nullum in

aliorum auctoritate momentum ponerent, ex variis varia, si mentis prius examen subiissent, colligerent, suisve observationibus adaugerent: Cur ægre ferant, si & alii, quibus limatum ingenium, & acre iudicium benignior natura concessit, eandem sibi libertatem vindicent, veritatemque hypotheseum, a se adductarum, ad rectæ rationis stateram expendant, & si falsæ forsitan, incertæ ac dubiæ videantur, aliis excogitandis mentem intendant? Imo non ægre ferunt. Diserte ac ingenue *Cartesius*: *Nil ab ullo credi velim, nisi quod ipsi evidens ac invicta ratio perswadebit; Princip. Part. IV. Art. 207.* Cæterum quæ contra Philosophiam eclecticam cum aliis *Volderus* in *Disp. Philosoph. de Rerum Nat. Princip.* opponit, solide discussit *B. Sturmius Phys. Elect. s. Hypoth. Pralim. Art. II.*

## §. XVII.

Cum Philosophia sectaria conjungendam, obstaculisve cognitionis humanæ accensendam putamus IV: *Philosophiam verbalem*, quæ nomina scilicet rerum expendit, res ipsas majori ex parte negligit. Quod philosophandi genus, quam iners, sterile, & elumbe etiam in limine cuivis videri possit, nullo tamen non tempore suos invenit cultores, suosve patronos. Id non inficias ibit, qui vel parum in lectione Scriptorum Philosophicorum fuerit versatus. Quid enim, quæso, ut nonnullas Philosophiæ partes levibus duntaxat stricturis notemus, Scholastici, & qui eorundem geni-

genium hodiernum amant, ac imitantur, vulgo agunt? Quid in Logica? Differunt prolixè, & subtiliter de Prædicabilibus, Prædicamentis, Subalternatione, Æquipollentia, Conversione &c. de Figuris & Modis Syllogismorum, de Enthymemate, Sorite &c. quæ mora fere nomina sunt, præterea, que nihil: Artem autem cogitandi, qualis proprie est Logica, & mentis conceptus rite ordinandi, veritatemque occultam, quod præcipuum est, feliciter investigandi modum vel plane reticent, vel obiter tantum & perfunctorie tradunt. Quid in Metaphysica? Magnam obscurarum vocum & distinctionum farraginem conquirunt; usum vero & rectam applicationem omittunt. Quid in Ethica? Undecim virtutes Aristotelicas, quem numerum sanctè tuentur, quæstionculis aliquot otiosis interpolant, iisque utramvis paginam absolvunt. Quid denique in Physica? Missis, quæ curiose observari debebant, Phœnomenis, nominales ipsi rerum naturalium definitiones solícite excutiunt, ac adeo corticem & putamen rodunt, nucleum & medullam intactam relinquunt. De quo abusu graviter passim conqueritur *Illustris Auctor. Medicin. Ment.* in hoc ipso, quem nominamus, vere aureo Tractat. Nec injuria istas cum cordatoribus movet querelas. Hoc enim modo Philosophia, quæ tota realis est, (siquidem pro objecto principali non verba habet, sed res; *Est rerum divinarum ac humanarum scientia*, definiente Cic. IV. *Tuscul.* 26.) gequinum, quo conspicua est, nitorem exuit,

&amp;



& in disciplinam mere verbalem ac technicam turpiter convertitur : Cujus asseclæ raro, quod alte natura recondidit, eruunt ; raro novis inventis celebrantur : Sed vocum & nominum consideratione distenti, nudis vocabulis mentem auresque opulent. Ita dum v. g. in eo sunt, ut admirandam vim magnetis, qua ferrum attrahit, aut naphthæ, qua ignem alit, & concipit, explicant : Item cum ostendere volunt, quæ ratio sit, cur alii hominum feles, alii caseum, alii vinum naturaliter abhorreant ? Ad amorem, & odium naturale, ad sympathiam, vel antipathiam prævocant, hisque nominibus contenti sunt, quasi sic digne & accurate factis dicta Phænomena enodassent ; cum tamen eadem facilitate vel homo plebejus & paganus hunc nodum solvere queat ; nisi quod forte obscuræ sympathiæ & antipathiæ terminos ignoret.

## §. XIIX.

Nonnulli horum Philosophorum, quos verbales jure appellaveris, ubi de quæstione dubia judicium ferendum, non id agunt, ut dissidentes aliquantum concilient, & amica harmonia, quod frequenter absque multo negotio fieri poterat, ad eandem mentem reducant ; sed inanes *λογομαχίας* nectendo, lites potius adaugent, quam minuunt. Sic magno cum fervore in Physicis disputant, v. g. Num duo, tria, an plura dentur corporum Nat. principia ? Num atomi, an extensio interminata constituent materiam primam ? Num formæ educantur, inducantur, an traducantur ?

tur? Num locus, vacuum, tempus, ac similia, ad affectiones corporum Nat. referenda sint, nec ne? Et quæ sunt aliæ hujus generis quæstiones, in quibus vel affirmativa, vel negativa, pro diverso respectu, commodè defendi potest: Ipsi vero iusto rigidiores, instar Aristarchi cujusdam, dictatoria prorsus auctoritate, in alterutram partem pronunciant, de conciliatione minus solliciti: Imo dissentientium, utut dissensus crebro in nudis verbis consistat, decreta odiose proponunt, captiose pervertunt, impetuose rejiciunt, false perstringunt. Utinam hi vero probe perpenderent illud *Isid. Pelus.* ἡ δύναται κατορθῶσαι φιλοσοφίαν ὁ λογομαχίαις προτασχολῶμεν; *Philosophiam consequi non potest, qui in verborum pugnis & concertationibus operam suam collocat; L. I. Ep. 220.* Illudque *Senecæ: Non est Philosophia populare artificium, nec ostentationi paratum: non in verbis, sed in rebus est, Epist. XVI.*

## §. XIX.

Occasione Philosophiæ verbalis devolvimur V. ad aliud, & quod a priori fere ortum habet, cognitionis humanæ impedimentum, nempe ad *Probabilismum*, quo non tam momentorum pondere, quam argumentorum multitudine pugnatur, & laus potius ingenii, dicente *Verul. in Sermon.* cujus beneficio in quamcunque partem disputari possit, quam judicii in enucleanda veritate quaeritur. Quæ vaga & inepte ambitiosa philosophandi ratio non adeo infrequens est: dum plurimi, neglect-

neglecta methodo veritatem e certis & evidentibus principiis clare ac apodictice demonstrandi, probabilia tantum sectantur; quæcumvis plerumque pro talibus haberi nolint, sed eadem prolixo discursu & verboso dicendi genere ceu indubitata vera, aliis persuadere satagant. Idque cum in reliquis Philosophiæ partibus, tum in Morali & J. N. Disciplina satis superque produnt. Quoties enim de actionis alicujus bonitate, malitia vel indifferentia pronunciandum, sitne juris præceptivi, prohibitivi, an permissivi? hæsitant ipsi, mente hinc inde vagantur, varias, quibus se extricent, rationes operose conquirunt; vel si omnino explicandis se difficultatibus impares deprehendant, ne tacuisse videantur, generali responso quærentem dimittunt: Ad apodicticam moralia certitudinem non posse reduci. Unde vero hæc incertitudo? hæc dubitatio? hæc ignorantia? Ex eo unice provenit, quod genuinum, e quo J. N. præcepta nexu firmo & concatenato deriventur, vel ignorent, vel temere omittant; hinc probabilibus assveti rationibus opinionem verius, quam scientiam consequuntur. Cum e contrario qui solidis & ad *Arithmetice* Mathematicam accedentibus demonstrationibus student, longe feliciter in indaganda veritate & solvendis quæstionibus difficillimis progrediantur: longe certius omnia cognoscant: longe clarius & distinctius percipiant: longe promptius alios edocere valeant, multumque temporis, quod colligendo probabilium

argu-

argumentorum cumulo impendi solet, non sine insigni cognitionis humanae incremento, lucrentur?

## §. XX.

Mathematici tria potissimum, ad evitandam probabilitatem & obtinendam per demonstrationes indubiam certitudinem, caute observant; notante *Anton. le Grand. Instit. Philos. P. I. C. XXII. §. 3.* (1) *Ut nulla in terminis ambiguitas relinquatur.* (2) *Ut omnis ratiocinatio claris & disjunctis principiis innitatur, quae talis sint evidendia, ut iis omnes, qui ipsa vocabula recte intellexerunt, assensum negare nullatenus possint.* (3) *Ut omnis conclusio, quam proponunt, demonstrative probetur, iis solum definitionibus usando, quas adhibuerunt, aut illis principiis, quae jam concessa sunt, aut demum propositionibus, quas vi argumenti ex illis deduxerunt.* Quae ipsa praeccepta si ad universam Philosophiam recte applicentur, dici non potest, quantum eos, qui in inquisitione veri occupati sunt, juvent atque confirment. Namque accurata vocum ambiguarum enodatio multis disputationibus tricisque verbalibus ansam praecidit, & conclusionum e Principiis evidentissimis demonstrativa probatio omnem haesitantiam ac dubitationem adimit, & effrenem quorundam male sanorum impudenter ubivis contradicendi licentiam ac libidinem confringit, imo confundit, ut, si omnem plane hu-

meri.

manitatem exuisse videri velint, veritati cedere necessum habeant.

## §. XXI.

Illud maxime, si vagus non regnare debeat Probabilissimus, cavendum, ne, quod *le Grand l. c.* monet, principia nondum evictæ veritatis? quæque nec notiora, nec priora sunt re demonstranda, afferantur. Cordate *Isid. Pelus. L. II. Ep. 97.* ἂν ὁσποτε ἀπορον ἀπόρω λυεται, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ὁμολογημένων λαμβάνειν εἰώθαμεν; *Id quod dubitationem habet, alia dubitatione minime unquam dissolvitur; verum nos ab iis rebus, quæ in confesso sunt, controversorum solutionem quaerere solemus.* *Bechmannus Instit. Log. L. IV. C. II. §. 15.* notiora & priora duplicis generis facit; alia dicit esse natura, alia quoad nos talia. Illa vocat, quæ longius a sensibus absunt: hæc, quæ propinquiora sunt sensibus. Utrumque in principis certæ ac infallibilis demonstrationis requirit, ut notiora & priora sint tum natura, tum quoad nos. At in eo non subscribimus *Bechmanno*, quod notionem, & prioritatem istam ad sensus etiam trahat, eosque velut arbitros in re tam ardua constituat. Namque plurima, quod superius ostensum, sensibus non sunt evidentia, & cognoscibilia; adeo, ut in iis percipiendis, & dijudicandis ad intellectualem tantum cognitionem confugiendum sit. Satis ergo est, principia, e quibus veritas elicienda, menti probari; si tamen & sensuum accedat consensus, hoc major erit certitudo.

## §. XXII.

## §. XXII.

Quantum vero cognitioni nostræ detrimenti afferat Jesuitarum Probabilismus, quo statuunt, (ut verbis *Wilb. Wendrock. Admonit. ad Lect. Literis Provincial. Montaltii de Moral. & Polit. Jesuitarum Disciplina*, annexa utamur,) licere cuique eam opinionem, quam quatuor, vel tres, vel duo, vel unus etiam gravis Doctor tradiderit, sequi; ex supra dictis, ubi de Phil. Sect. egissemus, liquido constabit, nec est, cur hic quicquam adjiciamus.

## §. XXIII.

Quin potius, quod prolixioribus nobis esse non liceat, progredimur ad VI. cognitionis humanæ impedimentum, quod *præposterum* dicimus *antiquitatis & novitatis studium*, quo res idcirco vera habetur, quia vetus est, aut nova. Binos hic offendis scopulos, quorum unus est superstitiosa antiquitatis veneratio, alter immoderata novitatis affectatio: In neutrum impingas, necesse est, si pede inoffenso procedere, & cursum studiorum non remorati velis. Qui enim antiqua solum amant, & omne tempus in perlustrandis veterum monumentis collocant, nova autem nec ipsi inveniunt, nec a Neotericis inventa admittunt: Illi non possunt non complura, quibus utiliter sensim augentur artes, ex oscitantia, an simplicitate dicam? prætermittere, & obicem velut scientiis objicere. Qui vero nova non nisi sectantur, antiqua omnia rejiciunt, & nil, nisi quod vel sua, vel parentum

ætate innotuit, recipiunt: Hi pariter plurimarum rerum, quæ non minori cum utilitate, quam voluptate, e scriptis primorum temporum hauriri poterant, notitia se privant; siquidem multa perbelle, & exacte Veteres, ut nihil in iis desiderari queat, descripsere: multa, quæ manca & imperfecta sunt, ansam nobis præbent, eâ ulterius perficiendi, defectumque nostra industria supplendi. Et quos continuus novitatis pruritus titillat, cogitent modo, etiam sua, quæ ipsi forsitan invenerunt, post aliquot seculorum decursum vetusta & antiqua fore; ergone propterea posteris contemnenda?

## §. XXIV.

Si qui autem nimii sint antiquitatis admiratores, & scientiarum veritatem, atque excellentiam sola annorum canitie metiri soleant, omnis novitatis osiores, ac hostes acerrimi, cujus farinae Antiquarios non paucos orbis habet, dignos judicares, quod lepidum *Erasmii* iudicium est, qui *nunquam mutant veteres calceos, aut putre subligar, semper vescantur putribus ovibus, nec aliud bibant, quam vappam.*

## §. XXV.

Theologia, cum veritatem S. Literis definitam complectatur, novitatem omnem haud immerito respuit: Ast Philosophia, quæ ad cæta oracula alligata non est, sed cujusvis recte & cum iudicio ratiocinantis imperio subiecta, majorem longè cultoribus suis libertatem pollicetur. Valde igitur deli-

delirant, qui, ubi de re mere philosophica agitur, alium a communi reliquorum sententia discedentem, solo novitatis prætectu, invisum reddere conantur. Qualia fata *Ren. des Cartes* quondam fuit expertus, in cujus oppressionem, cum vix de alia, quam quæ hæcenus in scholis recepta fuisset, methodo cogitasset, totus pene orbis conspirasse videbatur. Imo, quod vix absque risu legas, *Gisb. Voëtium* integro anno ante, quam Philosophia Cartesiana in lucem ederetur, consutationem adornasse, & *Mersennum*, ut pariter calamum stringeret, multum sollicitasse, ferunt. *Conf. Sturm. in Phil. Sect.* Plurimi, quod se impares viderent confutandis, quæ acute, nec minus vere, dicta erant, satis habebant, ostendisse, ipsum esse novatorem, ac proinde cane pejus & angve fugiendum. Tantus aliquos novitatis horror, tantaque antiquitatis veneratio cepit. Nos illud *Plinii* nostrum facimus: *Sum ex iis, qui mirer antiquos; non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim quasi lassæ & effætæ natura, ut nihil jam laudabile pariat. L. IV. Ep. 21.*

§. XXVI.

In classẽm impedimentorum cognitionis humanæ haud præter rationem VII. referripotest *enordinata Φιλανθία*, qua quis, ex immodico suæ æstimo, nimium sibi suisve inventis tribuit, aliorum vero labores temere seponit, ac despiciatũ habet. *Necessum enim est, inquit B. Sturmius in Praef. Phys. Concil., ut illis, qui cæco affectu non-*



nisi sua estimant, aliena vero negligunt & contemnunt, pars maxima veri, quod partium studio abrepti in aliorum scriptis ac meditationibus agnoscere non potuerunt, elabatur; atque insimul irreparabile illud tempus, quod, cum in ipsa veri seria inquisitione utiliter ponere potuissent, in effingendis limitatiunculis, distinctiunculis, & effugiis, quibus labanti cuidam hypothesi ferre suppetias, & exspiraturis paulo post opinionibus aliquousque saltem miseram vitam extrahere liceat, vel in effingendis opposita sententia absurditatibus, aut, si quibus forte revera laboret, vitiis ac nevis exaggerandis & perstringendis, consumunt. Quod Φιλαυτίας vitium quo communius inter eruditos est, hoc gravius exinde ad orbem literatum damnum redundare censendum. Siquidem ut plurimum, qui hoc malo laborant, Φιλόνεικοι deprehenduntur, qui in lites & rixas propendeant, de re nihili acriter disceptent, in quod semel delapsi sunt, illud, licet meliora edocti, plusquam canina mordacitate tueantur; idque ex eo, quod nimium fidant ingenio suo, & tantum non plenariam ab errandi periculo immunitatem stolide sibi vindicent, ac insuper famæ, & existimationi suæ quicquam decedere, vane putent, si hypothesin, quam viva voce vel scriptis suam esse, falsi sunt, postea retractent, aliamve, mutata mente, amplexentur. Unde malunt opinionem, etiam absurdissimam, porro quocumque modo defendere, quam erroris argui, & adhibitis, quæ

quæ a prudentioribus communicantur, adminiculis, ad sanio rem mentem reduci.

## §. XXVII.

Ridiculum est, quod de Doctore quodam Scholastico memoriæ proditum memini; noluisse hunc per omnem vitam ullo telescopio oculos armare, ne forte stellas novas, a se nondum visas, & alia curiosa, a Galileo ingeniose in cœlo observata, intueri, &, quæ aliter ipse hætenus docuisset, tanquam erronea emendare, necesse haberet. O cœcum hominem! qui cum oculos habeat, eos ad detectam veritatem claudere, & in tenebris palpare, quam in clarissima luce versari malit! Ergone turpe tibi ducis, errorem agnoscere, & gloriosum, in eo perseverare? Imo vero, dum errasti, humani quid passus es, & veniam mereris; At dum errorem, cujus certissimis argumentis convictus es, corrigere detrectas, humanitatis fines excedis, & bonorum omnium offensam ac indignationem incurris. *Non est levitas, a cognito & damnato errore discedere, & ingenue fatendum est: Aliud putavi, deceptus sum. Hac vero superba stultitiæ perseverantia est: Quod semel dixi, qualecunque est, fixum ratumque sit, Senec. IV. Benef. c. 38.*

## §. XXIX.

Qui autem ex inani, & cœca philantia suos tantum foetus lambunt, & nil, nisi quod ex instructissimo, quem putant, ingenii penu depromptum sit, ad palatum judicant, cæteraque omnia, ceu

insipida, aspernantur, ac fastidiunt: Hi probe attendant, ne, dum soli sapere videri velint, inter insipientes primo a sapientibus loco ponantur. Hoc certum, solidam & exquisitam plarium rerum cognitionem non impetraturum, qui suo totus ingenio immori, & doctissimorum Virorum consilia, monita, inventa, observationes, dedignari cupiat. Τὸ ἐπισήμης Φρένας ὄρον καὶ τελευτήν ἐν ἔχει; *Scientia puteus inexhaustus est, fundo sineque carens.* Quam pusillum igitur ex hoc immenso pelago hauriet, qui laborem, cui ferendo omnes, conjunctis licet viribus, impares sunt, unus & solus aggredi sustinuerit.

## §. XXIX.

Et hæc sunt, L. B. præcipua fere cognitionis humanæ impedimenta. Animus equidem erat, longius progredi; longe plura enim restare, quis dubitet? & cum alia, tum illud, quantum cognitionem nostram *præposterius studia ordinandi & prosequendi modus* retardet, ac impediat, exponere. Enimvero pagellarum angustia, cum brevitati studere vellemus, hic nos abrumpere, &, quod vel plane omissum, vel paulo concisus, quam res poscere videbatur, propositum, in aliam occasionem rejicere cogit.

## DISSERTATIO X.

DE

## Bruto Exlege.

PRÆLO QVIVM.

**N**ihil esse, ex quo duriora generi humano metuenda sint fata, quam si liberum & omni Lege solutum vivendi genus cunctis promiscue permittatur: Nemini, nisi quem omnia fallunt, dubium videri posse, plane nobis persuasum habemus. Quanta enim, ut reliqua in præfenti non attingamus, motuum, quanta cupiditatum in hominibus varietas! quam diversis & plane contrariis aguntur studiis! ut vix binos tam concordibus junctos animis, ut uno animo, una mente viverent, invenias. Imo ne unus quidem, idemque sibi subinde similis, & per omnia constans deprehenditur. Quod modo probabat, paulo post, quæ miranda voluntatis humanæ est inconstantia, & mutabilitas, rursus improbat. Quanto minus in integro cœtu, & frequenti concione, ubi major pars non tam ratione, quam libidine res gerit, vitiorumque illecebris, & voluptatum sensus sua-

viter titillantium lenociniis ducitur, exoptata in id, quod iustum & æquum esset, consensio sperari poterat; si quidvis pro arbitrio cuius statueret, & quod rectum quisque putaret, sequi integrum foret. Quare, ad tuendam hominum inter se societatem, vel illud imprimis requirebatur, ut distracti & dissidentes animi legum vinculo arctius constringerentur, & quæ vagæ singulorum futuræ erant actiones, ad Superioris nutum & iussa, velut normam & regulam quandam, amica harmonia componerentur. Quemadmodum autem in bestiis, quas ad uniformem agendi modum natura determinavit, tanta motuum & inclinationum disparitas non est conspicua: Ita nihil obstabat, quo minus exleges ipsæ viverent, sensibusve impune obsequendi suis licentia donarentur. Suppetunt vero & complures aliæ, ob quas ab omni obligatione legali eximendæ sint, rationes, easque peculiari hac Dissertatione persequi visum. Deus cœptis clementer adspiret!

## §. I.

**N**on male brutum vulgo definitur, (ut a definitione secundum receptam Philosophorum metho-

methodum, inĭtium faciamus,) quod sit animal irrationale; quo pacto per animalitatem generalis illius cum homine convenientia, & per irrationabilitatem, sive rationis denegationem, specialis ejusdem ab homine discrepantia innuitur. *Cardanus* equidem *L. 11. de Subtilitate rerum* tritam hanc & in scholis decantatam bruti descriptionem haud obscure impugnat; cum falsum censet, quod animal in definitione hominis & bruti generis loco ponatur, & pro conceptu communi utrumque oppositorum sub se comprehendente venditetur: siquidem homo nullatenus animal dici possit ac debeat; idque operose demonstrare annititur. Sed, si quod res est, dicendum, tricas ille potius & inanes argutias, quam solidas rationes, huic suo paradoxo substernit. Ita audacter, *homo*, inquit *l. c. non plus est animal, quam animal planta*. Quod ne gratis protulisse videatur, subjungit: *Si enim animal, quamvis nutriatur & vivat, planta nomen non meretur, nec omnino planta est, quia animam, qua sentit, habet prater plantam: homo, cum prater animal mentem habeat, desinit esse animal; nam alterum genus est anima, quod sentit ac intelligit, ut testatur Aristoteles. Si enim forma alia a forma fuerit, alterum sub altero collocari non potest. Sentit enim homo profecto ut animal vivens, non tamen homo est animal, ut neque animal planta. Si enim homo animal est, id est, cujus forma ultima est sensus effectrix anima, manifestum erit, & eadem ratio-*

ne esse etiam plantam; at hoc nemo admittit, nemo credit. Et qua ratione in homine sensus continetur, eadem prorsus in animali vivens: nec tamen animal est, quod solum vivit, id est, planta, ut nec homo animal. Mens Cardani huc redit: Eandem esse rationem hominis ad animal, quæ sit animalis ad plantam. Quemadmodum vero animal, utut anima vegetativa, non secus atque planta, præditum sit, planta tamen non vocetur; quia cum anima vegetativa excellentior alia, sensitiva nimirum, jungatur, quæ formam præcedaneam ita immutet, ut nullus plantæ amplius in animali locus remaneat: Ita nec homini, licet animæ sensitivæ æque ac animal particeps sit, animalis nomen tribuendum esse; propterea quod animæ sensitivæ rationalis inducatur, quæ tantam in subjecto mutationem efficiat, ut denominatio prior animalis cesset, sola hominis relicta. Speciose hæc satis! Enimvero in eo primum egregie fallitur *Cardanus*, quod eandem, quæ hominem inter & animal intercedit, in animali quoque & planta habitudinem & proportionem statuatur, quæ tamen longe diversissima est. Homo namque & animal, loquimur de animali, in sua latitudine accepto, ut genus & species se mutuo respiciunt, sibi que in scala prædicamentali subordinantur; quam ob rem haut difficulter combinari & de se invicem prædicari possunt. Animal e contrario & planta species sunt disparatæ, in conceptu communi quidem corporis animati convenientes, sed quoad

quoad formam propriam & specificam distinctissimæ; hinc citra absurditatem, quod in quibusvis aliis speciebus disparatis obtinere videas, de se prædicari nequeunt. Sed instas ex mente *Cardani*: Si homo est animal; quia animam habet sensitivam: Ergo etiam erit planta, quia animam habet vegetativam; Par utrinque est ratio. Imo vero summa & hic est disparitas. Quippe per τὸ sensitivum animal in suo esse proprio & specifico constituitur; unde quodcunque corpus sensibus a natura instructum est, animal jure audit. Ast per τὸ vegetativum, ita nude, & simpliciter spectatum, essentia nonnisi generica plantæ absolvitur; siquidem animam vegetativam non in solis plantis deprehendimus, sed eadem quoque in homine & bruto se exerit. Male itaque colligis: Corpus hoc vivit, alitur, augetur, generat; Ergo est planta. Cur enim plantæ præcise tribuis, quod pluribus aliis speciebus commune est? Sed disjunctive pronuncia: Corpus hoc vivit, alitur, augetur, generat; Ergo est vel homo, vel animal, vel planta, utpote in quibus singulis istos effectus cernere licet. Quare ut hoc magis specificè essentia plantæ determinetur, addunt aliqui in ejus definitione τὸ non sentiens, hoc modo: Planta est corpus animatum, vegetans, non sentiens; atque adeo differentiam specificam negative tradunt, quia vox, qua positive efferant, satis idonea non suppetit: plane ut in definitione bruti differentia specificè negativo irrationalitatis conceptu commu-

niter



niter exprimitur. Cum itaque sensus absentia, quæ esse proprium plantæ nonnihil definit, locum in homine, sed nec in bruto, inveniatur: liquido apparet, quare nec plantæ appellatio iisdem conveniat. Deinde in eo quoque hallucinatur *Cardanus*, quod sibi persuadeat, formam formæ superadditam tantopere subjectum immutare, ut denominatione a priori forma plane intercitat. Hæc enim hypothese admissa, sequeretur, hominem nec substantiam amplius, vel corpus animatum, postquam semel rationalitatem, ceu aliam ab iisdem formam, receperit, dicendum esse. Quod ἀτοπον. Tandem per modum dilemmatis *Cardanus* concludit: *Si homo animal est, vel ratione utens, vel carens? non equidem carens, esset enim bellua: est igitur utens ratione. Uti itaque ratione, differentia quædam est animalium, velut & bovis & leporis propria differentia. Quæ igitur sentit anima, ut potest non uti ratione, potest etiam uti: intellectus igitur in ea collocatur. Perspicuum enim est, differentiam quamlibet in eo esse posse, cuius est differentia? Sensus igitur intelligere posset?* Summa verborum, quæ satis intricate concepta sunt, hæc esse videtur: Non posse hominem, ceu speciem, animali, tanquam generi, subjici; quia alias, ex communi generis & speciei ad se invicem relatione, & habitudine, sequatur, formam quoque hominis, quæ anima est rationalis, sub forma animalis, quæ anima est sensitiva, comprehendi. Cum tamen magna nonnisi cum  
 absur-

absurditate dicatur, animam sensitivam uti ratione, cogitare, intelligere. Sed enim non adeo absurdum est, hos effectus certo modo in sensitivum quoque applicare; ratiocinatur & ipsum, cogitat, intelligit, non qua tale, formaliter & abstractivè sumtum, sed materialiter, & concretivè spectatum, quatenus animam rationalem, a qua πρώτος, & radicaliter ejusmodi operationes pendunt, intime unitam habet; prout eodem modo & animæ rationali ενεργείας corpori proprias, ob περιχώρησιν, & unionem intimam, vindicari cernimus. Verum tædet, longius trahis hisce & parum profuturis subtilitatibus scholasticis immorari. Vide sis interim de hac controversia *Henr. Kipping. Instit. Phys. L. VIII. C. I.*

## §. II.

Dum exlex (quod alterum est, cuius rubrica meminit, vocabulum,) a nobis pronuntiatur brutum, hoc ipso illud ab omni omnino obligatione legali, sive Leges ista concernat Divinas, sive humanas, sive naturales, sive positivas, exclusum volumus. Præclare hanc in rem *Grotius ex Hesiodo:*

Τόνδε γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων.  
 Ἰχθύσι γὰρ καὶ θέρσι καὶ οἰωνοῖς πετεινοῖς  
 ἔσθμεν ἀλλήλας ἐπεὶ ἔ' δίκη ἐστὶ μετ' αὐτῶν.  
 Ἀνθρώποισι, δ' ἔδωκε δίκην, ἢ πολλὸν ἀρίστη  
 γίνεται.

## §. III.

Quod si autem Lex, & in specie Naturalis,  
 im.

improprie sumatur, pro inclinatione ad amplectendos vel averfandos istiusmodi actus, qui ad conservandam vel destructionem naturæ tendunt; quò sensu Icti jus Naturæ dicunt, quo Natura omnia animalia docuit: Nos quidem hoc improprio significato brutis eam facile concedimus: sed scias, legem hic a nobis non improprie, sed proprie & in rigore suo accipi, prout normam & regulam denotet actionum moralium. Hujus igitur subjectum bestias constituendas esse negamus. Idque in sequentibus nobis prolixius demonstrandum incumbit.

#### §. IV.

Causam, cur legum vinculo animantia bruta solvantur, quintuplicem potissimum apprehendimus: I. Quia intellectu & facultate mentem Legislatoris cognoscendi destituuntur. Frustranea certe & irrita legum est promulgatio, ni subjectum, ad quod hæc dirigitur, ita dispositum sit, ut vim istarum capere, & actiones ad normam præscriptam instituere valeat. Qua potentia belluas in universum omnes carere, ipsarum quemvis abunde docet natura. Apprehendunt quidem sensibus objecta rerum, & beneficio phantasie & sensus communis nonnihil discernunt; ut vero actibus reflexis cognoscant, cognita componendo vel dividendo dijudicent, examinent, ad se applicent, & quid suarum partium sit, quidve mandatum Superioris exigit, distincte intelligant, illud in ipsarum potestate non est. Actus directos habent,

bent, nullos reflexos. Et quæ in ipsis se exerit cognitio, mera sensualis est, ab intellectuali longe diversissima. Unde & conscientia, quæ iudicium est intellectus de agendis, vel omittendis, in bruta non cadit; nec secundum, vel contra dictamen conscientiæ, qualis nullas in ipsis datur, ullo in casu egisse dici possunt. Impetu agunt, non consilio. Impetu inquam, non cæco & fortuito, sed ad actiones cujusvis animantis naturæ & conservationi accommodatas per instinctum naturalem divinitus directo.

## §. V.

Meminimus equidem, non deesse, qui bestiis quoque cogitandi & ratiocinandi facultatem adscribant. Quorum in numero est *Laur. Valla L. III. Dialect.* *Thom. Campanella L. II. de Sensu rerum C. 23.* & qui ex professo hoc argumentum persecutus est *Hier. Romarius* in integro aliquo Tractatu. At non videntur Auctores, quotquot rationem & intellectum in brutis adstruant, serio id facere, sed lusus & ingenii gratia; forte ut stuporem & sui admirationem in aliis excitent, si hypothesi manifesto falsæ speciem veritatis vel saltem probabilitatis inducere potuerint. In eo tamen excedunt, & impietatis notam incutunt, quod ipsam Scripturam S. in partes suas trahere, & huic suo commento indigna quadam detorsione applicare non vereantur. Sanè si ad Sacras Literas in hac lite recurrendum, res jam confecta est. Siquidem disertis verbis *ἀλογα*, si-

ve rationis expertia in iis dicuntur bruta, 2. *Petr. II. 12.* & hominibus, rerum intelligentiam habentibus, opponuntur, *Pf. XXXII, 9. Add. Sap. XI, 16. Bar. VI. 68. IV. Efr. VIII. 30.* Quæ vero ex ratione petunt ad vindicandam brutis rationem argumenta, vix majoris sunt momenti, quam *Cartesianorum*, quibus omnem plane sensum iisdem adimere, & in mera automata transformare volunt. Quorum isti in excessu, hi in defectu peccant. Quantum autem a vero utriusque sententiæ Patroni aberrant, & quam lubricam insistant viam, non est, cur pluribus exponamus. Otia hic nobis dudum fecere Viri doctissimi. Confer ex multis Ingeniosiss. *du Hamel, de Corpore Animato. L. III. G. I. II.*

## §. VI.

Exleges esse bestias, illud II arguit, quia spontaneitate, quam vocant, & in agendo libertate non gaudent. Quarum ista potentiam alias voluntatis denotat, per quam intrinsece ad agendum motu proprio se determinat, & inferiori facultati locomotivæ executionem rei sub specie boni ab intellectu repræsentatæ citra omnem necessitatem, & coactionem imperat. Hæc vero indifferentiam largitur individuo, ut possit agere, & non agere, agere hoc, & agere aliud, agere hoc modo, & agere alio modo; hinc triplex vulgo enascitur libertas, contradictionis, contrarietatis, & modi. Utramque & spontaneitatem, & agendi libertatem in subjecto, quod Legibus regendum sit, requiri, quo-

quotusquisque sanæ mentis non intelligit? Quo enim successu commissio vel omissio actus illi poterit inculcari, qui ob urgentem intrinsicam vim in alterutrum oppositorum necessario fertur, & ad certum, fixum, & indeclinabilem agendi modum per naturam adstringitur? Vanus hic utique & irritus erit omnis labor. Jam si naturam, & conditionem brutorum paulo intimius scruteris, animadvertes, impetu naturali, velut pondere quodam, in objecta trahi, ut non possint non, cæteris paribus, ea vel prosequi, vel averfari. Nullus electioni, nullus arbitrio locus! Vere *Basil. Seleus. Orat. III. Animantium genera fabricans Conditor immobilibus natura Legibus adstrinxit; neque ipsis electio est, qua facultatem in utrumque parciatur, neque ratiocinationis discretio, qua velut in equilibrio perpendat agendorum delectum: Sed simul imperat natura, ad agendum impelluntur, non excusso curiose præcepto. Paria habet laudat. Du Hamel de Corp. Animat. L. III. C. II. §. 6. Non eligunt, inquit, bestia, aut sese ad agendum determinant, aut rerum causas inquirunt. Namque sunt unius generis, uno & eodem modo operantur, quod vel a natura, vel ab objectis ipsis ita determinentur, ut nullum habeant in suos actus imperium; hoc utique quod fortius allicit, omnino sequuntur. Et paulo ante: Affectus quidem suos per signa quædam naturalia bestia solent exprimere, sed ea sunt ejusmodi, ut ab iis mutari, aut reprimi non possint. Quamvis, quod*

Kk

polte-

posteriora *Hamelii* verba attinet, multis dubium adhuc videatur, utrum affectus, quibus coërcendis Leges maxime adhibentur, in brutis admittendi sint. *Stoicorum* certe haud pauci negant, ex quorum mente *Seneca L. V. de Ira, C. III.* scribit: *Muta animalia humanis affectibus carent, habent autem similes illis quosdam impulsus.* Cujus contrarium alii cum *Peripateticis* acriter propugnant. Nos litem istam nostram impræsentiarum non facimus. Paucis tamen: Distingvendum censemus inter affectus in se & abstractivè consideratos, & relative in ordine ad voluntatem, cujus imperio subjacent. Hoc ultimo respectu brutorum naturæ, eo ipso, quod voluntate privantur, minus convenientes esse, manifestum est. Qui vero affectus etiam simpliciter & absolute tales, prout motus sunt appetitus sensitivi in persecutione boni, & fuga mali, feris adimit, appetitum quoque sensitivum, e quo isti ceu fonte & principio suo profluunt, ipsis adimat, necesse est; de cujus tamen in iisdem existentia omnis generis effectus & operationes satis nos certos reddunt. Persequuntur utique bonum, fugiunt malum, physicum puta, non morale; sed utrumque a se fieri nesciunt. Et utrumque quo minus fiat, non magis in ipsarum potestate est, quam in hominis, facultas v. g. nutriendi, augmentandi, sentiendi, generandi &c. Quemadmodum ergo infantiæ & simplicitatis merito argueretur, qui hominem id agere & impedire juberet, ne cibus, per os ingestus, & in stomacho decoctus,

coctus, per venas se diffundat, & corpus nutriendo augmentet; vel ne halitus odoriferos, motis in naribus fibrillis, olfaciat; vel editum in aëre fragorem auribus percipiat; vel ne ovulum per tubas fallopianas in uterum delatum sensim exerescat, foetum humanum efficiat, & post certum temporis intervallum in lucem protrudatur; quia hæc & alia hujus generis imperium hominis penitus respiciunt, & secundum ordinem, a Deo semel in naturam introductum, etiam inscio & invito ipso, succedunt: Ita cum non major, imo si rem æstimes, adhuc minor brutorum in omnibus actionibus suis occurrat libertas, apparet, quam inepte, & stolide Leges ipsis præscribantur.

## §. VII.

Sed videris dubius adhuc & suspensus circa allatam a nobis probationem. Quid enim, ais, si propterea bestia ab omni Legum obligatione liberantur, quia nihil cogitate, & consulto, sed uniformiter omnia ex intrinseco & inevitabili quodam impulsu agunt: etiam infantes, in quibus pariter consilium, electio, & agendi libertas, ob deficientem rationis usum, desiderantur, exleges dicendi erunt? Recte concludis; sunt exleges, in foro scilicet humano. Quidni in foro etiam Divino? Quoniam (a) Lex naturalis Divina cordibus ipsorum inscripta est, Rom. II, 15. quod nusquam in Scriptura de brutis animantibus asseritur. Quia (b) ratione sunt præditi, utut actus secundus aliquantisper lateat: In brutis vero ne quidem actus pri-



mus vel potentia ratiocinandi remota apprehenditur. Quia (c) Spiritus S. tenellos infantum animos occulta & admiranda vi dirigit, ut multos actus, quamvis inscii, & imprudentes, Legi Divinae conformes edant; vel si omnino quandoque exorbitent, illud peccato originis, a parentibus sibi ingenito, quod pravos subinde motus excitat, non vero proæresi alicui tribuendum. Ad bruta vero nec specialis & gratiosa directio divina, nec labes peccati originis pertinet. Ut adeo satis liqueat, quantum adhuc infantes inter vel etiam insanos, & furiosos, qui ob delirium, & mentis perturbationem in eundem cum iis censum veniunt, & animalia ratione prorsus carentia intersit.

#### §. VIII.

Legibus bestias non teneri, ex eo etiam III. evidens redditur, quia finis, quem Leges respiciunt, neutiquam ad illas extendi vel applicari potest. Jam vero tritus Philosophorum canon est: Ad quem finis non pertinet, ad eum nec media, ad finem istum ducentia, referri debent. Est autem finis Legum, isque communis & ultimus, ex parte Dei, celebratio Nominis Divini: ex parte hominum, salus, eaque cum temporalis, tum spiritualis, & aeterna. At nihil horum in bruta quadrat. Inserviunt equidem celebrandis & amplificandis laudibus Divinis, sed nonnisi objective, quatenus amplio rem materiam, & clariora creaturis rationalibus, ad exhibendum Deo istam cultus religiosi partem, argumenta suppeditant. Hoc vero sensu

su idem de entibus inanimatis passim in S. Codice enunciatur. Si postea meminerimus, Leges Divinas, æque ac humanas cum etiam in finem latas & promulgatas esse, ut salutem & tranquillitatem vel particularem unius civitatis, vel universalem totius generis humani fulcirent, ac tuerentur: facile colligitur, bruta, quæ nec cives in Republica, nec membra in societate humana constituunt, hic penitus excludi. Quod denique nec de fine Legum spirituali, & ad alteram relato vitam participant, de eo hoc minus dubitandum, quo magis certum & indubiæ veritatis est, actum plane esse de brutis animantibus, quamprimum morte vel naturali, extincto nimirum calido nativo, & humido radicali consumto, vel violenta perierint, neque ullam corporibus, aut eorundem animabus, quæ materiales itidem, ac adeo corruptioni obnoxia sunt, restitutionem sperandam esse.

## §. IX.

Imo, vero, inquis, non videntur bestia ab obligatione Legum plane eximendæ, quia socialitatem, qui præcipuus Legum finis habetur, appetunt, & colunt. Ast, quo modo eandem appetunt, & colunt? Num rationali, & intellectuali? Ut officiorum, Legibus præscriptorum, modum intelligant, & quod cuius in societate debetur, scientes ac prudentes exhibeant? Minime! hominum hoc est, non brutorum. Officia strictè & formaliter sic dicta in creaturas, rationis expertes, non cadunt. Siquidem officium *actio hominis est, pro ratione obligationis, ad præscriptum Legum rectè attem-*

*perata; definiente Pufendorf. de O. H. & C. L. I. C. I. §. I.* Quæmadmodum vero per humanam actionem, notante eodem Viro Illustri *L. c.* non intelligitur quivis motus, a facultatibus hominis procedens, sed ille duntaxat, qui *provenit ac dirigitur ab iis facultatibus, quas humano generi prækrutis Creator O. M. attribuit, nempe qui velut prælucente intellectu ac decernente voluntate suscipitur.* Ita nemini, ut opinor, obscurum esse potest, brutorum actiones, quæ nec ab intellectus præscientia, nec voluntatis decreto, sed a mero appetitus sensitivi & facultatis locomotivæ impetu proficiscuntur, ab officiorum, quæ Leges decernunt, natura & conditione toto cælo distare; idque ex sequentibus ulterius constabit.

## §. X.

Finis Legum intermedius est, ut ad virtutem homines incitentur, & a vitiis absterreantur; cum vero virtutum pariter ac vitiorum incapaces sint bestia: ista incapacitas, & ad actus morales ineptitudo IV. nobis pro neganda Legum in iisdem obligatione argumentum suggerit. Quid, quæso, enim istiusmodi individuis Leges profint, quæ nec bonum, nec malum morale intelligunt, atque adeo nec meliora, nec pejora fieri possunt? Sic vero brutorum naturam, si virtutes, ac vitia spectes, affectam invenias. Siquidem objectum virtutum ac vitiorum est honestum, ac inhonestum, sive turpe: discernere vero honestatem ac turpitudinem, bonitatem & malitiam actus, non est animæ

vege-

vegetativæ, aut sensitivæ, qua sola animantes præditæ sunt, sed rationalis, quæ homini in hoc mundo sublunari propria. Accedit, quod virtutes ac vitia sint Ἐξίς προαισθητικῆς, h. e. habitus, quo mediante eligitur, quod Legi est conforme, aut difforme: Electionem autem, utpote quæ libertatem acceptandi hoc, & repudiandi illud, præsupponit, cum bestiarum natura stare non posse, supra ostensum. Conf. *Wendelin. Phil. Mor. L. I. C. III. §. 21.* Urges: Præter intellectum, & voluntatem etiam appetitum sensitivum, quo bruta æque ac homines instructa sint, virtutum ac vitiorum esse subjectum? Hic vero in determinando actuum moralium subjecto in diversas scinduntur partes Moralistæ; alii superiores, alii inferiores animæ facultates huc referunt. Nos medium tenentes, istas πρώτων, has δευτέρον Δυστηκὸν dicimus. Vide *Hornejum Phil. Mor. L. II. C. II. Stratemannum Instit. Eth. L. III. Iterum Phil. Mor. L. III. C. I. Quest. I.* Ergone bruta ob appetitum, quo gaudent, sensitivum secundarium minimum virtutum ac vitiorum erunt subjectum? Ne hoc quidem; quia omni plane potentia dirigendi, refrænandi, & coërcendi cupiditates, quæ ipsis suboriuntur, carent: quod secus est in homine, cui imperium, non quidem absolutum, & plenarium, sed limitatum in affectus competit; hinc appetitus in ipso sensitivus subjectum actuum moralium secundarium potiori jure appellari potest.

## §. XI.

Vulgo quidem virtutes ac vitia brutis animantibus tribui audias. Notum est, quantis laudibus efferant pietatem cicōniarum, castitatem columbarum, Φιλοσοφίαν camelorum, fidem canum, fortitudinem equorum, prudentiam serpentum, frugalitatem formicarum &c. Sed & vitia in iis notant, v. g. ingratitude in cuculis, ἀσοφίαν in corvis, κακοζήλιαν in simiis, falacitatem in hircis, rapacitatem in lupis &c. Confer eam in rem Zoologos, *Aristotelem, Ælianum, Plinium, Gesnerum, Schottum, Franzium, Sperlingium &c.* Enimvero rectius istos, qui in brutis se exerunt, actus non tam virtutes & vitia, quam virtutum ac vitiorum umbram & simulacra dices. Solis hominibus, si a sanctissimo Angelorum coetu discesseris, virtutes Deus reservavit, ut animos eandem cultura perficerent, paulatimque ad mentis Divinæ, cujus imaginem gerunt, excellentiam ascenderent, &, quantum animalibus rationis & imaginis Divinæ expertibus distarent, tam sacro & augusto virtutum studio luculentius proderent. Hinc *Seneca Epist. 77.* comparatione hominem inter & belluam instituta non male concludit: *Hominem omnia cum bruto habere communia, præter solam virtutem, & rectam rationem.* Possis tamen distinguere inter materiale & formale virtutum, (eadem & vitiorum est ratio,) istud, quod mere physicum quid est, animalibus ob appetitum sensitivum, & facultatem, qua possent, loco-

locomotivam, concedimus : hoc vero ob deficientem Legis, quæ sola moralitatem actionibus imponit, cognitionem, & agendi libertatem penitus denegamus.

## §. XII.

Corruit etiam hoc ipso pudor, quem in brutis quibusdam fingunt, naturalis, quo cum ab aliis vitiis, tum a stupro, & incestuosa cum parentibus commixtionè abhorreant. A qua superstitione nec ipse *H. Grotius* alienus est, de *J. B. & P. L. II. C. V. §. 12. n. 5.* adductus maxime in eam opinionem nobili, ut ipse vocat, de camelo & equo Scythico narratione, quam *Aristoteles Hist. Anim. L. IX. C. XLVII.* his verbis persequitur: *Matres cameli nunquam superveniunt suas : Sed etiam si quis cogat, ipsi non patiuntur. Jam cum aliquando admissarius non haberetur, curator pullum matri aperta admisit, qui dum coiret, delapso operimento, agnovit matrem, & quamvis coitum absolverit, memor tamen commissi sceleris, paulo post camelarium istum morsu defixo interemit. Ferunt etiam, Regi Scytharum fuisse equam egregiam, ex qua mares generosi omnes gignerentur ; quorum unum, qui prestantior haberetur, cum, ut ex matre procrearet, placeret, admissum omnino recusasse : Opertam deinde latuisse matrem, ut imprudens superveniret ; veram ubi a concubitu faciem matris detectam agnouerat, fugam properasse, atque se ipsum actum precipitem interemisse. Hæc Aristoteles. Paria de tur-*

ture narrant, quod amissa conjuge sua, non ducat aliam, sed solus incedat, versetur in locis solitariis, fugiat commercia hominum; valde misere gemat, aquam, quam est bibiturus, prius turbet pedibus, nunquam descendat in hortos, & agros, nisi famelicus, postea statim revertatur; prout hanc avis continentiam *Franzius* describit *Hist. Animal. P. II. C. XV. §. 5.* At fabulosa hæc & veritati minus consentanea putamus. Namque bruta, absque ullo necessitatis & cognitionis discrimine, vaga & promiscua uti venere, nec vel patrem filię, vel filium matris dedignari coitum, quotidiana testatur experientia. Vel si omnino quandoque contingat, ut corpora miscere noliat, illud non a fuga præcise insita, & pudore quodam naturali derivandum; cum alia subesse possit ratio, forte quod eo, quo committebantur, tempore, nullos carnis stimulos senserint. Deinde pudor iste, si naturalis fuerit appellandus, non uni tantum vel alteri individuo, sed integrę speciei communis esse debet: Jam vero nullam in classe brutorum speciem tam casto horrore percussam invenire licet. Fingamus tamen, omnia in universum animalia ab ea, quę inter homines impura & incestuosa habetur, commixtione abstinere; id miram quidem instinctus naturalis vim ac efficaciam, minus autem distinctam, imo ne quidem confusam, licitę ac illiciti, turpis ac honesti cognitionem argueret; quin potius distingvendum hoc casu esset, ex mente *Osiandri*, inter pudorem natum ex facto simpliciter,

6

*Et* natum ex cognitione facti *Et* legis simul, in quam peccatur, *Comm. in Grot. L. I. C. I. Tb. XI. Addat. Ziegler. in eundem Grot. L. II. C. V. §. 12.* Cæterum procul dubio fuga ista & horror naturalis Sapientum consilio in brutis animantibus confectus, & cum in finem excogitatus est, ut laxas impudicorum cupiditates, & effrenam lascivientium libidinem ac prurimum hoc facilius cohiberent, & constringerent, si animalium irrationalium continentiam ob oculos ipsis posuissent. Quippe nihil magis hominum, modo oris quid & frontis habeant, pudorem provocat, quam si se ipsis bestiis deteriores videant, & sentiant. Cujusmodi fabulæ, quales nobis Æsopus complures reliquit, non sunt levia quædam & frugis expertia, quod primo forte obtutu imprudentibus videri poterat, otiosorum hominum commenta; imo sub iis, ut prudenter nonnemo judicat, velut involucris ac integumentis omnis doctrina elegans, omnis ingenue homine digna cognitio, omnisque sapientia continetur.

## §. XIII.

Illud denique V. bruta a Lege immunita ac libera facit, quod nec poenis, nec præmiis, quorum alterutrum transgressio vel observatio Legis necessario conjunctum habet, affici queant. Siquidem actiones brutorum sunt indifferentes, & mere physicae, ac adeo nec ad bonum, nec ad malum imputabiles; præcipue cum fons atque origo imputativitatis sit libertas in agendo, & influxus liberi  
arbi.



arbitrii in actionem, quam fieri, vel non fieri, penes aliquem erat; qua libertate bestias privari, sapius jam a nobis dictum & demonstratum. Conf. *Dn. Thomaf. Jurispr. Div. L. I. C. I. §. 69. seqq.* & *Hedinger. Jurispr. Nat. Append. p. 565. Agell. L. VI. C. 14.* tres constituendis pœnis causas affert. Unam *υ8θεσίαν, κόλασιν, vel παραίνεσιν* dicit, quum pœna adhibetur, castigandi ac emendandi gratia, ut is, qui fortuito deliquit, attentior fiat correctiorque. Alteram *τιμωρίαν* appellat, quum dignitas, auctoritasque ejus, in quem peccatum, tuenda est, ne prætermissa animadversio contemptum ejus pariat, & honorem levet. Tertiam *παράδειγμα* nominat, quum punitio propter exemplum est necessaria, ut cæteri similibus a peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur. Nulla vero harum puniendi rationum bestias ferit: quia nec ad corrigendam, quæ uniformiter subinde agit, naturam compelli; nec ad servandum Legislatore, quem plane ignorant, auctoritatem adstringi; nec exemplis, quorum vim & specialem ad se applicationem itidem nesciunt, edoceri valent. Opponis: Quidni bruta corrigi, & crebra animadversione ad meliorem frugem reduci possint? Nonne canis, qui culinas lustrare, & quod forte ad palatum esset, subducere solebat, fustibus aliquoties probe contusus, istam furandi consuetudinem deponit, & fauces deliciis alias tam avide inhiantes, metu verberum, compescit? Emendantur utique bruta; sed modo

modo duntaxat animali; dum actum, cujus patratio dolorem ipsis multoties attulit, omittunt, & fugiunt, ita tamen, ut fuga ista non ab intellectuali legis, talem actum vetantis, notitia, sed a mere sensuali objectorum cognitione, & interna phantasia operatione proveniat. Quare si durius quandoque tractentur & coërceantur bestia, ista coërcitio non se habet per modum poenae proprie sic dictae, antegressam culpam & ἀνομιαν legalem excipientis, sed mera passio dolorifica est, eo consilio adhibita, ut horror ab istiusmodi actu, qui nos offendit, sensibus illarum imprimatur, ne iterata repetitio in consuetudinem abeat, & majorem nobis postea molestiam facessat. Deinde advertendum hic omnino etiam est discrimen inter materiale, & formale poenae; de quo vide *Osandr. in Grot. L. I. C. I. Tb. XI.* Scias tamen, bruta licet reatum culpae & poenae formaliter sic dictae sibi met ipsis non contrahant, eundem nihilominus aliis contrahere posse. Ita si cujus canis non laecessitus morsu praetereuntem vulneret, vel pecora in hortum & pratum vicini decurrant, gramen depascant, plantas & germina novella absumant, & obvia quævis pedibus contulcent: id vel custodi, cujus incuria damnum illatum est, vel Domino, qui commodum alias & fructum ex iis percipit, imputatur, isque ex facto animalium tenetur. Cum enim bruta sibi non consent, sed aliorum directioni & regimini subsint, æquum est, ut, si extra oleas forte vagentur, & damnum afferant, pro iis respon-

respondeat, & indemnitate præster, qui se in gerenda cura paulo negligentior exhibuit. Quod si vero Dominus culpam penitus deprecari, & damni resarciendi onus a se amoliri velit, tradenda est bestia, & libero alterius arbitrio permittenda. Nonnunquam tamen afflictio dolorifica, ceu materiale poenæ, in animalia quoque, utut se mere passive habuerint, redundat; idque in Sodomitis maxime fieri assolet, quos una cum bestiis, quibus ad detestandam libidinem abusi fuere, vivos flammis immitti, & in cineres redigi Leges jubent: scilicet nullum, quod indignam tam horrendi sceleris memoriam & cicatricem refricet, vestigium supersit.

## §. XIV.

Sicut igitur poenæ formaliter tales bruta non stringunt: Ita nec honores & præmia, quæ obsequentibus Leges pollicentur, ad brutorum genus referri possunt. Namque genuinum, idque præcipuum honorum fundamentum est virtus. τῆς ἀρετῆς ἀθλον ἢ τιμὴ, καὶ ἀπονέμεται τοῖς ἀγαθοῖς; *Aristot. IV. Eth. c. 3.* τιμὴ δόσις ἀγαθῶν ἐν ταῖς δι' ἀρετὴν πράξεσι διδόμενων, ἀξίωμα ἀπ' ἀρετῆς, σχῆμα σεμνότητος, τήρησις ἀξιωματικῶν; *Plat. in Definit.* Atqui virtutem ab animalium rationis expertium natura quam longissima remotam esse, superius fuisse expositum. Deinde honores hoc potissimum fine conferuntur, ut & his, qui ad magna contendunt, ornamento sint, & cæteris, qui humi repunt, & abjecti sunt animæ, incitamento, ne omnem inclarescendi & poenæ  
angus

angusta, quod ajunt, ad augusta penetrand<sup>o</sup> occasionem indigno quodam torpore omittant. Quis vero non intelligit, utrumque in bestiis, quas nec gloriæ cupiditas, nec mutua æmulatio stimulat, nec ullus honorum sensus afficit, desiderari? Urget: Non tamen omnem brutis ad honores & præmia aditum præcludendum esse, quia multa hominibus, quæ ad victum, amictum, & commoditatem pertinent, tam copiose & largiter impertiuntur, & hoc modo tot sibi eodem beneficiis obstrictos reddant? Enimvero negamus, inter beneficia omne, quod ab animantibus in homines proficiscitur, numerandum esse. Non brutis, sed Deo, qui causas secundas in usus humanos tam provide, & sapienter convertit, acceptum illud ferimus. Quippe ut actio alterius meritoria sit, & beneficii loco haberi debeat, requiritur (1) ut sit voluntaria, (2) cum intentione, bene de aliquo merendi, conjuncta, (3) indebita; docente *Dn. D. Schmidio*, in *Dissert. de Honore Brutis non competente*, hic *Lips. 1686. hab.* & quidem *Sect. II. §. VIII.* Quo loco idem Vir Celeberrimus, facta applicatione, perspicue ostendit, nullum ex allatis requisitis in bestiis inveniri. Non primum; quia quicquid bruta ad commoda humana conferunt, præter omnem suam intentionem conferant. Sicut igitur arbori, licet fructus suavissimos in hominum utilitatem proferat, nemo sanæ mentis beneficium imputandum, eandemque honore afficiendam asserat: Ita nec bruta ob varios ab iisdem usus inge-

titus

nus humanum redundantes rite honorari. Non tertium; quia Supremum Numen omnia bruta in humani generis usum non tantum creaverit, sed & huic in illa plenum dominium concesserit; ut adeo clarum evadat, nihil bruta promereri posse. Quare haud injuria dementiam & simplicitatem gentilium mireris, qui cultu civili pariter atque religioso bestias prosequi, aras iis statuere, thura & odores incendere sustinuerint. Satius utique erat, & naturæ brutorum magis accommodatum, lautiori cibo latrantem eorum stomachum delinire, quam inani & stolido cultu sensibus obstrepere. Conf. de hac superstitione, & bruta ethnicorum idololatria *Vossius de Theol. Gentil. Seldenus de Diis Syris. Gyraldus Syntagm. de Diis Gentium.*

## §. XV.

Ex hæctenus dictis evidenter, & abunde, quod putamus, liquet, bestias obligationi Legum nullatenus obnoxias esse. Et hoc erat demonstrandum. Quid vero de hominibus, in bestias mutatis, dicemus? Num & eos exleges pronuntiabimus? Anceps hæc & curiosa est quaestio; quare tanto magis hoc loco enodari, & coronidis vice a nobis subungi mereretur. Ut vero distincte nostrum ea de re iudicium proponamus, sciendum, nobis sermonem hic non esse de transmutatione morali seu metaphorica, quæ tum invalescit, ubi homines cœno peccatorum immersi laxant cupiditates suas, & damnato rectæ rationis usu, cœco impetu in objecta, quæ carnem afficiunt, & sensus permulcent,

certa-

certatim ruunt, easque brutorum edunt actiones, quæ in hominibus repertæ vitia appellantur. Namque hujus farinae homines, & degeneres terræ filios adeo non rigidam Legum jugo cervicem subducere, & impune grassari patimur, ut potius in eos, quoties delinquunt, gravius animadvertendum censeamus, ne libertati, quam temere sibi sumere, carnali nimium indulgeant, & altius indies in malitia, & peccandi habitu provehantur, seque homines esse, id est, creaturas rationales Legibus vivere assuetas, penitus tandem dememinerint. Sed agimus de transmutatione physica, quam geminam faciunt, substantialem, & accidentalem. Substantialis est, quæ essentia & natura hominis in aliam bestię substantialiter transit; eaque est vel totalis, qua totus homo, quantum quantum est, in bestiam convertitur: vel partialis, quæ alterutrius tantum partis, corporis, vel animæ, conversionem importat. Quin substantialiter Deus hominem transmutare, & ad brutorum sortem deprimere possit, de eo non dubitabit, nisi qui potentiam Divinam coarctare, & certis eam limitibus impie, & temerarie circumscribere ausus sit. Utrum vero unquam substantialis ejusmodi & quidditativa metamorphosis facta, & a Deo revera suscepta sit, illud non plane indubium, & extra omnem disceptationis alicam ponendum videtur. Prostat tamen, quamvis pauciora, hominum in bestias mutatorum exempla, Celebrerrimus quondam in hac Academia Polyhistor, Jac.

*Thomafius*, probat, & testium non modo auri-  
torum, sed etiam ocularium indicio & testimonio  
confirmat in *Dissertat. de Transformat. Hominum  
in bruta*, Lips. 1667. hab. Accidentalıs transmu-  
tatio est, qua lycanthropia mens hominis obrui-  
tur, & velut soporatur, ut indoles humana sen-  
sim in belluinam degeneret, actualis intellectus &  
voluntatis usus cesset, & animæ nonnisi vegetati-  
væ ac sensitivæ operationes, non secus atque in  
brutis, se exerant, accedente nonnunquam aliqua  
etiam qualitatũ & formæ in corpore organico  
externæ mutatione. Qualem metamorphosin ac-  
cidentalem in *Nebucadnezare* communiter Theo-  
logi statuunt, contradicentibus tamen aliis, & sub-  
stantialem in dicto Rege mutationem adstruenti-  
bus. Vid. *B. Geier in Daniel. B. Dannbauer in  
Colleg. Pſych. p. 29. Dn. D. Læſeher in Dissert.  
de Metamorph. Regis Nabuchodonos. Wittenb.  
1688. hab.* Habet autem prodigiola hujusmodi &  
accidentalıs transfiguratio vel Deum, vel Diabo-  
lum, permittente Deo, auctorem. Quæ a Diabo-  
lo proficiscitur, rursus vel vera est, vel apparens  
tantum, & ad fallendum composita. Quod po-  
sterius metamorphoseos genus infernali huic *Μυιο-  
τεχνίτη* solenne admodum & familiare est: quan-  
do scilicet vel exuvias veras belluinas aptissime ho-  
minibus circumponit; vel imaginem ex aëre com-  
presso formatam, membris humanis ad vivum ita  
accommodat, ut si larvatus ejusmodi lycanthro-  
pus tibi occurreret, jurares, veram & genuinam  
oculos

oculos tuos subire belluam. Et hæc ceu præcognita prius tradenda erant.

## §. XVI.

Hiscæ præmissis; ita ad propositam quæstionem respondendum judicamus: Si omnino singulari quodam miraculo Divino eveniat, ut quis substantialiter, & quoad essentiam, in brutum transmutetur, hoc ipso obligationem simul ad tenendas olim præscriptas vel postea præscribendas Leges prorsus expirare; cum inter hominem talem essentialiter transformatum, & quodvis aliud animal irrationale, nihil interit. Siquidem, mutata semel & extirpata ratione, cessat potentia intelligendi & volendi: cessat communio societatis cum genere humano, adeo ut deturbatus de fastigio humanitatis brutorum posthac numero veniat. Ex quo & illud colligitur, nullas eundem amplius actiones morales, sed mere physicas producere, nec injuriæ vel inferendæ, vel recipiendæ capacem esse, multo minus ob actum aliquem nobis forte molestum in forum trahi, & supplicio affici posse. Sin vero substantialis transformatio ad solum corpus organicum, salva manente interius anima, pertingeret; qualem metamorphosin in Nebucadnezare, quamvis falso, augurantur, *Dorotheus, Epiphanius, Cedrenus*, aliique, notante *Thomas. l. c. §. 32.* tum alia longe esset ratio: quippe hoc casu vis cogitandi, reflectendi super objecta, bonumque a malo discernendi facultas non destrueretur, sed superstes in anima, quamvis cum corpore bel-



luino unita, maneret. Quod autem accidentaliter in bruta mutatos attinet, in istis quidem ratio adhuc sedem habet; aut quia confusa prorsus & perturbata est, & scintillulæ luminis naturalis sub cinere quasi furoris & feritatis belluinæ latent, ita, ut potentia in ipsis ratiocinandi, stante hoc animi & mentis deliquio, nunquam in actum traducatur: apparet, ab omni eisdem obligatione, & imputatione, in foro minimum humano, exemptos esse. Si enim infantes & infani, ob deficientem & suspensum rationis usum, exleges in civitate habentur: quanto magis illud de hominibus in bestias modo, quo diximus, accidentali mutatis valebit. At qui ope magiæ formam belluæ extrinsecus ad tempus assumunt, ut sub schemate isto latent, & quod aperte non licebat, occulte moliantur, illi frustra se hoc modo Legibus vindicare, & in libertatem quidvis impune agendi, qua bruta alias fruuntur, asserere tentant; quin potius aerbissima coercendi sunt poena, quod vetitis se dare artibus, aliisque per metamorphosin præstigiosam, & ad speciem effictam eludere & circumvenire sustineant. Et sane omnes, quotquot humana non contenti forma, deteriori, eamque ferinam induunt, dignissimi essent, qui fata Lycaonis illius Rutheni experirentur, quem lupi habitum & formam assumentem canes, quod feram crederent, invaserunt, misereque dilaniatum sero sapere docuerunt. Historiam integram legas apud *Remigium Damonul. p. 228. seqq.*

PRO-

## PROGRAMMA INAUGURALE.

**Q**uanta incrementa ceperit doctrina moralis, ex quo excelsa recentioris ævi ingenia diviniorem hanc philosophiæ partem magno animo, ingenti labore, sed felicissimo successu, excolendam sibi sumere, neminem, opinor, latebit, cui res literaria curæ est. Multam certe retro ætatem parum in hac scientia præstitum fuit. Sparsum quædam, ad formandos mores, & componendam honestatem, dabantur præcepta. Plurimi satis habebant, undenarium virtutum numerum, ex mente Philosophi, recensuisse, & spinosis maximamque partem otiosis quæstionibus scholasticis interpolasse; hisce finibus omnem pene sapientiam moralem circumscribi patiebantur. Nullus erat, qui Leges Divinas ab humanis, naturales a civilibus accurate discerneret: Nullus, qui genuinum, eumque naturalem moralitatis fontem ostenderet: Nullus, qui ex constituto rite principio singula, quæ naturaliter debentur, officia nexu certo & concatenato deduceret. Quid? quod, probabilissimo invalescente, plerisque supervacaneum, imo temerarium visum, apodicticam in moralibus certitudinem quærere velle. Unde si quando de justitia, injustitia, vel indifferentia actionis pronunciandum esset, in suspenso hærentes, varias, quibus se extricarent, anxie conquirebant rationes, vel, si ultra non possent, sola se Magistrorum au-

auctoritate supplices tuebantur. Quam lubricam  
 viam cum Doctores Scholastici institerint, mirari  
 non subit, eorum, magno licet conatu, nihil pene  
 egerint in hoc literarum genere; cum primis quod  
 acrius de verbis, quam de rebus disputarent, nec  
 libere, ut par erat, veritatem investigarent, sed  
 opinionem, quam semel imbibissent, mordicus de-  
 fenderent. Scilicet, ut omnis philosophia, grassan-  
 te illa in scholis barbarie, inculta quondam jacuit,  
 squalore & rubigine obsita, & tot erroribus ac præ-  
 iudiciis referta, ut falsum a vero ægre discernere-  
 tur: Ita fieri non poterat, quin eadem fata disci-  
 plinam moralem exercerent. Antiquissimis tem-  
 poribus, cum Mythica philosophandi ratio maxi-  
 me placeret, fabulis, apologis, ænigmatibus, hiero-  
 glyphicis, præcepta moralia velut involucris te-  
 cta proponebant, ut occulte animos honestatis sen-  
 su imbuerent, &, quod recta via non licebat, per  
 ambages ac tortuosos anfractus a vitiis abducerent,  
 & ad virtutis studium revocarent. Neque impro-  
 bari poterat institutum; is enim multorum genius  
 est, ut veritatem, in exprobrandis & redarguen-  
 dis nævis, aperte, & simpliciter dictam, impati-  
 enter ferant, & quod medicaminis loco ita crude  
 citra vehiculum porrigitur, fastidiente stomacho  
 accipiant: sin vero acerbiora monita lepidis figmen-  
 tis suaviter diluantur, & alieno sub schemate cor-  
 date repræsententur, longe facilius admitti, & in  
 succum, quod ajunt, ac sanguinem, converti vi-  
 deas. Unde Stagirita *Φιλόσοφον* voluit *Φιλόμου-  
 ρον*

*Sov*, amatorem fabularum, non anilium, & superstitiosarum, sed quæ a Viris gravibus, ac ingeniosis scite constructæ, saluberrimas prudentiæ civilis regulas exhiberent, & tacite homines modum recte & provide vivendi edocerent. Quantumvis igitur nequaquam sua laude privandos existimem, quotquot ex Veteribus in perstringendis vitiis, & statuendo virtuti suo pretio, eandem cum schola Mythica ingrederentur viam: eos tamen, qui morum Doctores videri, & nomen pro dignitate tueri vellent, hisce acquiescere non oportebat. Neque enim satis est, aliqua vitæ præcepta dedisse, & quocumque modo, quid agendum, quidve omittendum, inculcasse, sed ex solidis, & indubitatis principiis nexu firmo ratio officiorum humanorum deducenda est. Sane postquam superiori ætate *Huga Grotius*, magnum inter eruditos nomen, incomparabili suo de Jure Belli & Pacis opere orbi literato inclaruisset, tum demum, quantopere hactenus à recta studium morale tractandi methodo aberratum esset, cognitum fuit. Qui summus & in omnem memoriam celebratissimus Vir primus de officiis, secundum Jus N. rite ordinandis, & fundamento inconculso superstruendis, ex instituto disseruit. Quo cum applausu recens editus hic foetus exceptus fuerit, testatur indefessus Virorum doctissimorum labor, qui eo lambendo & formando tot annos distinerentur, & pene immorerentur, vastisque Commentariis decreta Auctoris explicarent, ac illustrarent. Quamvis aliqui rectius

operam collocassent, & altius longe scientiam moralem provexissent, si magis de rebus amplificandis, & perficiendis, quam de sensu verborum erundo, solliciti fuissent. Commentator ex Commentatore nascebatur, & dum unus adversus alterum hostilibus armis consurgeret, hic *Grotium* defenderet, ille impugnaret, factum inde, ut parum in communem usum conferretur, & tantum non fatalis philosophiæ morali terminus iterato statutus videretur. Dilatavit tamen & feliciter prorogavit ejus fines *Pufendorfius*, quem alterum Jurisprudentiæ Naturalis restauratorem suo merito diceret. Cujus Illustris Viri industriæ quantum in hoc studiorum genere debeamus, vel me tacente, scripta ejus loquuntur, magnam ingenii vim, solidam doctrinam, multamve lectionem undiquaque spirantia. Nec desunt hodiernum, quos honoris gratis appellare poteram, ni pervulgata essent illorum nomina, excellentissimi Viri, qui præclaris hanc in rem meritis concelebrantur, labenti doctrinæ morali suppetias strenue ferentes, & ceptam a laudatis Duumviris telam pertexere allaborantes, hoc majori laudum encomio digni, quo amplior ex illa disciplina, quæ tota practica est, ad genus humanum redundat fructus. Nescio autem, num quicquam magis efflorescentes hæc Musas retardet, ac moretur, quam quod in primis principiis ita discrepent, & in partes tam diversas abeant Moralista. Quam varias enim & sibi nonnunquam e diametro contrarias tventur hypotheses? Unus socia-

socia-

socialitatem, alius statum integritatis, hic bellum omnium in omnes, ille benevolentiam omnium in omnes, rursus alii rationem, alii voluntatem Dei, alii aliam moralitatis naturalis normam constituent. Quæ dissensio obtrectandi ansam osoribus hujus artis dedit, ut simpliciter dicerent, lubrico moralia, in quantum naturaliter æstimentur, niti fundamento, nihil inde certi, nihil indubii expectari posse: vacillantibus quippe principiis, nec de conclusionum veritate adeo magnifice sentiendum esse. At hi meminisse debebant, non tam de ipsis præceptis moralibus, cum primis generalioribus, quæ satis luculenta & certa sunt, quam de modo ea demonstrandi, & ad specialia objecta applicandi, disceptari. Quid? quod nihil tam clarum & manifestum est, quod non alii in ipsa velut meridie cœcutientes, vel ob mentis imbecillitatem, vel ob præposteram contradicendi libidinem obscurum, imo plane falsum sibi videri, pronuncient. Interim satis jam ad liquidum est perductum, veriorum ac certiorum moralitatis regulam non inveniri, quam custodiam societatis, vel, si mavis, necessarium cum salute generis humani nexum. Reliqua principia vel sunt plane paradoxa, & inevitabilia, vel inadæquata, & particularia, vel principium non cognoscendi, de quo tamen disquiritur, sed effendi sistunt. Neque difficile fuerit, quamvis intricata & abstrusa res primo obtutu videri possit, de singulis iudicium ferre, modo attendatur, tria necessario ad constituendum genuinum

num Juris Nat. principium requiri; primo veritatem, ut ne quid falsi supponat, sed mentem convincat, & voluntati Divinæ, ac conditioni humanæ conveniens sit: secundo universalitatem, cum subjecti, ut stringat totum genus humanum, tum objecti, ut plene hominem de iis, quæ naturaliter agenda sunt, instruat: tertio perspicuitatem, ut quicquid Juris N. est, prono inde alveo fluat, & si quis mentis duntaxat compos sit, rationemque in sua potestate habeat, vim incumbentis obligationis clare perspicere possit. Hæc tria requisita ubi concurrunt, de veritate & certitudine principii, non est, cur ultra ambigas. Cæterum licet longe alia hodie, quam qualis olim erat, doctrinæ morali studio ac opera magnorum Virorum inducta sit facies: Nondum tamen ad supremum perfectionis apicem productam credas, ut nihil amplius addi, nihil mutari possit. Amplissimum omnino spicilegium relictum est, si quis ingenii vires experiri, & de sua quicquam ad limatiorem ejus culturam adjicere cupiat. Socialitas certe, quæ dirigit naturaliter actiones humanas, nondum ita expedita & explanata est, ut nihil amplius desiderare possis. Multus, fateor, in hoc argumento est *Pufendorffius*: nusquam tamen in ejus scriptis, quotquot extant, propositionem fundamentalem distincte propositam invenias, ex qua evidenter cognoscatur, quid Jure N. vel præceptum vel prohibitum sit. Æquitatem naturalem cum Jure N. sæpe confundit, & cumulatis in utramque partem

rat. 9

rationibus, rem controversam magis sæpe implicat, quam explicat. Hinc plurima in claram moralium refert, eo quod aliqua æquitatis specie nituntur, quæ tamen, ob deficientem necessariam cum salute societatis convenientiam vel disconvenientiam, rectius naturaliter indifferentia statui debebant. Quin & in aliis partibus Jurisprudentiæ naturalis, quæ a disciplina morali paucis duntaxat capitibus discrepat, in reliquis convenit, multa intacta reliquit: alia attigit, sed non confecit: alia asseruit, sed nullis solidis rationibus probavit; unde veritas, quæ non auctoritate, sed argumentorum pondere movetur, haud raro ab ejus decretis nos discedere jubet. Etenim sectarium & servilem illum philosophandi modum, quo quis unius alteriusve doctioris Viri placitis sese adstringit, effata pro Oraculis habet, cœcoque impetu ceu indubitato vera sequitur, ab ingenuo homine alienum putamus. Sua quisque libertate utatur, seque non minus, quam alios, judicandi facultate præditum meminerit, nec quicquam simpliciter probet, nisi quod invicta ipsi ratio persvaserit. Equidem in rebus, ad fidem & salutem pertinentibus, quas non scimus, sed credimus, & quarum definitam S. Literæ exhibent veritatem, genio nimium indulgere suo, & curiosius quidvis examinare velle, impietatis habetur: At in iis, quæ a lumine naturæ & sana ratione pendent, longe major nobis licentia concessa est. Quare cum in reliqua Philosophia, tum in Morali, juvat & veteres,




res, quamvis parcius, & recentiores, sed paulo diligentius, evolvere Scriptores, ita tamen, ut in nullius verba juremus, sed, Eclecticorum more, quæ in illis vera occurrunt, assumamus, quæ falsa, confutemus, quæ manca, suppleamus. Hanc methodum, ut hæctenus, ita & in posterum publico jam officio admotus, caute sequar. Fato enim prorsus Divino contigit, ut, quam disciplinam tot annos tractassem, & Collegiis æque ac Disputationibus Lipsiæ pro virili exornare laborassem, ea posthac in Academia Sororia, Illustri Universitate Vitembergensi, publice mihi docenda sit. Namque Serenissimus ac Potentissimus Poloniarum Rex & Elector Saxoniz, Dominus **FRIDERICUS AUGUSTUS**, Dominus ac Nutritius noster longe Clementissimus, Professionem Moralium ordinariam obitu Excellentissimi, & plane incomparabilis Viri, Dn. **CHRISTIANI ROEHRENSÉE**, vacantem, quam Clementissime mihi demandavit. Qua singulari Gratia ne me indignum reddam, vel expectationi Studiosæ Juventutis, cui me totum confecro, minus respondere videar, nihil in mea vel fide, vel sedulitate in Collegiis, & publicis, & privatis, desiderari patiar. Cujus amplissimi muneris auspiciam, more Majorum, solenni Panegyri crastina luce faciam, *necessarium, eumque adequatum, præceptorum moralium cum societate humana nexum* brevi oratione ostensurus. Quare Prorectorem Magnificum, Splendidissimos, Amplissimos.

simosque Academiæ Proceres, una cum florentissima generosæ ac nobilissimæ Juventutis concione, ea, qua decet, submissione ac humanitate rogo atque exoro, ut primum in puriori hac Musarum sede dicenti benevolas aures, ad exiguum temporis spatium, præbere haud graventur. Ego sedulo ac omni animi contentione enitar, ne quam a fortuna oblatam occasionem prætermittam, qua hoc beneficii genus observantia, ac reciproca inserviendi promittitudine demereri, mutuisque studiis, ac officiis, gratum vicissim animum declarare valeam. P. P. Dom. VIII. post Trinit.

A. R. S. clæ Iæc VI.



INDEX



# INDEX RERVM ET VERBORVM.

## A.

- A**ceptatio, *regulariter non presumitur, sed probanda est.* pag. 51. 41
- Accessio, *quotuplex sit?* 148
- Actio, *an alteri per alterum acquiri possit?* 64
- Actio, *ut alicui imputari possit, quanam requirantur?* 253. seqq.
- Actio de in rem verso, *quando locum habeat?* 71
- Actio de pauperie, *ad quid detur?* 13. 77
- Actio ex delicto, *an contra heredes quoque continuetur?* 87
- Actio, *ex errore proveniens, an imputetur?* 248. seqq.
- Actio, *ex ignorantia involuntaria ac invincibili proficiscens, an imputari possit?* 245
- Actio, *ex urgente & ineluctabili quadam necessitate proveniens, an imputari possit?* 250
- Actio humana, *quid sit?* 110
- Actio injuriarum, *an etiam locum habeat, si is, qui*

# INDEX RERVM ET VERBORVM.

- qui injuriam intulit, circa personam erraverit?* pag. 130
- Actio Infortoria, & Exercitoria, an sint Actiones, adjectitia qualitate auctæ?** 64
- Actio Legis Aquiliæ, ad quid detur?** 121
- Actio moralis, quid sit; quodnam ejus sit materiale & formale; quodnam principium; unde moralitas ejusdem dependeat?** remissive pag. 236
- Actio Pignoratitia. A quonam tempore præscriptio ejus currere incipiat?** 47. 104
- Actio præscriptis verbis, quomodo differat a conditione causa data, causa non secuta?** 105
- Actio utilis, qua dicatur?** 60
- Actiones Personales, sub quonam nomine in lato sensu veniant?** 34
- Actiones Reales, quonam nomine in sensu, lato sumto, veniant?** 34
- Actiones, vi & coactione elicite, an imputari possint?** 253
- Actus interni, an alicui imputari possint?** 258. seqq.
- Actus voluntatis, circa finem occupati, itemque, qui circa media versantur.** 113
- Advocatus Fisci, quis dicatur?** 80
- Equalitas, an requiratur in defensione, & quando agitur de malo, quod alter nobis intentat?** 38
- Equalitas hominum in statu naturali. De hac vid. tot. Dissert. 1. pag. 204. seqq.**  
Equa.

## INDEX RERVM

- Æqualitas naturalis, in quibus consistat? pag. 212.*  
*Utrum se quoque extendat ad communitatem*  
*bonorum? 227. An exigat, ut bona in Repu-*  
*blica inter cives equaliter dividantur? 232*  
*Æqualitatis naturalis præcipuum fundamen-*  
*tum quod? 213. seqq.*
- Æqualitas potestatis, quomodo differat ab Æqua-*  
*litate naturali? 234*
- Æquitas, quotuplici sensu sumatur? 120*
- Ætas hominum, quam primam, quam secun-*  
*dam, & quam tertiam dicatur? 168*
- Æternitas Dei, unde ex lumine natura hominibus*  
*innotescere possit? 413*
- Affectus, an in bruta quoque cadant? 122*
- Aggressor, qui multis potest esse utilis, an sine*  
*peccato occidi possit? 37*
- Aggressus, an fugam capessere teneatur? 37. U-*  
*trum aggressorem violentum cum nece ipsius*  
*repellere queat? 251*
- Ars Mnemonica, que dicatur, & an pro vera me-*  
*moria medicina haberi possit? 458*
- Athei, utrum dentur proprie sic dicti? 405. seqq.*
- Attributa Divina, quomodo a Theologis dividi so-*  
*leant? 410. seqq.*
- Autor rixæ, an exceptione violentæ defensionis uti*  
*possit? 136*

### B.

- Beatus, an possit dici is ex gentilibus, qui cultum*  
*naturalem integrum servat, & Deum eo modo,*  
*quam*

ET VERBORVM.

<i>quem lumen natura præscribit, pie &amp; solite colit?</i>	pag. 426
<b>Benedictio sacerdotalis, seu hierologia, an ad matrimonium necessario requiratur?</b>	166
<b>Bonis, cum propriis, tum alienis, an &amp; in quantum licite noceatur?</b>	325
<b>Bonum naturale, quodnam dicatur?</b>	114
<b>Bruta quid sint? 488. seq. In quibus homines procedant? 383. seqq. An gaudeant facultate cogitandi, &amp; ratiocinandi? 495. seq. An in Bruta Jus quoddam cadat, ita, ut puniri proprie possint? 118. De Bruto ex lege, vid. tot. Dissertat. 10. pag. 487</b>	

C.

<b>Castratio sui ipsius, an sit licita?</b>	305
<b>Casualia, an nobis imputari possint?</b>	242
<b>Certitudo ac Evidentia Demonstrationum Moralium. De hac vid. tot. Dissertat. 5. pag. 328. seqq.</b>	
<b>Christus, an novus legislator sit?</b>	5. 11
<b>Cives Romani, quonam in sensu soli justas nuptias contrahere dicantur?</b>	43
<b>Civitas, quid sit?</b>	171
<b>Clerici, quandoque etiam ad munia bellica adigi &amp; compelli possunt.</b>	33
<b>Coactio &amp; vis, an excusent? 253. Quotuplices sint?</b>	ibid.
<b>Codicillos plures si quis fecerit, an omnes valeant?</b>	159
<b>Communio bonorum, an a Jure Naturali existat?</b>	

M m

gatur?

# INDEX RERVM

- gatur? pag. 227. Num Communio omnimoda unquam in usu fuerit? 229. seqq.
- Communio positiva, quomodo differat a Communione negativa? 40
- Concubinatus, an Jure Naturali sit interdictus? 49
- Condictio Furtiva, cui & adversus quem detur? 34
- Conditiones, sub quam formula regulariter dentur? 34
- Conscientia, quid in genere sit? 111
- Conscientia scrupulosa, qua dicatur? 112
- Consensus parentum, an Jure Naturali necessarius sit ad matrimonium, a liberis contrahendum? 49
- Consilium, quomodo differat a lege? 271. seqq.
- Constituens, an major & superior sit constituto? 274
- Constitutiones civiles, quem in finem promulgentur? 284
- Contractus, quid sit Jure Civili? 66. Quomodo Jure Civili a pacto distinguatur? 153
- Contractus Societatis. Qualis proportio in eo attendatur? 8
- Corpus. An & quatenus hujus integritati ab homine noceri queat? 317. seqq. Num propter salutem publicam Corpus, firmum alias & integrum, sponte mutilare, permissum sit? 318. seqq.
- Culpa, qualis in quolibet negotio sit prestanda? 66. seqq.
- Cultus

**Cultus, Deo præstandus, unde hominibus ex lumine natura innotescat?** pag. 419

**Cultus naturalis, quod summa cum imperfectione conjunctus sit, an ex lumine natura gentilibus innotescere possit?** 419. seqq. **Quomodo in Cultum naturalem a gentilibus fuerit peccatum?** 422. seqq. **Si quis inter gentiles Cultum naturalem integrum seruet, & Deum eo modo, quem lumen natura præscribit, pie & solícite colat, num propterea beatum & saluum dicere possimus?** 426

D.

**Decimæ, quatenus Juris Divini sint?** 72

**Decreta, quid sint?** 176. 186

**Defensio, an contra aggressorem, qui multis ad-  
huc utilis esse potest, etiam cum internecione  
ipfius licita sit?** 37. **An Defensio sui violentæ  
licita sit?** 129. **Justum Defensionis violentæ tem-  
pus quando in statu naturali incipiat, & quam-  
diu duret?** 130

**Demonstrationes morales, quasnum ob causas  
olim in Disciplinis practicis fuerint neglectæ?**  
329. seqq.

**Depositum, quadruplex sit?** 155

**Deus, an hominem ex legem creare potuerit?** 118.  
368. seqq. **Utrum, quod existat, ex lumine na-  
tura gentilibus innotescere possit?** 397. seqq.  
**An, ratione essentie a gentilibus ex lumine na-  
tura cognosci possit?** 408. seqq. **Ut mundum**



## INDEX RERVM

- ab aeterno crearet, annon possibile fuerit?* 414.  
*Num possibile sit, ut quis ad tempus serio crea-*  
*dat, & intime persuasus sit, nullum esse Deum?*  
 405. seqq. *Quomodo describi possit Deus, rati-*  
*one essentiae spectatus?* 408. *Unde ex lumine*  
*natura demonstrari possit, quod Deus sit unus?*  
 411. *Unde, quod sit immutabilis, & aeternus?*  
 413. *Unde, quod sit purus, & sanctus?* 414.  
*Unde, quod sit justus?* 416. *Unde, quod reli-*  
*gioso cultu sit prosequendus?* 419. *Num Deo*  
*etiam aliquid ex Jure imperfecto debeamus?*  
447
- Dictatores, utrum Reges temporarii, an tantum**  
*Magistratus fuerint?* 22
- Dies civilis, quis dicatur?** 73
- Dispensatio, an circa poenam homicidii locum ha-**  
*beat?* 14
- Divisio, an hodie sit modus acquirendi origina-**  
*rius, quando nova occupantur terra, & inter*  
*singulos illa per assignationem dividuntur?* 43
- Dolus bonus, quid sit?** 87. seq.
- Dominatus, quid sit?** 184
- Dominium, quid, & quosuplex sit?** 39. seq.
- Dormientes & somniantes. Num his, quod per**  
*quietem agunt, imputari possit?* 244

### E.

- Ebrietas, num excuset a poena ordinaria?** 114. *An*  
*a poena & culpa excuset?* 244-245
- Edicta, quid sint?** 176

Electio

- Electio Syndici, *quanam requirat?* 175
- Emtio Venditio, *an in dubio potius, quam permutatio sit presumenda?* 66. 151. seq.
- Emtor. *Quis inter plures Emtores praeferri debeat?* 72. seq.
- Error, *quomodo differat ab ignorantia?* 112. 248. *Quotuplex sit?* *ibid. seq.* *Num excuset?* 248. seqq.
- Evidentia ac Certitudo Demonstrationum moralium. *De hac vid. tot. Dissertat. 5. pag. 328. seqq.*
- Existentia Dei, *an gentilibus ex lumine natura innotescere potuerit?* 397. seqq. *Quotuplici modo a gentilibus impugnetur?* 401. seqq.
- Exlex, *an & quatenus summus Imperans dici possit?* 261. seqq. *Quotuplici modo alias quis Exlex dicatur?* 308. seqq. 493. *An brusum sit?* 494. seqq.

F.

- Facultas cogitandi & ratiocinandi, *an bestiis quoque adscribi possit?* 495
- Famelicus, *an pistori, ad famem repellendam, panem subtrahere possit?* 252
- Febriticans, nefanda proloquens, & in hac mentis alienatione decedens, vel mortem sibi consciscens, *an saluus mortuus dijudicari possit?* 244
- Feudum Ligium, *cur ita dictum?* 28
- Feudum. *Prima Feudorum origa cui genti potissimum sit adscribenda?* 27
- Fiducia nimia in sensibus, *an sit impedimenta cognitioni humana?* 464

## INDEX RERVM

- Filiusfamilias, quomodo hodie virtualiter a patria potestate liberetur?** 48
- Finis Legum, quis? 500. 502. An ad bestias quoque extendi & applicari possit?** ibidi
- Finis pœnarum, quotuplex sit?** 189.
- Fiscalis, quinam dicatur?** 79. seq.
- Flacius Illyricus, an insitam Dei notitiam negaverit?** 404.
- Fœminæ, quatenus in feudis ad successionem admittantur? 183. Num Fœminis liceat Jus ignorare? 246. An Fœmina, in extremo polluentis pudoris discrimine constituta, vim intentatam, invasoris cæde depellere queant?** 315. seq.
- Fortuita, an alicui imputari queant?** 242.
- Fugiens, an excusationem mereatur, si, inter fugiendum, innocentem, in via angusta obvium, qui admonitus de via non decesserit, forte quod infans, aut claudus sit, impellendo, aut salutum supra eundem moliendo, viam salutis sibi aperuerit?** 35.
- Fundamentum imputationis actionum moralium. De hoc vid. tot. Dissert. 2. pag. 235. seqq.**
- Fur, num privata autoritate occidi possit?** 131.
- Furiosus, an delinquat, crimen aliquod committendo?** 244.
- Furtum. Quomodo Furti turpitude ex lumine natura cognosci & demonstrari possit?** 346.

### G.

- Gentiles, quinam dicantur? 393. Unde veteribus Chri-**

*Christianis Pagani fuerint dicti? ibid. Utrum ex lumine natura cognoscere queant, Deum existere? 397. seqq. Quotuplici modo existentiam Dei impugnarint? 401. seqq. Quibus modis circa attributa Dei fuerint lapsi? 410. seqq. An ex lumine natura cognoscere potuerint, Deum religioso cultu esse prosequendum? 419. An intelligant ex lumine natura, cultum naturalem summa cum imperfectione esse conjunctum? 419. seqq. Quomodo lapsi sint circa cultum Divinum, quem Theologia naturalis prescribit? 422. seqq. Si quis ex Gentilibus cultum naturalem integrum seruet, & Deum comodo, quem lumen natura prescribit, pie & solícite colat, num propterea beatum & saluum dicemus? 426*

*Grotius, qua occasione Tractatum de Jure Belli & Pacis, scripserit? pag. 1. Cur Tractatum de Jure Belli & Pacis ita inscripserit? ibid.*

H.

*Heres illius, qui juravit, an perjurus fiat, si id, quod defunctus promisit, non prestet? 69*

*Homicida, qui vulnerandi tantum, non vero occidendi animum habuit, an capitali supplicio sit plectendus? 36. 131*

*Homo, num a Deo exlex creari potuerit? 118. 368. seqq. An natura ad turbas & bella inclinet? 207. seqq. In quibus saepe brutis cedat? 383. seqq. Cur Homo Homini ratione vultus, seu*

Mm 4

for-

## INDEX RERVM

- forma adeo dissimilis sit?* 204. *Unusquisque ut Homo, & sibi aequalis, a quolibet est tractandus.* 220. *Quotuplicis generis sint Homines superbi?* 222. *An Homines, in bestias mutati, sint exleges?* 512. seqq.
- Humilitas, quid sit?* 223
- I.
- Ignorantia, quomodo differat ab errore?* 112. 248. *Quotuplex sit?* 113. *Utrum excuset?* 245. seqq.
- Ignorantia Juris, quibus Jure Civili sit permissa?* 246
- Immunitas ab oneribus, quanto temporis spatio per prescriptionem acquiratur?* 47
- Immutabilitas Dei, unde ex lumine natura hominibus innotescere queat?* 413
- Impedimenta cognitionis humanae. De his vid. tot. Dissertat. 9. pag. 454. seqq.*
- Imperantes Summi, an, & quatenus exleges dici possint?* 261. seqq. *Utrum in subditos injuriæ esse queant?* 264. seq. *An universitati adhuc subjecti, populoque, conjunctim sumto, inferiores sint?* 272. seqq. *Num Legibus, a se latis, obligentur?* 278. seqq. *Num Superiori subsint?* 285. *Vid. infr. Princepa.*
- Imperium summum, quomodo dividi soleat?* 24
- Causa Imperii summi atque civilis que?* 119
- Impossibilia, an nobis imputari possint?* 240. seqq.
- Quotuplicia sint?* 241
- Imputatio, quid sit?* 115. 236. *Quotuplex sit?* 237. seqq.

ET VERBORVM.

*seq. An cesset in iis, quæ quis agit, cessante, vel deficiente usu rationis? 243. De Imputationis actionum moralium fundamento vid. tot. Dissert. 2. pag. 235. seqq.*

**Inæqualitas inter homines, in quibus consistat?** 204. *seqq.*

**Infans, cur in mundum editus, initium sumat a lachrymis? 214. Num ad reddendam actionum suarum rationem adstringi possit? 243. Utrum sit exlex tam in foro humano, quam Divino?** 499. *seq.*

**Infinitas Dei, an gentilibus ex lumine natura innotescere potuerit?** 408

**Ingratitudo. Ejus gradus quot precipue sint? 138**

**Injuriâ, utrum civi a civitate, seu eo, penes quem summa in civitate potestas est, inferri possit? 263. Num Injuria, ab Imperante subditis illata, ab his vindicari, & vis vi, manuque armata repelli possit?** 264. *seqq.*

**Integritas corporis. Quanta huic nocendi homini competat licentia?** 317. *seqq.*

**Intellectus, per quasnam facultates sese exerat?** *iii.* **Intellectus vitia precipua quæ?** 118

**Interpretatio authentica, quæ dicatur?** 119

**Interpretatio doctrinalis, quotuplex sit?** *ibid.*

**Interpretatio usualis, quæ?** *ibid.*

**Interusurium, quomodo computari debeat? remisive 67**

**avalus, an fugam capessere teneatur?** 37

M m 5

Inven-

## INDEX RERVM

- Inventio rei.** *Quid in Saxonia circa eandem obtineat?* pag. 61
- Judicium Recuperatorium,** *quodnam fuerit dictum?* 27
- Jus Feudale,** *quatenus a Germanis sit receptum?* 55
- Jus Gentium,** *an sit jus aliquod separatum, & Juri Naturali contradistinctum?* s. 118. 269. *Num summos Imperantes obliget?* 267. seqq. *An a Dn. Kulpisio recte dividatur in universale, & particulare, perpetuum & temporarium, antiquum, & recentius, naturaliter justum, & injustum, ac internum, & externum?* 270.
- Jus imperfectum,** *an cum Lege imperfecta conveniat?* 430. *An Deo etiam aliquid ex Jure imperfecto debeamus?* 447
- Jus Naturale,** *quid sit?* 9. *Unde ita dicatur?* 122. *Utrum in bruta quoque cadat?* 118. 122. *An exigat, ut omnia equaliter inter omnes sint communia?* 227. *An Principes, summosque in civitate R.tores quoque obliget?* 261. *An exigat, ut homo fidem datam servet: ut obsequium Superioribus praestet: ut animum honestis artibus, ac scientiis imbuat, temperantia, castitati, similibusque virtutibus studeat?* 341. seqq. *An ea, quae Jure Naturali tantum sunt licita, non vero praecepta, sint Juris Naturalis?* 41.
- Quenam Jure Naturali praecepta, quanam prohibita sint?* 123. seqq.
- Jus Naturæ & Gentium,** *a quonam primum a Jure Civili*

*Civili fuerit discretum, & per modum peculiaris disciplina propositum, & quinam postea de illo scripserint?* pag. 2

**Jus Personarum, quomodo Jure Civili a Jure Personali differat?** 48

**Jus, personis competens, quid sit?** 428. **Quotuplex sit?** 429

**Jus Romanum, quibus partibus absolvatur?** 2

**Jus sibi ipsi nocendi. De hoc vid. tot. Dissertat. 4.** pag. 301. seqq.

**Jus Stipulæ, quid sit?** 43

**Jus Venandi, quanto temporis spatio per præscriptionem acquiratur?** 47

**Jusjurandum, quali formula sit præstandum in causis, in quibus solenne Jusjurandum requiritur?** 69. seq. **Quotuplex sit?** 145. **An Jusjurandum, per Deastrum, quem quis pro vero Numine colit, præstitum, aequè obliget, ac illud, quod per verum Deum præstitum est?** 126

**Justitia Dei, quotuplex sit?** 416. **Unde ex lumine nature hominibus innotescere potuerit?** *ibid.*

E.

**Lapsus gentium circa naturalem Dei notitiam.**  
*De hoc vid. tot. Dissertat. 7. pag. 393. seqq.*

**Latroni promissum, an sit præstandum?** 106

**Latrocinium, quod turpe sit, quomodo ex lumine nature cognosci & demonstrari queat?** 346. seqq.

**Leges, quem in finem a Legislatore ferantur?** 284.

**Quibus partibus absolvantur?** 290

Leges



## INDEX RERVM

- Leges Civiles, quid sint?* 186. *Quotuplici modo spectari possint?* 271. *Num summos Imperantes quoque obligent?* 270. *seqq.* *Quomodo differant a Legibus cum Naturalibus, tum positivis Divinis?* 282. *In quot classes a quibusdam Doctorum Scholasticorum distingvi soleant?* 292
- Leges Divinae particulares, an obligent summos Imperantes ad sui observationem?* 267
- Leges Naturales, an Principes, summosque in civitate Rectores obligent?* 261. *An determinent, quid bonum sit, aut malum, quid justum, aut injustum?* 265. *seqq.*
- Leges positivae universales, an ad summos quoque Imperantes sint extendenda, eosque obligent?* 266. *seqq.*
- Legislator, num lege, a se lata, obligetur?* 119. 278. *seqq.*
- Lex, quomodo differat a consilio?* 271. *seqq.* *Quotuplici virtute gaudeat, secundum sententiam Wendelini?* 294
- Lex Divina positiva, quotuplex sit?* 120
- Lex imperfecta, quae dicatur?* 119. 430. 431. 432. *An cum Jure imperfecto conveniat?* 430. *seqq.*
- Lex perfecta, quanam contineat?* 176. 430
- Libertas in agendo, quid sit?* 496. *An brutis quoque attribui possit?* *ibid.*

### M.

- Manu conferere in Judicio, quid sit?* 3
- Majestas, an originem immediate a Deo habeat?* 175. *Quid sit?* 176

Mathe-

ET VERBORVM.

Mathematici, *quenam potissimum, ad evitandam probabilitatem, & obtinendam per demonstrationes indubiam certitudinem, caute observent?* 479

Matrimonium, *quid sit? 164. Inter quos sit prohibitum?* 165. seq.

Matrimonium ad Morganaticam, seu Morgengabicam, *quid sit?* 54

Matrona, *num, ut stuprum violentum evitet, recte mortem sibi consciscat?* 313

Membrum corporis, *quo ad peccatum sollicitamur, an licite amputetur?* 321. seq.

Memoriae vacillanti *quomodo sit consulendum?* 459

Milites. *An ipsis ignorantia Juris proffit?* 246. *An quandoque in acie anticipanda mortis consilium inire, ac intrepide & cum laude exequi possint?* 306. seqq. *Num Milites classici recte faciant, si naves suas, ne vivi cum illis capiuntur, igne subiecto, accendant, seque non minus, quam illas, flamma & aqua consumant?* 312

Minores, *an Jus ignorare praesumantur?* 246

Modi acquirendi, *quotuplices sint?* 149

Mors, *an propria manu impune inferri possit?* 303. seqq.

Mundus, *annon possibile fuerit, ut ab aeterno a Deo crearetur?* 414

Mutilatio corporis. *An & quatenus sit permissa?* 317. seqq.

N. Natu-

# INDEX RERVM

## N.

- Naturalia, *an nobis imputari possint?* 242  
 Necessitas urgens, & ineluctabilis, *an excuset?* 250  
 Negotium, Jure Naturæ licitum, sed Jure Civili  
 invalidum, *an per jusjurandum convalescat?* 145  
 Notitia Dei naturalis, *quotuplex sit?* 394  
 Notitia Dei naturalis insita, *utrum per modum  
 actus vel habitus proprie sic dicti, an vero per  
 nudam potentiam homini convalescat?* 394

## O.

- Obligatio, *an oriatur ex promisso, ob crimen per-  
 agendum facta?* 63. Num alteri per alterum  
*acquiri possit?* 64. An ad essentiam & ratio-  
 nem formalem officii pertineat? 110  
 Obligationes legales, *an semper aliquod factum  
 obligatorium supponant?* 34  
 Obligatus ad dandum, & Obligatus ad faciendum,  
*quomodo inter se differant?* 62  
 Oceanus, *an occupari possit?* 40  
 Officia, *que jure imperfecto debentur. De his vid.  
 vot. Dissertat. 8. pag. 428. seqq.*

## P.

- Pactum, *quid sit?* 138. *Quomodo Jure Civili &  
 contractu distinguatur?* 153. An Pacta etiam  
*in statu integritatis aliquem locum fuerint ha-  
 bitura?* 434  
 Pactum de pignore non alienando, *an sit validum?*

157

Pag 21

ET VERBORVM.

- Pagani, *quinam veteribus Christianis fuerint dicti?* 393
- Pater, *an, si filium violento modo aggrediatur, etiam cum nece ipsius repelli possit?* 251
- Paterfamilias, *Leges domesticis præscribens, an ipse quoque istis obligetur?* 291
- Pauperies, *quid sit?* 13
- Permutatio, *an in dubio potius, quam emptio venditio præsumatur? 66. 151. seq. An in Permutatione penitere liceat?* 155
- Philæstia, *an impedimenti cognitionis humane recte connumeretur?* 483
- Philosophia, *quid sit?* 475
- Philosophia verbalis, *an obstaculis cognitionis humane sit accensenda?* 474
- Phreneticus, *nefanda proloquens, & in hac mentis alienatione decedens, vel etiam necem sibi consciscens, utrum saluus fieri possit?* 244
- Pœna, *an & qualis ad mortem extendi possit? 39. Quotuplicem finem intendat?* 189
- Pœna ordinaria, *an ob ebrietatem extremam vesset?* 114
- Polygamia muliebris, *an recte rationi sit adversa?* 165
- Populi liberi, *erga se invicem spectati, quonam jure utantur?* 2. seq.
- Potestas patria, *quid sit secundum Jus Naturale, & quanam complectatur?* 167
- Potestas Summa, *ad quem pertineat, interregno durante? 182. An Summa Potestas, qua semel*  
Impe-

## INDEX RERVM

<i>Imperanti legitime tradita est, auferri &amp; re-tractari possit?</i>	275
<i>Præcepta Juris Naturæ, quotuplicia sint?</i>	9
<i>Prædium rusticum, unde ita dicatur?</i>	148
<i>Prædium urbanum, unde ita appelletur?</i>	148
<i>Præjudicia, an inter impedimenta cognitionis hu- mana recte referantur?</i>	461
<i>Præscriptio actionis pignoratitiæ, a quonam tem- pore currere incipiat?</i>	47. 104
<i>Pretium, quid? 152. Quotuplex sit?</i>	ibid.
<i>Princeps, an circa pœnam homicidii dispensare possit? 14. An sit subjectus Legibus naturalibus? 261. seq. An Legibus positivis universalibus? 266. seq. An Legibus Divinis particularibus? 267. An intuitu Juris Gentium exlex dici pos- sit? 267. seqq. Utrum Legibus civilibus oblige- tur? 270. seqq. An, si ad tyrannidem delaba- tur, puniri, &amp; ni admonitus ad sanio rem mentem redeat, ac intolerabili Rempublicam, a se oppressam, jugo liberet, ultimo supplicio affici possit? 287. An Princeps aggressor, etiam cum ipsius nece repelli possit?</i>	251
<i>Privilegium, quando laxam interpretationem, quando strictam recipiat?</i>	120
<i>Privilegium de non appellando, quanto temporis spatio per præscriptionem acquiratur?</i>	47
<i>Probabilismus Moralis quotuplex sit? 331. An im- pedimentis cognitionis humana recte connume- tur? 477. seqq. Quid cavendum, si vagues regnare non debeat Probabilismus?</i>	480
<i>Promis.</i>	

ET VERBORVM.

Promissio, an, si ob crimen facta, peracto crimine, sit servanda? 63. Num Promissio, latroni facta, sit praestanda?	106
Promissio imperfecta, quid sit?	139
Proportio, qualis in contractu societatis attendatur? 8. An requiratur in defensione, quando de malo, quod alter nobis intentat, agitur?	58
Pubertas, quo aëno in masculis, & quonam in feminis, Jure Romano, incipiat?	140. 165
Puritas Dei, unde ex lumine natura cognosci possit?	414
Q.	
Qualitas moralis, eine Gerechtigkeit, quotuplex sit?	7.
R.	
Ratio, an in brutis quoque deprehendatur?	162
Ratio philosophandi sectaria, an impedimenti cognitionis humana sit connumeranda?	476
Recuperatores, quinam fuerint dicti?	27
Religio naturalis, quæ officia erga Deum complectitur, quomodo ex lumine natura cognosci & demonstrari possit?	348. seqq.
Res, an in casu necessitatis ab egeno domino eripi possit? 41. seq. Cui sit adjudicanda, si pluribus fuerit vendita?	72. seq.
Res civitatis, quotuplices sint?	175
Rescripta, quid sint?	176
Restitutio in integrum, an Jure quoque Naturalis sit?	106

N

S.

## INDEX RERVM

### S.

- Sanctitas Dei, unde ex lumine natura hominibus innotescere possit? 414
- Servi, an natura dentur? 224. seqq.
- Servitus, an contra Jus Naturale sit? 226
- Servitutes urbanae, & rusticae, unde ita denominentur? 148
- Socialitas, quid sit? 123
- Somniantes. Utrum his, quod per quietem agunt, imputari queat? 244
- Spiritualitas Dei, an gentilibus ex lumine natura innotescere possit? 408
- Spontaneitas voluntatis, quid sit? 496. Per quotuplices actus sese exerat? 113. An brutis quoque attribui possit? 496. seqq.
- Status hominum, quid? 162. Quotuplex sit? ib. seq.
- Status naturalis. Varia ejus acceptiones & significaciones. 206. Utrum Status naturalis, in quem homo per naturam translatus concipitur, rationem pacis, an belli habeat? 207
- Status summorum Imperantium ceteris. De hoc vid. tot. Dissertat. 3. pag. 261. seqq.
- Stuprum, an in bello licitum sit habendum? 91. Quomodo in fora civili puniatur? 164
- Subditi, num obtemperare teneantur, si Imperans aliquid precipiat, quod cum Lege Divina, ac Naturali, aperte pugnat? 261. seq. An injuriam, ab Imperantibus ipsis illatam, vindicare, & vim vi, manuque armata repellere possint? 264. seq.
- Succes-

ET VERBORVM.

Successio, quomodo Jure Naturali fiat? 54. Quo-  
modo fiat in feudis? 183

Successio Linealis, unde ita dicatur? 55

Summa Potestas. Vid. supr. Potestas Summa.

Summi Imperantes. Vid. supr. Imperantes Sum-  
mi. item: Princeps.

Suum, quodnam dicatur, & quibus remediis ab  
alio extigi, aut extorquari possit? 7

Syndicus. Quanam ad ejus constitutionem requi-  
rantur? 179

Syndicus Nicæensis, unde hoc nomen acceperit, &  
sub quonam Imperatore habitus fuerit? 18

T.

Testamentum, an alienatio vocari possit? 51

Thesaurus, si inveniatur, cui cedat? 148

Turpitudō Moralī, quatenus concipi possit? 8. seq.

Tutor, qualem culpam praestet? 75

Tyrannis, quae dicatur? 184. 287

U.

Vagitus, cur nascentium prima vox sit? 214

Valetudo. An & quatenus eidem nocendi homini  
potestas concessa sit? 323. seqq.

Veritas, quid sit? 144

Violentia, an constituendi imperii modus fuerit?  
182

Virgo, an, ut stuprum violentum evitet, mortem  
sibi recte consciscat? 313. Num Virgo, in ex-  
tremo pudoris discrimine constituta, vim inten-  
tatam invasoris eade depellere possit? 315. seq.

Virtus, quid sit? 5. An brusis tribui possit? 504

Via



## INDEX RERVM ET VERBORVM.

- Vis & coactio, an excusent? 253. Quotuplices sint? ibid. Utrum Vis, ab Imperante subditis illata, vi, & manu armata, repelli possit? 264. seq.*
- Vita. Quotuplici modo eidem noceatur? 303. seqq.*
- Vitia, an brutis attribui queant? 504*
- Vitia intellectus præcipua quæ? 128.*
- Unitas Dei, unde ex lumine natura hominibus innotescere possit? 411.*
- Voluntas, quid sit? 113. Voluntatis spontaneitas per quotuplices actus sese exerat? 113. Voluntatis actus, circa finem occupati; itemque qui circa media versantur. ibid.*
- Votum cœlibatus, an voluntati Divina congruat? 164*
- Usucapio, quam jure Civili Romano requirat? 149*
- Usuræ, quid sint? 67*

### W.

- Wergeldum, quantum in Saxonia propter homicidium culposum pro masculo, quantum pro foemina præstetur? 76*



IO. BALTHASAR. WERNHEI.

POTENTISS. POLON. REG. ET ELECT. SAXON. A CONSILIIS  
AVLAE ATQVE IVSTITIAE, FACVLTAT. IVRIDICAE  
VITEMB. ORDINARIJ, ET ANTECESSORIS  
PRIMARIJ,

DISSERTATIONES

IVRIS

NATVRALE

QVIBVS INPRIMIS

GENVINVM, IDEMQVE VNICVM ET

ADAEQVATVM ILLIVS PRINCIPIVM

STABILITVR.



---

VITEMBERGAE,

SVMPTV CHRIST. THEOPH. LVDOVICI,

ANNO MDCCLXXI

THE  
LIBRARY  
OF THE  
MUSEUM OF  
ART AND  
ARCHAEOLOGY  
OF THE  
UNIVERSITY OF  
CAMBRIDGE  
100 Brook Hill Drive  
Cambridge, Mass. 02139  
U.S.A.

REVERENDISSIMO, ILLVSTRISSIMO  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
CHRISTOPHORO  
HENRICO  
S. R. I. COMITE  
A WAZDORF,  
DYNASTÆ CROSTÆ, ELOVICI,  
STVTERÆ, BIRCKENHEIDÆ, GO-  
LENAVI ET WISÆ, PRÆPOSITO  
BVDISSINO ET CANONICO  
MISENENSI,  
POTENTISSIMI POLON. REGIS  
ATQVE ELECTOR. SAX. MINISTRO  
STATVS INTIMO, COLLECTIONVM  
PROVINCIALIVM PRÆSIDI, ET SVM-  
MO ACCISARVM DIRECTORI, ATQ.  
ORDINIS POL. ALBÆ AQVILÆ  
EQVITI,  
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

*PERPETVAM FELICITATEM!*

ILLVSTRISIME, EX-  
CELLENTISIMEQVE  
DOMINE,

**I**Xiguum, fateor, Opuscu-  
lum est, quod Tibi demif-  
se offero, sed ejus tamen  
argumenti, quo vel solo veniam mi-  
hi a Te polliceri audeo. Nulla  
Juris pars est, quam magis comple-  
cti, & æstimare soleant, qui in Au-  
læ luce versantur, quam Jurispru-  
dentia Naturalis; cuius principia  
certissimam regulam constituunt,  
juxta quam eorum omnium, quæ in  
bello & pace fiunt, justitia exigi at-  
que dijudicari debet. Neque enim  
ad privatorum tantum lites diri-  
mendas pertinet, sed omne id, quod  
fas rectumque dicitur, suo ambitu  
inclu-

## DEDICATIO.

includit. Ad hanc igitur Juris partem excolendam, quæ impenditur, opera, qualiscunque tandem fit, Tibi, ILLVSTRIS-SIME DOMINE, ingrata esse nequit. Præfens vero libellus eo fidentius ad Te sibi gradum struit, quo solertius id in eo tentatur, ut Leges Naturales ex evidenti & generali principio cuius sanæ mentis, citra ambages, innotescere queant. Cumque in Te, ILLVSTRIS-SIME DOMINE, Tuumque Nomen hodie tota Saxonia conversa sit, danda mihi erat opera, ut meæ in Te pietatis, & obsequii publicum testimonium extaret. Hoc igitur ne dedigneris, sed gratioso vultu accipias, &, quæ votorum meorum summa est, me porro in validissimo Patrocinio Tuo conquiescere, Benigne patiaris. Ego vero pro Tua, totiusque ILLVSTRIS-SIMAE DOMVS Tuæ, speciatimque Filii, quem in spem  
( 3 ) atque

## DEDICATIO.

---


atque decus Saxoniae natum, & educatum Lipsia complectitur, & fovet, salute atque incolumitate Æternum Numen tacita mentis veneratione precari non desinam.

ILLVSTRISSIMI NOMINIS  
TVI

Devotissimus cultor

Dabam Vitembergæ  
Cal. Sept. MDCCXX.

I. B. WERNHER.



*PRAEFATIO*  
AD LECTOREM.

**H**Abes hic Exercitationes quasdam Academicas, in unum collectas; quarum plerasque jam olim Lipsiæ scripsi, & publice ventilandas proposui.

At vero ne nunc quidem me earum pœnitet; præsertim, ubi de vero, & adæquato Juris Naturalis principio agitur. Nihil enim hic muto, sed in ea sententia persisto, præter illas, quas tradidi, regulas, nullum juris illius cognoscendi certam fundamentum dari, aut reperiri posse. Neque tamen propterea quenquam eorum, qui a me dissentunt, unquam molestius tuli, aut, quod malæ causæ indicium habetur, verbis insectatus sum. Ita enim fert natura atque



## PRAEFATIO AD LECTOREM.

atque indoles mea, ut, soli veritati indagandæ intentus, quemvis suo sensu abundare facillime patiar, nullumque majus sapientiæ impedimentum esse, existimem, quam altercando, & lites agendo, aliorum assensum extorquere velle. Malignos & lividos, qui omnia reprehendere & rodere solent, non curo, iisdemque bonam mentem apprecor. Cæterum de collectione harum Dissertationum nunquam cogitassem, nisi, urgente Bibliopola, Viro Integerimo, *Elementa mea Juris Naturæ & Gentium*, nuper denuo typis excusa prodissent; quibus hæ lucem aliquam affundere posse videbantur. Multa enim, quæ in illis succincte, & paucis sæpe verbis traduntur, hic latius exposita, alicubi etiam, ut veritas eorum magis in oculos incurreret, Mathematicorum more per definitiones, Postulata, & Axiomata, demonstrata sunt. Et sperare audeo, passim aliqua in iis reperiri, quæ ad legentium palatum futura sint. Plura præfari, nihil attinet. Tu vero, Lector, vale, meisque laboribus favere perge.

GATA



CATALOGVS

DISSERTATIONVM,

Quibus, propter argumenti affinitatem, nonnulla  
PROGRAMMATA adjecta sunt.

DISSERTATIO I.

De Apodictica moralium certitudine.

pag. 1.

DISSERT. II.

De Modo obligationem hominum, qua-  
taliū, mutua scientificè demon-  
strandi.

27.

DISSERT. III.

De Genuina Leges Naturales & Gentium  
investigandi methodo.

57.

DISSERT. IV.

Sistens Genuinæ methodi Leges Natura-  
les investigandi uberiorem demon-  
strationem.

99.

DISSERT. V.

De Naturali homicidiorum quorundam  
impunitate.

148.

DISSERT. VI.

De Violenta sui defensione.

170.

DISSERT. VII.

De Principiis officiorum humanorum in-  
ternis.

201.

DISSERT. VIII.

De Jure parentum & liberorum secun-  
dum Legem Naturæ.

228.

Dis-

<b>DISSERT. IX.</b>	
De Moralitate simulationis aulicæ. p. 261.	
<b>DISSERT. X.</b>	
De Obligatione matrimoniali secundum Legem Naturæ.	289.
<b>DISSERT. XI.</b>	
De Actionum moralium materiali atque formali.	346.
<b>DISSERT. XII.</b>	
Quæ exhibet Judicium de præcipuis Scri- ptoribus Juris Naturæ.	371.
<b>DISSERT. XIII.</b>	
De Auctoritate Juris Civilis circa obli- gationes Naturales.	397.
<b>DISSERT. XIV.</b>	
De Summo Politici Bono.	448.
<b>PROGRAMMA I.</b>	
De Ortu atque Progressu Disciplinae Ju- ris Naturalis.	469.
<b>PROGR. II.</b>	
De Utilitate Juris Naturæ in foro.	474.
<b>PROGR. III.</b>	
De Præjudicio auctoritatis, & opinione communi.	477.
<b>PROGR. IV.</b>	
De Logomachiis	486.
<b>PROGR. V.</b>	
De Cautionibus nonnullis, in studio Ju- ris utiliter observandis.	492.
	<b>DISSERT.</b>



## DISSERTATIO I.

DE

# APODICTICA MORALIVM CERTITVDINE.

---

### PRÆFATIO.

**M**iraris, Lector, quod in eo studiorum genere cum alio, tum hoc quoque tempore ingenii mei vires periclitier, quod summas jamdudum viros exercuit, atque commentariis ab iis illustratum est, ut nihil excogitari videatur posse, quod non jam scriptum eorum aliquis reliquerit. Neque temeritatis, vel saltem superflua diligentia, notam effugerem, si impetu quodam ad scribendum accederem. Semper enim mihi displicuit vanissimus pruritus, qui multis hodie, sola inanis gloriola cupiditate,

B

stylum

stylum admovet. Dum enim materiam, quam pertractandam sumunt, non ex publica utilitate, sed ex inordinati, nimiumque sibi blandientis affectus libidine metiuntur; inde fit, ut communiter alienis perpetuo exscribendis inbareant, centones mille figuris atque coloribus consarcinantes. Qui homines hoc quidem otiosi laboris sui premium consequuntur, ut scriptorum mole imperitis sui quandam admirationem injiciant; ceterum sparsa hac inter sapientes fama nonnisi cum ludibrio ipsorum redit, & accidere iis fere solet aliquid tale, quale de cornice Æsopus fingit, qua peregrino cultu exornata, ubi aves suas qualibet sibi plumas vindicarunt, nuda in medio irrisui omnibus & fabula fuit. Longe aliud mihi institutum, & cui facile tuus favor exorari possit. Quippe supervacaneum laborem non amo, neque pro novis inire soleo vias, altis jamdudum aliorum vestigiis notabiles. Disciplina Juris Naturalis Elementa intimius scrutari visum, & maxime intricatam, multisque inter se dissidentium strepitibus impeditam ejusdem partem, qua Principia nimirum Prima respicit, propiori oculo intueri. Ades vero Tu, Æterna DEI proles, huic labori meo, & hunc stylum meum intra veritatis semitam ita contine, ne quid temere, nec ante libratum diu profundat!

§. I.

**P**hilosophiam Moralem, si recolere ejusdem historiam parumper velimus, longe diversissima fata exceperunt. Nam apud Veteres quidem communis ea quasi hæresis in plerorumque animis inoleverat, ut profanum, & ineptum crederent ausum, apodicticam veritatem ab incertissima Disciplina postulare; utique postquam *Aristoteles*, cujus ingenium sapientiæ limites fixisse, nescio quo fatali torpore, censebatur, ipsemet vilem hederam doctrinæ suæ morali suspendisset, neque scientificam ab ea demonstrationem expectandam esse, dictatoria quasi autoritate edixisset. Igitur illo tempore nemo fere nisi perfunctorie eidem incumberebat, omnibus metuentibus, ne frustra operam in ambiguis & lubricis præceptis explicandis consumerent. Et hæc quasi infantia Disciplina Moralis fuit; ubi genuini ratiocinii lumen sub ignorantia, & falsæ persuasionis nebula delitescerat. Mitiora deinde fata secuta sunt; & *Officiorum* necessitatem sapientes verius æstimare cœperunt; præsertim ubi *Eloquentissimus Philosophus*, Gentis Togatæ Decus, tam egregio symbolo argumenti dignitatem auxit; cujus vestigia diligenter multi cum ex Sacro Ordine, tum ex *Juris & Politicis* legunt. Sed hi tamen sparserunt dictata rationis, neque ea in uniforme aliquod, aptoque ordine coherens, systema redigere ausi sunt. Quod demum laudabili instituto factum est ab *Hugone Grotio*, subactò atque excelso ingenio; In qua ejus præclara opera illud potissimum elucet, quod

#### 4 DISSERT. I. DE APODICTICA

cum in hac Disciplina primus glaciem, quod a-  
junt, fregerit, ita tamen pleraque sit complexus,  
ut nulla fere hujus argumenti tela pertexi possit,  
quin ipse ut autor, vel saltem testis, dicente *Pan-*  
*fendorffio*, occurrat. Exquisitum ejus studium,  
& in omnes solidioris doctrinae partes largissime  
diffusum. At enim praeterquam quod infelici  
impioque conatu orthodoxae religionis mysteria  
vellicavit, & hinc non parum fidem apud verae  
pietatis studiosos decoxit, in Disciplina quoque  
Moralis insignem defectum reliquit, tanquam ita  
disponentibus fatis, ne omnis industriae materia  
posteris praeriperetur, aut laus unius hominis es-  
set, & fundamenta Disciplinae tam nobilis jecisse,  
& ad supremum eandem fastigium perduxisse.  
Quippe non animadvertit *Grotius*, de apodictica  
eam certitudine gloriari non posse, nisi ex univer-  
sali aliquo, omnibusque difficultatibus expedito,  
principio demonstrationes Moralium firmo nexu  
procederent. Hinc contentus ipse, sub initium  
*Libri* mentionem *socialitatis* utcunque injecisse,  
ubi deinde ad Tractationem descendit, adeo nul-  
lam ejus amplius rationem habet, ut vel ex gene-  
ralibus Juris Naturae praecipis paucissima inde de-  
ductum eat, in meras *aequitatis*, aut, si mavis,  
*probabilitatis* rationes omnia resolvens.

§. II. Defectui huic salubre remedium suc-  
cessu temporis allatum. Cum enim ad genuinum  
tale principium erucandum diversissimas *Scriptores*  
inirent vias, fieri non potuit, quin inter tam va-  
rias hypothefes una vera esset, pro adequato prin-  
cipio

cipio egregiæ disciplinæ subterni apta. Itaque propius certitudini ea suæ admota, & patefactum, ab illo præsertim *seculi nostri phænice, Pufendorffio*, debita industria adhibita, æque firmiter *Moralia*, etque *Euclidis Elementa*, demonstrari posse. Quo ipso acrius excitata ætas nostra ad præclare de hac Disciplina sentiendum; detegique cœpit familiarissimus turbæ Moralistarum error. Siquidem communiter in paucis demonstrationibus cum primo principio rite coherentibus subsistunt; & illis quidem ejusmodi, quæ generalia fere tantum præcepta concernunt; Cæterum ubi ad specialiora progressus sit, eadem nonnisi ad æquitatis regulas exigunt, argumentisque tantum probabilibus sententias suas stabilunt, verarum demonstrationum numeros neutiquam absolventibus. Quo fit, ut pleræque quæstiones magno fervore disputentur, & pro utraque earum parte sufficientia, parique robore suffulta, argumenta suppeters videantur. Unde non tolluntur, sed crescut profecto lites. Et ex eo defectu alius non minoris momenti enatus esse videtur, quod nempe infarcta Disciplinæ Juris Naturalis sunt, quæ non dispositionem Naturalis Juris, sed meras determinationes positivas sapiunt. Ego vero existimo, separationem hanc & necessariam, & perfacilem esse, utpote luculenter a nunquam satis laudando *Pufendorffio*, post excussum penitus Juris Naturæ principium, monstratam. Qua in re cum alias quasdam meditationes consumsi, tum hoc quoque tempore liberius aliquanto meis cogitationibus



## 6 DISSERT. I. DE APODICTICA

vacabo ; eodem *Pufendorfo* præferente facem per hæc obscura gradienti. Et suspenso quidem pede hic ire libet, ne quid probabiliter tantum asseram, sed omnia apodictica veritate & simplici necessitate firmata exhibeam. Et a natura quidem legis video ordiendum esse.

§. III. Norma leges sunt, inferioris actio-  
num directrix. Igitur in obligando & *faculta-*  
*tem* oportet esse *dirigibilem, & cognoscentem*. Il-  
lius actus subjectum moralitatis sunt ; hujus vero  
media recipiendæ ejus. Frustra autem finis in-  
jungitur ablatis mediis. Imo. insignis est impru-  
dentia, aut omnino, si recte attendas, contradi-  
ctio, ad jussa obligari non patefacta. Quare ope-  
ram dare solent, vel certe debent, qui leges san-  
ciunt, ut quam evidentissimus earum tenor fiat,  
neque cavillationi, aut contortæ interpretationi, ex  
se relinquunt locum. Unde fluit, quod, quo ma-  
gis consilio & sapientia, ut & bonitate aliis legisla-  
tor præstat, eo clariore promulgandi modo in legi-  
bus manifestandis utatur, neque committat, ut  
earum neglectum ullo ignorantia aut obscuritatis  
prætextu quisquam excusare possit. Quamvis fa-  
tendum sit, non continuo a cujusque legis nexu  
absolvi eos, qui ejusdem sententiam non recte per-  
ceperunt ; cum sæpe legislatores constituere sole-  
ant, penes quos suarum legum tenorem per con-  
gruam interpretationem eruendi facultas esse debe-  
at ; Quo casu nemini ambiguitas legis, aut inge-  
nii stupor idoneam excusationem pariet. Ubi  
veto neque legis sententia est evidens, neque ejus-  
dem

dem ratio & qualitas permittit, aut certe vitæ tenor, ut acutiores consulantur, non video, quomodo æquitas constare possit pœnæ, quæ statuitur in actum, contra legem absque ulla sua culpa non cognitam susceptum.

§. IV. Quibus ita generaliter, & in *Thest*, ut loqui solent, præmissis, jam descendamus ad eam juris speciem, quæ nomine *Juris Naturalis* venit, positivo contradistincti, ejusque vim obligandi, quousque pateat, & quem effectum producat, penitius eamus excussum. Circa hujus legis fontem seu principium expediendum, quamvis diversissimas Scriptores insistant vias, in eo tamen, quantum scio, plerique consentiunt, quod, quemadmodum in Mathematicis propositiones tam firmo nexu coherant, ut, qui antecedentes ejusdem generis non recte percepit, frustra in sequentium demonstratione eruenda desudet; ita particularia *Juris N.* præcepta nemini innotescant, nisi qui vel insigni acumine ingenii polleat, vel qui eorundem cognitionem aliis instruendis hauserit, vel saltem peculiari industria animum exercuerit, ut, quomodo specialia a generalibus dependeant, & qui ex primo principio per ambages fluant, intimius sit perscrutatus. Verum enim vero, quibus hæc philosophia placet, non videntur satis animadvertere, tolli sic ab ipsis hujus *Juris* obligationem, saltem quoad nonnulla subjecta, ea videlicet, quæ infelix natura ad obtusorem ingenii aciem damnavit, quorumque vitæ ratio, quam tenent, non permittit, ut tantum temporis, quantum amplitudo hujus

ius Disciplinæ requirit, in ea haurienda consumant; sub quem censum venire videtur communiter civium turba, aut quos ad stivam vitæ institutum relegat. Neque est, quod excipias, ubi actus suscipiendus, de cujus naturali moralitate suspensum ejusmodi homo animum gerat, differendum cum esse usque eo, donec vel ipse, vel alius sapientior eo dubio ipsum exsolverit. Quid si enim ejusmodi emergat casus, qualis frequentissime evenire potest, qui moram non patitur, ubi vel suscipiendus, vel malum aliquod humana constantia minus perpetiendum? Dicendum igitur tum erit, tum hypotheseos ductu, non peccari, in quamcunque etiam homo se partem converterit; quia nullam prohibitionem Juris N. videt, aut præceptum, hincque nec obligationem sibi ullam injunctam colligere potest. Accedit, quod, si id urges, quoties dubia hominem suspendat conscientia, tamdiu omissendam actionem esse, donec evulsi sint scrupuli, qui animum in diversas partes diripuerit, atque adeo de veritate certo confiterit, maxima hoc modo actionibus remora injiciatur, præsertim cum omnium confessione paucissimi ii sint, qui genuinam leges Naturales ex ratione deducendi vitæ tentent.

§ V. Neque vero, id afferi, mireris. Nam, quod *Pufendorfus* luculenter ostendit, nulla videtur esse, præter illam de *Socialitate*, hypothesis, quæ non falsitatis aut insufficientiæ convinci queat. Unde conficitur, leges Naturæ faciles esse perceptu debere, earumque, etiam specialissimorum

rum

tum cognitionem sufficienter in quosvis obligandos cadere. Nam & DEUS Sapientissimus, & Optimus, ut & sciat, quam evidentissime promulgare, ad quæ homines vult adstrictos, & idem velit. Præterea leges N. homini agenda præscribunt, quæ dirigi, nisi juxta certam, & manifestam normam, haud possunt. Oportet igitur Jus N. tale sit, quod cuique homini ætate matura, mentisque suæ compote, vel levi suæ conditionis consideratione facta, sufficienter innotescat. Quæ cognitio non quodam rationum argumentorumque æcervo obtinetur, sed brevi directaque sanæ mentis ratiocinatione, a qua permultum distat ille modus concludendi, qui ex rationibus æquitatis hinc inde collectis resultat. Namque præterquam, quod quisque suis rationibus plurimum tribuat, utraque vero validiores sint, cognosci nisi ex certo principio non possit; haud raro utraque contradictionis pars pari rationum fulcro nititur, ut inde explicata, explorataque ratio honestatis & turpitudinis adeo non sit, ut maximis difficultatibus implacitum relinquunt animum. Lubrica igitur illa, et anceps via, quam sedulo nos declinatum imus, quibus nihil, nisi certum & apodictice demonstratum pro Juris N. dictato admittendum esse videtur.

§. VI. Age vero, faciemus periculum, visuri, quousque certa & inconcussa hic veritas haberi possit. Ubi vero in se descendit homo, satamque attentius intuetur naturam, deprehendit, imbecille se animam a DEO productam, quod sibi

solum non sufficiat, sed egeat aliorum ope ad vitam conservandam, in quo vel ipsis belluis detiore se conditione esse, animadvertit. Productus igitur a DEO homo est, & cum in finem productus, ut conservaretur, non ut periret. In quo errare non possum. Produxit me DEUS; produxit ergo, ut servarer, non ut in nihilum statim relaberer, aut interirem. Est enim DEUS Ens Sapientissimum, quod frustra actum non suscipit, & Optimum, quod interitum creaturæ rationalis, quam produxit, velle non potest. Nihil enim sapientia, & bonitati summæ magis repugnat, quam frustra aliquid efficere, & quod effectum est, servare nolle. Idem tota hominis structura inquit. Nam & ratio non alium in finem videtur insita homini a DEO esse, quam ut illa in sui, & aliorum utilitatem uteretur, & membra corporis humani usu, cui manifeste inserviunt, haud obscure declarant finem, quem in ipsorum productione Divinus Plastes intenderit. Unde sequitur, cum DEUS hominem produxerit, ut servaretur, injunxisse simul eundem id omne ipsi, sine quo conservatio illa obtineri non potest. Quippe nihil naturale magis, quam velle eundem media, qui finem efficaciter cupit. Hæc ergo apodictico coherent nexu: DEUS hominem produxit; Ergo conservari eundem vult, & consequenter id omne ipsi præcipit, quo intermisso, conservari non posset. Unde haud obscure fluit, omne id esse præceptum a DEO, quod cum conservatione generis humani necessario coheret, & id omne in numero veterum

torum

torum esse, quod necessario genus humanum destruit. Erit igitur hoc primum, idque adæquatum totius Juris N. fundamentum: *Quicquid necessarium habet cum conservatione generis humani nexum, id est Jure N. præceptum; Et quicquid necessariam cum ea disconvenientiam involvit, id est eodem Jure prohibitum.* Quod verbis multo clarioribus ita exprimo: Quicquid tale est, ut ejus ommissio universalis, seu respectu omnium hominum, tollat necessario nexum generis humani, ejusque destructionem inferat, id est Jure N. præceptum; Et quicquid tale est, ut, si fingatur ab omnibus hominibus fieri, eundem destructionis generis humani effectum producat, illud est Jure N. prohibitum. Clarissimum hoc & evidentissimum principium, ex consideratione vel levi tantum naturæ humanæ sponte resultans; cujus proinde cognitio in omnes etiam de vulgo sanæ mentis cadit. Est hoc principium & adæquatum, a quo cognitio totius Juris N. dependet; neque ad deducenda inde hominis officia magno acumine opus; quippe eadem facilitate particularia quævis & specialia præcepta inde fluunt, qua generalia. Quippe in omni obviente casu, ut præceptum vel prohibitio Juris N. appareat, nuda subsumptione opus, quæ in omnes facile homines, integræ ratione gaudentes, atque in matura ætate constitutos, cadit.

§. VII. Jam vero lætor. Nam inveni, in quo pedem figere, cui superstruere omnem cognitionem possim. Produxit me DEUS ea intentione, ut conservaret; igitur præcepit ea, quæ ad  
hanc

hanc conservationem necessario faciunt, & vetuit, quæ eidem repugnant. Nullas hic errori locus; simplicissima hæc, & inconcussa veritas. Sed & universalissima; Nam totum Naturæ Jus suo ambitu comprehendit. Neque id de generalibus tantum præceptis verum, puta, *neminem ledendum, suum cuique tribuendum*; sed & de iis, juxta quæ speciosissimorum actuum moralitas dimetienda. Neque illa deductio per longas ambages fit, ut vulgo perhibetur, ut mentis, ad id negotium, acumen requiratur. Nuda subsumptione in quocunque obveniente casu opus; & actus mentis breviter, in se genusque humanum, reflexo. Sed nescio, quis novus scrupulus animum meum pervellit. Quæ me ad litus errasse putavi, jam rursus undis submergor, & dubius hæreo, an facile me hinc expedire possim. Nam quomodo mediteri, vel quod infra hoc est, ingenio statim apparet, quid cum conservatione generis humani necessatio coherereat? Aut unde omnino rudissimæ plebi hoc, si cujus notitiam me penetravi, principium statim innotescit? Hæret hic suspensus animus meus, & tanquam inter medias difficultates deprehensus. Sed tamen tentabo vadum, & exitum mihi queram, quo, hoc obstaculo remoto, ad plana rursus perveniam. Et ad id prius diverto, quod posteriore loco objectum; cum ab ea parte minor difficultas. Nam cum Naturale Jus sit, quod natura insinuat; inde quicquid hic sciri, quicquid cognosci potest, a naturæ humanæ consideratione petendum. Nihil autem in ea manifestius, quam

suis

fuis eam limitibus terminari, seu finitam esse, adeoque ab alio, nempe DEO, pendere, qui proinde velit, eam seruari, & consequenter omitti, sine quibus hic finis obtineri non potest. Non hic sudandum diu, nulla profundiori meditatione opus; cum hoc non possit non constare, & veluti primus de se conceptus esse ei, qui reflectere supra actus suos novit, h. e. se hominem meminit. Vulgaris id quoque loquendi consuetudo satis insinuat, quae passim ad naturam, generisque humani destructionem, recurritur, cum vulgus iniquitatis quempiam contra insitam hanc legem convincere instituit.

§. IIX. Devenio ad alterum dubium, in cuius resolutione totius negotii momentum situm est. Nam si ad liquidum perductum fuerit, posse a quovis naturae aetatis, sanaeque mentis, facillimo negotio, in quocunque, etiam rarissime contingente casu cognosci, quanam circa eundem dispositio Juris Naturalis sit; non solum maxime, quae scilicet aliis videtur, ero difficultate defunctus, sed & in aprico multos errores ponam, qui circa moralia tradenda vulgo committi solent. Et revertor hic quidem ad eundem fontem, a quo prioris dubii resolutio manavit; naturae scilicet humanae considerationem. Haec enim, cum toti Naturae Juri cognoscendo inserviat, specialium quoque casuum moralitatem determinabit. Ubi illud manifestissimum, naturam humanam, in se & prescindendo ab omnibus eam comitantibus qualitatibus spectatam, equaliter omnibus individuis humanis



manis competere; unde conficitur, quod est palmarium, licere eodem tempore pari omnino jure omnibus in te, & ipsis inter se invicem, quod tibi vi naturæ tuæ, seu vi Juris Naturalis licet. Unde rursus fluit, ad determinandum, utrum actus conservationi naturæ humanæ necessario nexu adhæreat, an ab eadem perniciofa disconvenientia abhorreat; non considerandum eundem individualiter & separatim, ut existimes, quia, utut eo a te suscepto, non periclitetur generis humani conservatio, inde nec eum necessario illi disconvenire, adeoque contra Jus Nat. haud esse. Quippe eodem tecum jure quilibet alius pares circa eundem actum cogitationes fovebit, & emerget disconvenientia cum genere humano necessaria, quæ antea sub individuali actus consideratione latebat. Quare si actus alicujus naturalem moralitatem ervere cupis; continuo fingendum tibi, ejusdem exercitium ab omnibus hominibus introduci & recipi; quod si inde societati humanæ fata maturantur, indicio est, actum necessario naturæ humanæ repugnare, adeoque in numero vitiorum esse; præceptum autem, quæ si ponantur communiter homines ommittere, idem interitus expectandus foret. Ubi vero necessaria ejusmodi ad naturam humanam habitudo deficit, nullam quoque Juris N. dispositionem dari, adeoque actum, tanquam indifferentem, libere suscipi, & intermitteri.

§. IX. Utrum vero aliquid tale sit, ut, si fingatur ab omnibus omitti, aut fieri, destructio hinc societatis humanæ metuenda sit, id itidem nemini rationis

ratione utenti, neque naturæ suæ prorsus ignaro, obscurum esse potest. Quo pertinet, quod homo sit imbecille animal, quod saluum, si sibi relinquatur, esse non possit; sed aliorum auxilio indigeat. Item quod superbum animal, sui que existimationem acrius plerumque ipsa vita defendere solitum. Quod viribus homo ad ultima alicui intentanda instructus sit, plurimaque sint, quæ ipsum ad vires illas usurpandas in proximi perniciem stimulare possint. Et quæ præterea huc pertinent, cuius, etiam illorum, qui nondum ære lavantur, obvia, & in duplici *Dissertat. d. Genuina LL. Naturales & Gent. investig. meth.* uberius, quam ut hic supervacaneo labore inculcari mereantur, exposita. Neque alia ad nostrum institutum, quam hac levi & pervulgata naturæ humanæ cognitione opus; ut hinc nemini, vel vitæ institutum, vel ingenii deficiens acumen justum excusationis titulum inveniatur.

§. X. Et hæc pauca vidisse, qualiscunque tibi videantur, non minus jucundum mihi est, quam ad multa præjudicia exuenda salutare. Et primo quidem id inde consequor, ut perspiciam vanitatem litium, quæ tanta ambitione fervoreque partium circa moralia agitari solent. Cum enim primo statim intuitu circa quamcunque quaestionem dispositio Juris N. pateat, procax valde temeritas, & pertinacia est, in contrariam abire partem, eique defendendæ tam acri inanique impetu incumbere. Præsertim vero erroris magnitudinem intelligo, in quem labuntur ii, qui in eruenda Juris Naturalis dispositione ad aliud, quam quod  
expe

expositum a nobis juxta *Pufendorffii* ductum est, principium recurrunt. Quamvis enim hi non sine præjudicio sæpe Jus Nat. explicent, & apud incautos applausum obtineant; non tamen multo mitius peccare videntur, quam qui moralium existentiam vel omnino negant; vel saltem dubiam atque incertam reddunt. Neque vero hoc audeat nimis, & temere a nobis effusum putat. Faciat enim quis periculum; proponat quæstionem Juris Naturalis; spondeo & recipio, me ejus decisionem, non ex hoc, saltem ultimato aut implicite, sed alio fonte, qualiscunque is demum sit, deductam falsitatis convicturum. Quibus verbis nulla existimanda est vanitas, aut ingenii jactantia, inesse. Idem enim facile quemvis præstare posse arbitror, qui naturalis rationis, scilicet a præjudiciorum caligine liberata, ductum sequitur. Quippe quodcumque aliud principium vel falsum omnino est, vel extra circum rationis positum, vel quod cum nostro hoc ultima resolutione concurrat. Sed nec eas, præter, in recto veritatis tramite consistere, qui haud necessarium esse credunt, in cognoscenda Juris Naturalis dispositione eandem viam insistere, plures modos suppetere persuasi, quibus in eam se cognitionem penetrare liceat. Neque enim animadvertere videntur, uti simplicissima Juris species est lex Naturalis, hominesque omnes, etiam simplicis ingenii, obstringit, ita simplicissima eandem via a DEO promulgatam esse; quæ in proclivi sit, & omnium oculis pari modo exposita. In quo plura autem ea, quæ cognoscenda sunt, principia distinguuntur, et

diffi.

difficiliora eadem intellectu esse, expeditæ veritatis est. Accedit, quod, ut ante monitum, nullum aliud præter unum detur, cujus non vel falsitas, vel in aliud prius, nostrum videlicet, resolutio manifeste ostendi possit. Et, si plures hujus cognitionis viæ sunt, dic queso, unde colligere vulgus potest, quid circa hunc vel illum actum Jus N. disponat; cum nesciat, ex quo præcise principio ea cognitio haurienda sit; cum nec illi ipsi ex eruditis, qui plures modos cognoscendi asserunt, eos satis & uniformiter determinent?

§. XI. Illud præterea hinc liquet, morem vulgo receptum de Moralibus ita differendi, ut primo probabiles assertiones prolixè adducantur; deinde vis argumentorum obstantium operose elidatur, minus congruum esse. Nam satis est, ut ex hæcenus deductis apparet, ad demonstrandam actus alicujus naturalem vel præceptionem, vel prohibitionem, ejusdem necessarium cum natura humana nexum vel disconvenientiam evicisse; ad quod non prolixa disputatio, aut rationum ambitiose cumulatus acervus requiritur; sed directa judicii norma sufficit, actusque mentis in naturæ humanæ considerationem breviter reflexus; quo ipso sponte quoque concidit rationum, argumentorumque vis, quæ adversarum sententiarum patroni inaniter & fastidiosè adducunt.

§. XII. Ambigis tu vero de utilitate Meditationis hujus? En! dubitare te diutius non sinam; propinabo tibi fructum gustandum, qui nisi ad palatum sit, valde delicati oportet te oris esse. Quan-

ti enim, quæso, est, in quolibet obviente casu dispositionem Juris Naturæ scire, & ita quidem scire, ut cognitionem tuam, non per ambages, ex densa rationum inter se pugnantium nube eruas, sed brevi mentis cogitatione liquido & apodictice accipias, ejusque veritatem cuique ad oculum demonstrare possis? Et, ut te penitus expediam, methodi hujus nostræ insignem usum in difficillimis, quæ vulgo nempe videntur, quæstionibus ostendam; ubi simul luculentius apparebit, quod jam alia occasione quodammodo demonstratum, torqueri Moralistas circa plures quæstiones, tanquam ad Jus Naturæ pertinentes, quanquam earum objectum extra materiam Juris Naturalis sit, nec nisi rem eo indifferentem concernat, ut liberum Legislatori humano arbitrium sit relictum, alterutram contradictionis partem accipiendi, eamque vel præcipiendi, vel prohibendi, & consequenter moralem efficiendi; quod certissimum est objecti Jure N. indifferentis indicium; cum satis in expedito sit, non posse Legislatorem positivis suis decretis immutare moralitatem eorum, de quibus lex innata disponit. Ita primo sub censum eorum, circa quæ non occupatur Naturæ Jus, venit ordo succedendi in bona defuncti. Quod enim hæreditas devolvitur primo ad descendentes; deinde ad ascendentes, & demum, utrisque non extantibus, ad collaterales pervenit, id æquitati, quod ambabus largimur, valde convenit, ne utriusquam tamen Jure Naturali injunctum est; uti plures sibi persuadent. Unde Imperans descendenti-  
bus nondum educatis legitimam educationi suffi-

cien-

cientem constituere, reliquam vero hæreditatis partem in fiscum redigere, ascendentes autem & collaterales penitus a spe lucrum ex hæreditate percipiendi excludere potest, ut proinde succedendi in hæreditatem ordo numero rerum Jure N. indifferentium censendus sit. Idem de illa quæstione sentiendum, quam & alibi tetigimus: *Utrum in consensu obligationem producente omnimoda libertas requiratur, nec ne?* Hic vero Jctorum Scriptorumque Juris Naturalis mira divortia; aliis pro efficacia promissionis metu extortæ, aliis pro eisdem nullitate acriter pugnantibus. Nobis utriusque sententiæ calculus adjici eatenus videtur posse, quatenus indubium esse, apparet, sanciri lege civili posse, ut talem promissionem obligatio ad effectum producendi in foro civili actionem committatur, vel secus. Agnoscimus igitur hujus quæstionis materiam pro re Jure N. indifferenti, ut in neutram id partem pronuciare intelligatur, propterea quod utriusque necessarius cum conditione generis humani & socialitatis salute nexus atque disconvenientia deficit; legislatori civili liberrima determinatione relicta.

§. XIII. Similiter alias conditionis, sub qua promissio facta, aut contractus est initus, existentia naturaliter id operari dicitur, ut retrahatur ad tempus factæ promissionis, aut negotii contracti, ut retro ab eo tempore, quo est initum, validam fuisse ceaseatur. At enim nullum hic apparet impedimentum, quod injiciat Legislatori remoram, quo minus disponat, ut retractione hac, tanquam

quam fictione, omiſſa, res eo in ſtatu debeat, in quo, exiſtente conditione, eſt, ad eum effectum, ut omne intermedium emolumentum ad debitorem pertineat. Præterea in omnibus contractibus onerolis eam plerique deſiderant in utroque contrahentium æqualitatem, ut, ubi vel minima inæqualitas commiſſa, alter, qui minus accepit, facultatem habeat naturaliter ad actionem, vel ſuppletoriam, vel negotii reſciſſoriam, inſtituendam. At enim non video diſpoſitionem Juris N. vi cujus electio hujusmodi alterutri contrahentium competat, cum manifeſtæ veritatis ſit, neceſſariam & abſolutam hujus electionis congruentiam cum conditione humanæ naturæ apparere nullam, & conſequenter, eandem & relinquendi contrahentibus, & iſtis adimendi, facultatem magiſtratu civili liberrime competere.

§. XIV. Illud quoque controverti ſolet, an a commodatario rei commodato acceptæ, que perit, ſed tamen peritura non fuerat, ſi apud commodantem permanſiſſet, æſtimatio præſtanda ſit? Pro affirmante ſententia militat, quod, niſi tali caſu commodans æſtimationem reciperet, ex humanitate ſua, præter meritum, damnum incurreret. Negative autem partis patroni non minus acriter urgent, quod quilibet res ſuo Domino pereat, & conſequenter damnum ex fortuito rei commodatæ interitu reſultans ferre, fatigue inſelicitati imputare, commodans debeat. Neque vero ad genuinum de hac controverſia judicium ferendum magno tibi ingenio opus eſt, ſi uti methodo a nobis expoſita vis. Ma-  
niſte

nifestum enim est, neque positam commodatarii, ad præstandam tali casu æstimationem rei, obligationem necessario socialitati convenire, neque ejusdem negationem simpliciter ejusdem destructionem maturare. Unde fluit, de hujus quoque quæstionis objecto nihil Jus N. disponere; cui consequens est, posse legislatorem civilem & injungere tale onus commodatario, & ipsum ab eodem absolvere. Pari compendio desinare licet quæstionem: Utrum in locatione conductione, cui aliquid alieni subest, propter incertitudinem proventus & fructuum, qui ex bonis locatis sperantur, aliquid de pensione ob improvisam, & casu aliquo rariore contingentem, sterilitatem a locatore remittendam sit, nec ne? Qui affirmant, hac præsertim ratione fulciuntur, quod conductor pactus quidem esse censetur de casibus fortuitis, non vero de insolitis, nec nisi rarissime evenientibus. Sed nec negaturo ratio deesset. Videtur enim conductor rei, cujus incerti proventus, uti exuberans lucrum sibi habet, ita damnum, ubi spes fefellerit, quocumque casu, sterilitatem consentaneam, emergens in se recipere. En tibi hic rationum æquitatis conflictum! sed inanem tamen, si de eo, quod Jus N. sanciat, quæatur. Cum enim hæc quoque materia simplici & necessario nexu cum natura humana non cohercat, inde eam intactam relinquere, atque in neutram partem pronunciare intelligitur N. Jus.

§. XV. Quæritur ulterius: An naturaliter fidejussor, elapso debiti solvendi tempore, sed ante principalem tamen debitorem conventus, se teneatur



excussionis exceptione? Suppetunt hic ab utraque parte rationes, sed sicut N. Jus; cum socialitatis salus in eo haud vetetur, ut hoc beneficio fruatur fidejussor, vel non fruatur. Unde alicui idem voluntate legislatoris civilis posse, nihil ambigo. Pari modo tot rationibus in utraque partem ventilata quaestio de polygamia virili, licetane ea sit N. J. an prohibita? determinabitur. Quemadmodum enim perniciosas lites nasci videntur posse inter plures uxores, invidias atque emulationis caetero percussas: Ita in augmentum generis humani magis numerosa soboles exiis tolli potest; & deficit hic illa officiorum, quae inter parentes & liberos mutua J. N. constituit, confusio, propter quam polygamia muliebris in numero naturaliter vetitum est. Dicendum igitur: Virorum polygamiam extra obiectum Juris N. esse, & hinc eandem, tanquam rem naturaliter indifferentem, legi positivae tribuisse materiam.

§. XVI. Queri etiam inter politicos & Juris N. scriptores solet: *Utrius parentis jus in liberis sit parum?* Et plerique indistincte praedictis paternis palmam deferunt; ut existimant, ita liberos teneri jussa matris venerari; ut eis plurimum anteferant voluntatem patris. Idque cum ex praestantia sexus masculini, tum ex eo etiam evincere conantur, quod pater, tanquam caput, familiae praesit, cui proinde ipsa subsit uxor, ut hinc in dirigendis liberorum actibus ipsa pariter cedere marito debeat. Verum enim vero aequa aestimatione rem perpendentibus, & juxta genuini legum naturalium principii

pri normam dimetientibus, satis liquet, deficere hic naturalem dispositionem, si rem ita in genere consideres, & prout a statu naturali atque civili præscinditur. Quippe extra dubitationem est positum, pacto effici in statu naturali posse, ut patrio juri maternum anteferatur. Cujus pacti validitati impediendæ justam remorsam non objicit infirmitas sexus foemini, quippe quæ nec semper sexum sequiorem comitatur, & legitima imperii denegandi causa non est. In statu vero civili, utpote per masculos instituto, cum familiarum rectores mariti sint, & ipsi sibi regulariter uxores, non hæ maritos quarant, jus patris in liberos maternum antecedit, ut, licet reverentiæ quavis documenta exhibere matri proles teneatur, præceptis tamen a matre profectis non obstringatur, siquidem patriis jus, nihil iniquitatibus continentibus, adversentur.

§. XVII. Nee minus de bonis liberorum in patria potestate existentium adventitiis disputari solet, utrum scilicet dispositio Juris Civilis, quæ, ejusmodi bonorum proprietate penes liberos manente, eorundem usumfructum patri addicit, versetur circa objectum morale, seu Jure N. jam determinatum? Et in affirmativas quidem plerique discedunt partes, hac maximo, non parum speciosa, ratione adjuti, quod multas molestias pater perferat, cique cum ob beneficium generationis, tum educationis, quæ si plerumque accedere solet, filius infinitis modis sit obstrictus, ut hinc tantorum beneficiorum intuitu ipsemet confectur tacite patri suorum,

bonorum usumfructum relinquere. Sed enim nullam hic solidam subesse rationem video, quæ legislatoris civilis arbitrium in hac materia excludat. Quippe in confesso est, ex ademptione hujus usumfructus, ejusdemque adjudicatione filio facta, vim conditioni generis humani haud inferri, neque fata socialitatis maturari, ut hinc nihil vetet, usumfructum in bonis adventitiis non secus, atque in bonis castrensibus, & quasi castrensibus, cum proprietate consolidari, inque uno eodemque subiecto, persona nimirum filiifamilias, concurrere. Eodem modo difficultas tollitur, quæ multi implicanter in decidenda questione, quæ lis movetur senibus cum juvenulis matrimonium inituris. Quamvis enim exigua per sepe spes sit, fore, ut per consecutionem finis principalis matrimonii genus humanum tolli casu augeatur: tamen nec omnino de hoc desperandum, & finis saltem secundarius commode obtineri inter inæquales etiam conjuges videtur posse. Et, si vel maxime nihil pro nobis hæc alique æquitatis rationes, militarent, illud saltem sufficeret, neque hujus questionis materiam simplici & absoluto nexu cum natura humana coherere, ut hinc tale matrimonium in numero eorum existat, quæ Jure N. sunt indifferentia. Plurimum quoque a se dissentiunt Scriptores in evolvenda questione: *Nam Parentum in liberos potestatem laxa sit, ut ad eorundem se venditionem in casu necessitatis extendat?* Qui negant, vim fieri hoc modo, ajunt, naturali effectui, quem in liberos tenerimum natura parentibus insuperit, & surgent præter-

præterea, quod patris potestas jus personale sit, a beneficio generationis præsertim ortum, quod egredi proinde personam non possit. Affirmantibus contra cum genius necessitatis favet, cujus intuitu ad evitandam malam aliquod, humana constantia magis, permulta licent, quæ regulariter per legis dispositionem in numero vetitorum sunt; tum hoc vel maxime, quod hujus venditionis necessaria cum socialitate disconvenientia doceri non possit; ut hinc Jus N. neque præcipiendo, neque prohibendo, circa hanc quæstionem versetur, sed eadem luculentam materiem legis positivæ constituat, quæ tamen itidem, ut patet pro scopo publicam utilitatem habens, non facile hanc facultatem, naturæ humanæ apprime congruam, ademptura esse intelligitur.

§. XVIII. Ulterius disceptari solet: *An peccet in legem N. magistratus, qui delinquentibus nonnullis suorum criminum veniam concedit?* Affirmativam tuentur multi propterea, quod magistratus eum in finem constitutus sit, ut, in delicta subditorum severis poenis animadvertens, peccandi libidinem in ipsis coërceat. Accedit, quod in salutem humanæ societatis injuria delinquentes sunt, ut consequenter magistratus, qui ei defendendæ præest, non videatur impunita relinquere posse delicta. At enim, quamvis speciosæ hæ rationes sint; tamen, si ad normam, ad quam leges N. examinandæ sunt, dijudicentur, apparebit, nullam hic prohibitionem naturalem inveniri. Neque enim quicunque respectus & utilitas in ordine ad socialitatem præceptum

ptum Juris N. evincit, sed debet materia, objectum  
 hujusmodi dispositionis constituens, relationem ne-  
 cessariam ad eandem involvere, ut hactenus lucu-  
 lenter demonstratum. Illud vero indubie apud  
 omnes veritatis est, respectum talenti in facultate,  
 veniam quandoque delictorum faciendi, deficiente.  
 Quod tamen non tam laxè capiendum, ut existi-  
 mes, licere magistratui temere & pro lubitu pec-  
 cantes dimittere, sed ratio veniæ gravis subesse de-  
 bet. Cujusmodi rationes solcite collogit Pufend.  
 de O. H. & C. Lib. I. c. 13. §. 15.: *puta, si finis pena-  
 rum in certo casu non videantur necessarii, aut si  
 venia majorem, quam poena, producere utilitatem  
 sit idonea: aut si finis penarum alia via com-  
 modius obtineri possent. Item si, qui deliquit, ab-  
 leget sua, aut sibi conjunctorum, eximia in republ.  
 merita, peculiari premio dignus; aut si ab alia  
 quapiam insigni re commendetur, puta, a raro ali-  
 quo artificio; aut si spes sit, fore, ut peccatum illud  
 egregiis factis eluatur: praesertim ubi aliqua igno-  
 rantia, licet non plane inculpabilis, inter venerit,  
 aut si particularis ratio legis in aliquo facto ces-  
 saverit, & si quæ alia hujus generis dantur.* Cir-  
 cæ potestatem Domini etiam in servum quasi so-  
 let: An ea se extendat ad facultatem, eundem oc-  
 cidendi, ob delictum grave commissum? Et distin-  
 gui solet inter familiam segregem, seu in statu natu-  
 rali existentem, & eam, quæ in civitate est. Neque  
 est, quod in hac distinctione desideres, cum utique  
 in statu civili publice intersit, crimina non priva-  
 torum patrumfamilias arbitrio, sed a magistratibus cau-  
 sa

sa cognita coërceri; ubi vero communiter ulterius proceditur, & distinguitur inter delictum, a seruo extra familiam sequegema in extraneum commissum, & quo ipsa familia graviter est laesa, & hoc quidem, non illud, per ultima puniri posse, dicitur, merito dubium alicui obrepere possit, annon eodem haberi censu utrumque delictum possit. Per socialitatem certe id licet. Possem id prolixè ulterius deducere, cundo per singula naturæ præcepta, eaque cognoscendi cuius obviam facilitatem observando. Sed brevitatis, quam hic nobis proponimus, colophonem imò ponere jubet. Quod ita facio, ut simul Tibi, summe DEUS, pro Benignissimo Tuo in hoc labore auxilio submissas gratias decernam.

## DISSERTATIO II.

DE

# MODO OBLIGATIONEM HOMINUM QVA TALIVM MUTVAM SCIENTIFICE DEMONSTRANDI.

### PRAEFATIO.

*Nescire, quam in errore versari, satius. Nam  
& majora hinc, quam illinc, ad veritatem eruendam impedimenta. De quo Metaphysici, cum de docta atque indocta ignorantia sunt solliciti.*

egre-

egregie philosophantur. Atque hoc cum in universa Philosophia verum; tam in illa potissimum ejus parte, qua hominum inter se actiones ad certam normam dirigit. Nihil hic ferendum, quod est dubium, aut probabilitatis se tantum specie commendat; firma omnia esse debent, & artificio nexu coarere. Ego vero, quid aliis sentiant, nihil magnopere curo, suum cujuslibet judicio pretium constare, graviter haud forens. Sed existimo ipse tamen, nihil hic vilius, quam ab aliorum auctoritate serviliter pendere, aut rationum dialecticarum cumulo utramque partem & defendere, pari robore, & oppugnare. Nam qui hanc viam insistant, id efficiunt, ut magno apparatus suam ignorantiam ostentent, cum de veris & solida scientia gloriari non magis queant, quam cœcuscientes de oculorum sensu. Unde cum in nuperâ Dissertatione aliquid de apodictica Moralium certitudine edisseruissem, operam me haud perdituram existimaui, si juxta principium expositum obligationis erga proximum scientificam & apodicticam demonstrationem aliquantulum alia tentarem via, quam qua Illustris memorie Pufendorfus in Elem. Jurispr. Univers. ubi fere synthetica methodo usus est, incedit. Quippe id præcipue hic agere conati sumus, ut, quomodo ex illo de cultura socialitatis principio officia hominum inter se prima & perspicua ratione fluant, ostenderemus, ita, ut eadem eruendi nulla penè difficultate opus esse videretur. Quem levidenssem Laborem ut æqui bonique consulas, parafficiose concendo. Sic demon-

*demonstrare quidem præcepta naturalia eo, qui sequitur, & quo se memoria obtulerunt, ordine visum est.*

§. I.

**Q**uemvis hominem, ut aequè hominem, seu tanquam naturaliter tibi æqualem, tracta. Demonstr. Nam, si cuivis homini quemvis præ se contemnere liceret, & tanquam communis naturæ haud participem æstimare, nulla omnino inter homines fiducia aut benevolentia locum inventura est, qua remota non apparet, quomodo integre perennare socialitas possit. add. *Pufendorf. d. O. H. & C. L. I. C. VII. §. 1. & 3.* Est autem existimatio qualitas moralis, qua hominum dignitas & valor in vita communi constat. conf. eundem in *cit. libello L. II. c. XIV. §. 1.* Cum enim maxima sit hominum quoad vitæ rationem diversitas, ut quidam recte, quidam turpiter eam transigant, alii uberiora, alii parca, vel nulla omnino, commoda in socialitatem conferant, & hinc nonnulli digi- gatione ex sola humanitate resultantem contenti sint, alii vero largius se in aliorum usus dispensando eandem auctum eant, inde existimatio hominum varia. Cujus summa divisio abit in *simplicem & intensivam.* Simplex vel *absoluta* est, vel *hypothetica.* *Absoluta* dicitur, quæ ex statu humanitatis, sive conditione hominum, qua talium, resultat. Spectaturque potissimum in statu naturali. Per hanc igitur quis consequitur, ut ab aliis communis naturæ participes æstimetur, inque ipsam exerceatur officia, ex conditione humane præcisè spe-



spectata, fluentia. Quare nititur hæc existimatio eo, quod quis ut homo vivit, præceptaque Legis N. erga alios, tanquam æque homines, observare laborat. Unde excidit eadem, qui contemnit alios, vitæ eorum bonisque insidias struit, & quovis modo illis nocere cupit. Talis igitur abrumpendo, quantum in se est, pacem humani generis, ineptum se reddit ad recipienda officia, in ipsum alias tanquam hominem exercenda, ut pro putrido generis humani membro habeatur, quamdiu a tam pravo vitæ instituto non discedit.

§. II. *Simplex hypothetica existimatio, docente Pufendorfo in Elem. Jurispr. Univ. Lib. I. Def. 9. dicitur, quæ resultat ex instituto humano, statum nimirum civili simpliciter considerato; quando nempe quis in civitate pro integro ejus habetur membro, neque ejus famæ macula aliqua iniusta. Integritas autem hæc, partim ex vitæ conditione, partim ex morum honestate, venit. Unde deficit partim ob statum, partim ob commissum delictum. Status, qui ab hac existimatione atrox, vel originarius est, qui aliquem sub iactum statim, cum in civitatem venit, comitatur; vel ex post facto superveniens; Cum quis nimirum ad tempus, tanquam integrum civitatis membrum, vivit, postmodum autem existimationis jacturam patitur. Originarius rursus vel naturalis est, qui ab ipsa statim nativitate adest, ut puta, si quis ex servis parentibus nascatur; vel adventitius, qui in iis conspicitur, qui in bello capti in servitutem rediguntur. Supervenit autem ex post facto status existimationis hærens,*

lædens, v. gr. per capitis diminutionem maximam. Illa jacturam libertatis infert, quæis apud Rom. obtinebat in iis, qui, quod venundari se paterentur, cum essent liberi, in statum servilem detrudebantur. Sed & ex delicto oritur vitæ, cum nimirum propterea jus civitatis amittitur; quod exprimebant Romani per *mediam capitis diminutionem*; Qualis continebat olim per *deportationem* §. 2. *I. d. cap. dim. it. interdictionem aquæ & ignis*, *L. 5. ff. eodem*. Quibus hodie sub modo æquivaleret *declaratio in Bannum imperii*, it. intuitu particularium ditionum *fustigatio*, & cum infamia conjuncta *relegatio*, & *condemnatio ad remos* aut *opera publica* facta, it. contingit talis existimationis jactura, si quis in civitate quidem maneat, juribus tamen ejusdem non fruatur, neque ad honesta aliorum consortia commerciaque admittatur. Qualem maculam iustam videmus His, qui lenociniis aut adulteriis se contaminant, vid. *O. C. d. 122. qui lucri causa populo sunt spectaculo*, *L. 2. §. f. ff. d. His, qui not. inf.* item huc pertinent milites cum ignominia dimissi, *L. 1. L. 2. pr. & §. 2. ff. d. t.* qui fecimus improbum & usurariam pravitatem exercent, vid. *Mand. Elect. d. A. 1626. von wucherlichen Contracten und Cessionen*. §. So wollen wir. item perjuri; qui plura eodem tempore sponsalia aut nuptias celebrant, *L. 13. §. 2. ff. d. His, qui not. inf.* Hujusmodi enim hominibus clauduntur dignitatum portæ, *L. 2. C. d. Dignit. l. 9. C. d. Decur. testimonium eorum vel omnino negligitur, vel saltem non omni exceptione majus est*, *C. 54. X. d. Testib.*

R. I.

R. I. d. A. 1526. §. Und wiewohl. Carpz. P. I. C. 16. d. 71. n. 7. 8. neque institui semper hæredes queunt. Verum & aliæ in civitatibus personæ dantur, quæ non quidem infames, aliis tamen civibus non æquiparantur, neque paribus ubique juribus fruuntur, dicunturque *levis nota macula laborare*, quæ oritur vel ex *illegitima nativitate*, L. 6. ff. de Decur. vel *sordido vite genere*. Uti enim in corpore humano alia membra aliis digniora habentur, ita idem in civitatis membris obtinet. Quo referuntur, *lictores*, *Richt.* dec. 80. *excoiatores*, *ibid.* n. 20. *cannifices*, *castratores*, *Stryk. Us. Mod. Tit. d. His, qui not. inf.* §. 5. Nam ab opificiis sæpe excludi hæ personæ solent, & in conferendis dignitatibus major multo habetur ratio aliarum, ab hac macula immunitum, & earum testimonium non omni exceptione majus. *Conf. Habn. ad Wes. sit. d. His, qui not. inf.* n. 8. *Carpz. Pr. Cr. q. 134. n. 58. seq. L. 3. ff. d. Test.*

§. III. Neque vero acrimini alicujus existimatio in civitate, nisi per Magistratum, potest. Hic enim custos legum, & tam judicandi de meritis civium, quam ob eorum turpitudinem poenam atque infamiam irrogandi, facultatem habet. *Intensivæ existimatio est quantitas moralis, qua inter eos, qui civiliter æquales sunt, alii aliis anteponuntur.* *Pufend. d. O. H. & G. L. II. c. 14. §. 11.* Fundamentum intensivæ hujus existimationis est præsentia peculiarium qualitatum, quas æstimare homines, & propterea unum altero plus facere, solent. Enimvero illæ variè deprehenduntur & puta

puta naturalium splendor, divitiarum ubertas, cultura animi, dotes corporis, rerum gestarum gloria, opinio virtutis, unde autoritas & nominis celebritas, officiorum & munerum, quibus quis perfungitur, dignitas, aliaque pene innumera. Conf. eundem c. L. §. 13. Existimationem eorum præcipue, qui alius præ aliis eminent, certis appellationibus atque titulis exprimere pleræque nationes consueverunt, ut prout quisque vel communi vel privato alicujus judicio aliis antefertur, ita nominum, dignationis ejusmodi intensiorem designantium, splendore eosdem præcedat. Cumque exiguus virtutis fructus sit, interno hominum judicio magni fieri, nisi id externis promatur signis, quo & ejusmodi honoris specie alii ad laudabilia facta stimulentur, inde luculenta titulorum æquitas. Recte *Symmachus, bonas artes honore nutrirî, ait.* Atqui honoris præcipuam partem plerique in titulorum decore collocant. Neque tamen hi semper peculiare personarum qualitates & existimationis intensiorem notant; Sed quandoque principaliter statum innuunt, in quo persona constituta, siue digna eo sit, siue fortunæ eundem debeat. Et, hos præsertim titulos omnibus viribus propugnari, permagni interest, cum, iis negatis, in dubium simul vocetur status, cui significando inventi sunt. Unde nonnisi ab ignorantia civilis vitæ insulsi illi sermones manant, quibus Principum atque Rerumpublicarum hac de re certamina vulgus poterve traducere, & tanquam superfluum vanitatem pro-

D

scri-

scribere non veretur. Conf. *Pufend. Elem. Jurispr. Univ. L. 1. def. 6.*

§. IV. *Promissa, alteri animo te obligandi facta, fideliter exple.* vid. *Struv. Exerc. VI. §. 7.*  
 Demonstr. Nam, si ponas, cuilibet pro libidine voluntatis suæ fallere datam fidem licere, rationes & destinata hominum necessario turbabuntur, destrueturque commerciorum utilitas, & hinc inclutabile generi humano fatum maturabitur. Conf. *Bonacin. Theol. Mor. Tract. d. Restit. & contract. disp. 3. q. 1. n. 3.* *Covarruv. in c. quamvis. d. Pact. in 6. p. 2. §. 4. n. 6. add. Pufend. d. J. N. & G. L. III. cap. 5.* Promissio vero est vel *perfecta*, vel *imperfecta*. Illa dicitur, quando quis ita aliquid suæ potestati subiectum promittit, ut simul declarat animum se obligandi, quamvis nolit in alterum transire jus exigendi actione intentata. Qualis promissio potentiorum esse solet, ubi petitionem quandam suscipiunt, sequere rem omni affectu atque viribus confecturos pollicentur. Obstringuntur enim ita in conscientia, ut citra peccatum in suscepto negotio negligentia versari non possint, nolunt tamen ita se obligari, ut ad id, quod promissum est, exequendum per vim adigantur, ne actus, ad quem compelluntur, beneficii nomen exuat. *Pufend. d. O. H. & C. L. I. c. IX. §. 6.* *Perfecta* autem obligatio dicitur, qua quis voluntatem se obligandi ad aliquid præstandum ita declarat alteri, ut simul jus exigendi, eoque nomine ipsum conveniendi in eum conferat. *c. l. §. 7.*

§. V. Recte vero animadvertit idem *laudatissimas*

*iffimus Auctor*, non nisi per *verba presentium* vel *præteritorum* jus in alterum transferri. Nam si quis utatur verbis tempus futurum respicientibus, censetur regulariter nondum determinare voluntatem suam, sed determinationem suspendere ad tempus illud, de quo loquitur. Secus est, si ex circumstantiis & consuetudine loquendi appareat, verba de futuro enunciata ad præsens tempus trahenda esse; quemadmodum pleræque promissiones ejusmodi verbis concipiuntur. Et verba tum non de translatione Juris, sed facultate exigendi & traditione accipienda, ut, quæ signa alias partem solummodo de negotio significant, tunc totum negotium & utrumque tempus, quo & jus ad rem habendam transit, & facultas exigendi competit, involvat.

§. VI. Ad validitatem promissi, ejusque efficaciam, requiritur etiam *acceptatio* ejus, cui fit promissio. Subest enim hæc tacita promissioni conditio: *Si acceptatum fuerit*; in invitum vero nemo beneficium conferre velle censetur, neque rem pro derelicto habere, cum alias cuilibet jus in illud competeret: Quin potius præsumitur, acceptatione ab altero omissa, id, quod in promissione est, sibi retinere velle. Unde fluit, revocationem promissionis, ante acceptationem factam, permissam esse; quamvis, si frequentetur nimis, levitatis & præcipitantiæ vitium incurrat; cum non nisi deliberato animo ad promissiones accedendum sit. Quare tunc demum Juris translatio contingit, si voluntas transferentis cum voluntate acceptantis

conjungatur. *add. L. 55. d. O. & A. L. 10. de Donat.* Quæ conjunctio ex parte acceptantis tacite contingit, ubi rogatio ejus congruam promissionem præcesserit. Dico *congruam*. Nam si aliud promittitur, sive resp. rei, sive temporis aut loci, quam quod rogatum, non habebit promissio ante expressam acceptationem locum. *Add. Struv. Ex. VI. lb. 33. & L. 8. L. 38. de Acquir. possess. Carpzov. L. 5. resp. 62.*

§. VII. Præterea vero absenti aliquid promittitur vel *pure*, vel *sub conditione*. Est vero *conditio ejusmodi adjectio, qua conferimus validitatem actus in futurum aliquem eventum aut casum, L. 41. d. V. O. L. 96. d. Hered. inst.* Spectatur autem in gratuitis promissionibus ejusmodi eventus, quoad nudam suam præsentiam seu adæsentiam, sine intuitu alicujus meriti, quippe alias promissum in naturam pacti transit. Enimvero distingvi *conditio* solet in *possibilem, & impossibilem*. Hæc vel *naturaliter* talis est, vel *moraliter*. Illa vocatur, quæ per rerum naturam impleri neutiquam potest. Hæc vero est, quam implere leges non permittunt, seu per naturam impletio eadem fieri possit, seu non possit. Possibilis rursus est vel *potestativa, vel casualis, vel mixta*. Illius existentia dependet a voluntate ejus, cui sub ea aliquid promissum; Istius eventus ex solo casu aut alieno arbitrio dependet. Hujus denique impletio partim a casu, partim ab ejus, in quem confertur, voluntate & arbitrio dependet. Et omnis quidem generis adjici promissionibus queat, operantur-

ranturque, ut inpraesentiarum de validitate aut infirmitate promissionis decerni non possit, sed expectandum sit, utrum existat, nec ne. Quo casu retrahendum videtur ex aequitate tempus promissionis, ut retro ab eo tempore, quo est inita, censetur fuisse valida. Quod si vero conditio non existat, negotium sub ejus existentia celebratum est invalidum. Qualis etiam illa est promissio, cujus vis suspenditur in eventum a mero nostro arbitrio dependentem. Nam quod in nostra potestate est, non debet in casum conferri, uti habet communis *JCorum* regula. Conf. hic *Struv. Jusipr. Rom. Germ. For. L. II. T. 18. n. 5. & 6.* Tempus quoque & locus promissioni recte adjiciuntur, & illud quidem operatur, ut exactio, antequam tempus venerit, fieri non possit; hic vero efficit, ut suspendatur exactio, donec perveniri commode ad praestitutum locum possit.

§. VIII. *Obligationi, quam tibi incumbere sentis, satisfacito, quamvis in foro civili non adigaris.* Demonstr. Quod si enim sola civilis coactio ad satisfaciendum suo officio hominem stimulare deberet, & humanitatis officia, conditioni generis humani tamen necessario convenientia, omnino perirent, & saltem ad nulla promissa pactaque servanda obstringerentur ii, qui in statu naturali vivunt, sufficientibus ad se erga quoslibet defendendi viribus instructi, quod quomodo vinculum generis humani tollat, nemini obscurum esse potest. Quod ut uberius percipiatur, notandum, *obligationem vel naturalem esse, vel civilem. Il-*



la dicitur, *qua ex Jure N. dependet*; hac autem, *qua a Jure Civili ad effectum producendi in foro civili actionem est introducta*. Quo ipso tamen non ita separamus vinculum naturale a civili, -ut existimemus, concurrere eadem non posse, quia potius communiter naturalis obligatio sub civili latet, cui ab hac præsidium quasi aliquod accedit, ut eo promptius homines, ad quod naturaliter tenentur, præstent. Interest enim socialitatis, homines soli conscientie suæ non relinquere; cum in haud paucis, ex vulgo præsertim, langveat honesti sensus, ut neglecturi sint Naturæ Leges, nisi per vim a Magistratu ad earum observantiam adigerentur. Quare salubriter officia naturalia Legibus quoque civilibus confirmata sunt, ut, si non solus pudor, saltem adjunctæ præsentissimæ formidæ poenæ, ad eadem exequenda invitaret. Ubi vero sola naturalis obligatio hominem stringit, præsidio civili deficiente, ab ipso invito extorquetur, quod in obligatione est, non debet inter eos, qui in civitate degunt. Huic enim ubi quis se tanquam membrum adjungit, renunciat tacito pacto omni facultati, quam ante in persequendis juribus suis, & contra repugnantes asserendis habebat, eamque civitatis manibus permittit. Quod secus inter eos, qui in statu naturali vivunt, superiorem non agnoscunt. His enim ubi denegatur, quod tanquam perfecte debitum suo jure poterant exigere, per vim privatam, ve bellum, id ab invitis extorquere licebit. Quæ violenta tamen persecutio etiam contra, alius civitatis membra conceditur, ad

ad obtinenda jura, quæ ipsis competunt. Neque vero hic laxa nimis libertas esse debet, sed certus servari modus. Quia enim superiorem habent, inde ad hunc primo omnium petitio deferenda, & per legitimas probationes æquitas ejus deducenda est. Ubi autem is vel prorsus denegaverit, vel saltem inaniter protraxerit justitiam, conqueri eo nomine apud superiorem licebit, qui ubi mitiora remedia frustra tentari animadvertet, creditori permittere poterit, ut, ubicunque commode & secure licuerit, pignorationes erga debitorem exerceat. Quod si debitor non potuerit deprehendi, eodem jure aliorum ejusdem civitatis membrorum res & bona detinere licebit, quamdiu creditori non fuerit satisfactum. Cujus rei ratio haud obscura esse potest. Cum enim is, qui summum in civitate imperium obtinet, ejusque nomine justitiam administrare debet, peccat, censentur eodem crimine omnia membra sub illa civitate comprehensa se obstringere. Accedit, quod e duobus malis, quorum utrumque evitari non potest, minus eligendum sit, juxta pervulgatam regulam. Expediunt autem veritatis, ex bello, quo alias injuriæ vindicantur, majus longe oriri damnum, quam si hoc modo, quem *Repressalias* vocant, vid. *Voss. L. 3. d. Vit. ferm. c. 42.* justitiæ administratio extorqueatur. Denique vel propterea nemo irascetur, ob debitum concivis sua bona tali casu detineri, quod ipsi sperare licet, fore, ut sibi quoque laboranti eodem aliquando remedio subveniatur. Conf. *Pufend. cum in tract. de J. N. & G.* tum in *Elem.*

*Jurispr. Univ. p. 114. Scotam. D. 23. lb. 3. seqq. Ziegl. d. Jur. Maj. l. 1. c. 34. lb. 31. & 37. Grot. d. J. B. & P. L. 3. c. 2. §. 2.*

§. IX. Desideratur præterea ad Obligationis validitatem *rationis usus*; ut quis intelligat negotii circumstantias, de quo contrahere animus ipsi sedet. Neque enim alias consentire videbitur: Quia consensus in voluntate ad judicium intellectus de re in obligationem deducenda sese refert, quod deficit in iis, qui rationis usu destituuntur. Quales sunt (1) *Infantes*, quorum mens densissimis nebulis stipata est, ante maturiorem ætatem non dissipandis. Ulterius aptum obligationis subjectum non sunt *furiosi & mente capti*, quorum intellectus in exilium quasi ætus est: Quæ ratio cum tempore *dilucidorum intervallorum* deficiat, inde nulla est dubium, quin, illis durantibus, valide se obstringant. Simile impedimentum in *ebriis extreme*. Nam & in his usus rationis ita intercipitur, ut obvientiæ negotiis non intelligant. Neque ab iniquitatis nota absolvi queunt illi, qui captato tempore ab ejusmodi temulentis hominibus consensum & promissa extorserunt. Quamvis vero obligationes impediatur in negotiis contrahendis *ebrietas*, a poena tamen propter delictum, in ejusmodi statu commissum, non liberat: eum sibi cavere omnes debeant, ne adco ubere se potu ingurgitent, ut usum rationis extingvat, quæ culpa luculentior multo in illis, qui, cum consuetudinem suam in ebrietate peccandi scirent, eam nihilofecius non evitarunt.

§. X. Impedit quoque vim obligationum *error*. Ut enim valida contrahatur obligatio, circa unum idemque objectum utriusque partis intellectus verari debet. Ubrigitur consensus præstatur in objectum aliter ab intellectu apprehensum, quam pro rei veritate, obligatio contracta esse non poterit videri. Neque interest, utrum error circa objectum *physicum* intervenerit, ut si aliud pro alio ematur corpus, an circa aliquam ejus partem & qualitatem *moralem*, ut puta, si quis contrahat de domo, quam ab omni onere immunem esse ex errore credit: modo præ se causam ferat, qua ad contrahendum invitetur. Alias enim, si quis tacite solummodo aliquid tanquam conditionem supposuerit, cum ad objecti, circa quod negotium versatur, essentiam non pertineat, id nihil quicquam efficaciam obligationis impediet. Sed & illud indubitata veritatis, neminem se ipsum obligare posse, sed requiri ad minimum duas personas, quarum una injungat, altera recipiat obligationem. Cum enim effectus obligationis omnis pertineat ad eum, a quo illa profecta, ut hinc dissolvi etiam illius arbitrio possit; Inde, si quis ponatur, se ipsum obligare, erit ipsi liberum, præstare, quod in obligatione est, & non præstare, quod naturæ obligationis repugnat. Unde obligationes erga seipsum non ita capiendæ, quasi homo vinculum sibi ipsi injicere possit, & necessitatem alicui præstandi asserre, seu spectatur homo, non ut causa efficiens obligationis, sed ut ejus subjectum passivum, quod actum, per obligationem injunctum,

exercere debet. Quemadmodum homini a DEO præceptum, ut se conservet, animique & corporis curam agat sedulam, idque in personis etiam moralibus seu societatibus procedit.

§. XI. *Dammum alteri datum refarcito.*  
 Demonstr. Fluit hoc præceptum necessario nexu ex illo, quo lædi proximus vetatur; frustraneum enim hoc præceptum fuerit, nisi læsionis, de facto contra Legis prohibitionem illatz, nomine satisfaciendum esset, vid. *Pufend. d. Off. H. & C. L. 1. c. VI. §. 4.* quod obtinet, sive immediate, seu per se, sive per alium, datum sit damnum. Sic & injuriæ intuitu respondendum. Dicitur vero inferri injuria, cum alicui denegatur, ad quod habendum perfecto gaudebat jure, ut puta, si per pactum aut contractum obligata persona nolit conventionem stare. Contra hanc igitur intentare in foro actionem, atque ad satisfaciendum suo officio compellere Nam licebit. Secus autem est, cum quis obligationi tantum imperfectæ satisfacere recusat, de hujus quippe inhumanitate licita querela; adigi vero per vim ad sui officii exercitium non potest. Ea enim imperfectæ obligationis natura, ut, quamvis conscientiam stringat, alteri tamen facultatem non tribuat, ab invito extorquendi, quod in obligatione est. Ita frustra actionem mendicus intendit, cui denegasti stipem, neque fraude eandem, aut per violentiam elicere fas ipsi est, nisi in necessitatis casu, quo imperfecta obligatio quasi naturam perfectæ induit.

§. XII. *Pacta cum hostibus iniura Princeps ser-*

*servato.* Demonstr. Neque enim aliud remedium suppetit, quo pax amissa recuperari possit. Pace autem abolita, nullam intelligi socialitatem posse, satis, existimo, in apico esse. Cum igitur status belli violentus sit, inde per pacem eum quamprimum tolli, Jus N. desiderat, & quia id fieri sine pactis non potest, hinc, ne sine suo excidat, pro validis eadem declarat, necessum est. Quæ pacta proinde cum hostibus inita sedulo distinguenda sunt ab illis, quæ statum hostilitatis non tollunt, sed aliis de rebus ineuntur. Hæc vero cum non occupentur circa bellum mediate, vel immediate finiendum, inter hostes non videntur obligationem contrahere. Dum enim quis pro hoste se gerit, licentiam nobis, in infinitum ipsi nocendi, tacite concedit. Implicat vero, in infinitum nocere posse, & facultati nocendi certum esse præscriptum modum; ut proinde nec plus, nec minus, quam antea habebat, per ejusmodi pacta pars altera acquirere videatur. Exempla ejusmodi pactorum suppeditat *Pufend. Elem. Jurispr. Univers. p. 130. seq.*

§. XIII. *Imperans juxta Leges fundamentales, si qua adsunt, potestatem exerceto.* Demonstr. Vel enim is, qui civitati præest, tertii alicujus arbitrio, tanquam superioris, est subjectus; & res nihil difficultatis habet, cum, pro superioris lubitu, inferioris circa imperii exercitium jura regulariter extendi, restringi, & quovis modo determinari queant. Vel tertium superiorem non agnoscit, & limitata ejus potestas esse potest per pactum,

inter

inter imperantem & subditos, sub ipsam imperii collationem, initum, vi cuius deinceps non promiscue exequi teneantur iussa, sed pro ratione conventionis, vel inter se concilio habito de eo, quod agendum, deliberare, vel incidens dubium arbitri alicujus religioni committere liceat. Quales conditiones imperii collationem comitari, nihil omnino naturali æquitati repugnat. Cum enim, antequam caput sibi societas deligat, omnis penes eam potestas existat, liberum ei est, quousque potestatem hanc aliis committere velit; an absolute & simpliciter, an determinate & cum certa restrictione, modo ea non sit immodica, quam imperii natura, & finis ferre non possint.

§. XIV. Quæritur præterea: *An Summus Imperans perfecte obligari possit subditis, ita, ut nolentem satisfacere suo officio, vel intentata in foro civili actione, vel per aliam vim adhibitam, compellere ad actus, qui in obligatione sunt, liceat?* Quam quætionem ut suis, quibus laborat communiter, difficultatibus expediamus, distinguendum putamus probe inter obligationis objecta. Vel enim Imperans pacificatur de re ad Summum Imperium pertinente, vel de re alia, v. gr. mutuo accipiendo. Priori casu Princeps, si promiserit v. gr. rectam Imperii administrationem, aut aliud quiddam ad modum imperandi pertinens, obligatur imperfecte quidem, ita ut, si obligationi contraveniat, in Leges Naturales atque Divinas peccet, & hinc eliciat iram poenasque Numinis Divini. Perfecta vero hic obligatio deficit; ut

cum

cum effectu Principem, qui fidem fallit, Subditi convenire haud possint. Repugnat enim hoc naturæ Summi vel Absoluti Imperii, quod desinit tale esse, ubi rationes ejus in foro aliquo humano reddendæ, aut alia vis ei licite inferri potest. Posteriori vero casu, quando Princeps de re alia, quam quæ ad Summum Imperium pertinet, cum Subdito contrahit, vel potestatem ipsi tribuit, se conveniendi in aliquo tribunali, & actio habebit locum; vel non concessit hanc facultatem, & conveniri non poterit, non tam ob defectum obligationis, quam quod Princeps Superiorem non agnoscit. Unde & eo casu, quo experiundi adversus se in foro civili facultatem concessit, non id ita capiendum, quasi ab invito Principe subditus hoc modo, quod sibi debetur, extorquere possit, sed ut legitimis probationibus deducatur debitum, quo, si tale existeret, sese exsolvere Princeps cupit.

§. XV. *Quæ, Lege haud iniqua, a Superiore injuncta sunt, impigre exequitor.* Demonstr. Neque enim apparet, quomodo alias, inter Imperantes, qui intercedit, & parentes, nexus consistere, atque adeo socialitatis salus perennare queat. Neutiquam vero Lex cum consilio confundenda, utpote a quo plurimum discrepat. Quippe qui alteri consilium suppeditat, id tantum agit, ut ipsi ostendat rationes, propter quas hoc vel illo modo circa propositum negotium versari debeat, nullam de cætero agendi necessitatem affert, exercitio actionis, consilio dato conformis, pleno alterius arbitrio relicto. Qui vero alteri Legem præscribit,

pre



pro imperio ei injungit, ut voluntati suæ convenienter actiones suas instituat, quamvis non pateant fortasse Legis constitutæ rationes. Liquidum etiam est, quantum Lex distet a pacto. Nam ut pactum incamum, nostro arbitrio subest, cum nemo adigi ad paciscendum queat, quod secus in Legge est, quam Superior, inconsultis subditis, & vel invitis, sancit. Attamen hoc non impedit, quo minus originem a pacto trahere dicantur Leges. Sed & permissionem Legis ab ejus præcepto insignis differentia sejungit, quod discrimen in Jure Naturali præcipue elucet. Contrarium enim ei, quod Lege N. dispositum, non potest per legem civilem injungi, sed permitti tamen. Quod ni ita foret, sequeretur, omnes actus Legi N. haud convenienter exercitos puniendos esse; quod in foro civili usquequaque haud procedit. Constitutum enim hoc, societatis humanæ rectius conservandæ gratiæ, unde sequitur, ea hic coercenda delicta esse, que grave socialitati infligant vulnus, ita, ut quoad reliquos actus suæ conscientiæ quilibet relinqui possit. Neque vero permissio civilis ita capienda, quasi actus Jure Naturæ vetitus permissione civili in censum licitorum redigi queat. Cum enim Lex N. nulli mutationi subjaceat, & a superiori intuitu omnis potestatis humanæ profecta sit, manifestum est, moralitatem per Jus N. actui impositam tolli permissione civili haud posse. Igitur id solum ea efficitur, ut detrahatur humana poena, quæ vero alias ex Legis N. violatione metuenda poenæ, in suo vigore permancant.

§. XVI. *Quod si plures contraxerint, qua ritur, quomodo teneantur? Et interest, quidem, utrum societatem inter se, quæ ad id negotium trahi possit, iniverint; an vero nullum inter eos pactum intercesserit.* Priori casu representant personam & corpus morale, adeoque una omnes obligationes tenentur, v. gr. Si civitas aut collegium obligationem contrahat, ea ad omnia ejus membra pertinet. Et ratio est, quod, cum plures in unum corpus coeunt, obstringant se ad certa saltem negotia, in commune lucrum expedienda; quæ lucri communio post se damni quoque communionem necessario trahit, & quisque proinde tacite declarat, quicquid nomine societatis circa illa negotia tractatum fuerit, id ad se quoque pertinere debere; unde liquet, obligationem concernere ea solum objecta, intuitu quorum plures in unum corpus coaluere, unde, si administratores intra officii sui fines se non continent, civitas tota obligationem non contrahet.

§. XVII. Versantur autem obligationes circa omnia, quæ præstandi nobis facultas inest; ineptum enim fuerit, adstringere se necessitate exhibendi quippiam, quod representandi tamen non habet facultatem. Quo pertinet trita illa *Ætiorum* regula: *Impossibilium nulla est obligatio.* Et censentur ludere voluisse partes, cum ejusmodi conditionem adjecerunt. Interim nihil impedit, quo minus conditio impossibilis, actui adjecta, possit a Magistratu detrahi, & pro non adjecta haberi, ipso actu valido existente. Quod in illis præcipue actibus

rebus ab æquitate commendatur, qui ab una parte, absente altera, geruntur; Quia enim in hujus arbitrio non fuit, ejusmodi conditionis adjunctionem impedire; inde, quod sub ea in ejus-utilitatem constitutum, merito ipsi adjudicatur, ne per ejusmodi instituta hominibus illudatur. Præterea notandum, quod, quamvis eo tempore, quo obligatio contrahitur, res sit possibilis, sufficiat tamen ad ejus præstationem evitandam; si postea fiat impossibilis, nisi dolo aut culpa obligati vires agendi ablatæ fuerint. Quæ malitia impunita relinquenda non est.

§. XVIII. Sed & illud ad materiam obligationum & contractuum pertinet, quod, postquam utilitas generis humani limites *permutationis* evagari, commerciaque humana aliis quoque contractibus promoveri jussit, opus fuerit, conventionem hominum res in commercia venientes, quantitatem certam, seu valorem, recipere, qui *pretii* nomine venire solet. *Pufend. de O. H. & C. L. 14. c. 1. §. 1.* Est igitur *pretium* nihil aliud, quam valor rei aut actionis, secundum quam aptæ sunt inter se comparari. Fundamentum autem valoris hujus est varium, utpote necessitas atque utilitas in vita humana; imo & sola raritas etiam iis rebus, ex quibus nullus, vel exiguus, ad vitam civilem, usus redundat, magnum quandoque pretium constituit. Et tum sola voluptas atque libido habendi, quæ ab aliis non possidentur, regnat. Imo quandoque ex peculiari quopiam effectu homines multo majori pretio rem, quam aliæ ejus generis venire solent,

lent, sibi comparant. Determinatur autem *pretium* rerum vel publice (& puncto illi præcise inhaerendum,) vel determinatio privatis relinquitur; priori casu vel expressa fit lege determinatio, vel per consuetudinem, quæ nunquam fere sine latitudine, intra quam contrahentibus plus minusve decernere licet. Sed & accidentia rei æstimabilia esse possunt, ob quæ intenditur vel remittitur rerum pretium, quæ solícite collegit *Puf. L. 1. def. 10. §. 1.* *Pretium* vero est vel *vulgare*, vel *eminens*. *Vulgare* hæctenus explicatum, quod scilicet rebus vel actionibus propter earum utilitatem, necessitatem, aut raritatem inest. Et præter hoc pretium aliud veteres ignorabant; unde simplici permutatione ipsorum negotia absolvebantur. Inde vero insignis remora atque impedimentum injiciebatur negotiis, quod persæpe non possiderent homines, quæ pro suis rebus alii exigèrent. Igitur remedio opus erat, quo subveniretur simplici illi & incultæ vitæ. Neque commodius suppetebat, quam si determinaretur materia apta, eique *pretium eminens* constitueretur. Maxime vero idonea materia visa sunt metalla nobiliora atque rariora, aurum, argentum, & æs. Neve suo lubitu privati eadem usurparent, publica autoritate insignne certum imprimendum erat, & pro ratione ponderis & qualitatis determinari valor, quem obtinere in communi vita deberet. Et hoc *eminens pretium* recepto vocabulo nummus audit.

§. XIX. *Homini non nisi actiones humanae qua salter, seu quatenus ab ejus voluntate dependent,*

E

dent,

*dent, imputantur.* Demonstr. Nihil enim naturæ humanæ magis adversatur, aut periculosius nexum socialitatis dissuit, quam teneri earum actionum nomine, quas fieri, vel non fieri, in nostro arbitrio non erat situm. Imputatur igitur homini non nisi actio humana; quæ defini potest, quod sit *actio voluntaria*, prout involvit respectum ad legem. Conf. *Pufend. Elem. p. 1. seqq.* Dicimus eandem actionem voluntariam, quia est *actio per determinationem voluntatis in homine nata*; ut distingvatur ab actionibus naturalibus, quæ non a voluntate procedunt, sed ab aliis facultatibus in homine arbitrio humano non subjectis, utputa sensitiva, vegetativa, locomotiva. Imo & actiones liberas hoc sensu naturales dici, nihil vetat; quatenus scilicet in se absolute considerantur, non habito ad voluntatis decretum respectu, qui tamen in eas cadit. Cum contra actiones naturales strictè sic dictæ seu necessariæ fundamentum moralitatis, quod determinatio voluntatis est, recipere nullo modo possint. Apparet quoque, actionis humanæ seu moralis essentiam tribus absolvi partibus, innotu scilicet physico, proteresi, & relatione ad legem. Illum materiale cum *Pufend.* vocare possis, istam fundamentum, hanc denique formale ejus. Motus physicus, ceu materiale actionis moralis, latissime patet, & commodissime distingvi videtur posse in proprium & alienum. Proprius dicitur, qui procedit a facultate in nobis ipsis existente; puta a vegetativa, locomotiva, sensibus sive internis, sive externis, item intellectu quoad ejus apprehensionem

nem

nem, nulla Lege dirigibilem, & certo modo dijudicationem quoque, denique voluntate, prout hæc spectatur nude, & ut mera facultas, quam a natura homo accipit. Motus physicus alienus dicitur, qui proficiscitur a potentia, non in nobis ipsis, sed aliis existente, ut puta in iis, quorum actiones certo modo dirigere atque moderari nobis incumbit; item huc pertinent actiones belluarum, rerumque aliarum, ratione, vel etiam sensu, carentium, quatenus poterant & debebant a nobis prohiberi. Quemadmodum etiam motus alienus, prout a nobis recipitur seu admittitur, in actionis moralis naturam transit. Fundamentum actionis moralis est aptitudo, per quam idoneus est motus ad moralitatis denominationem recipiendam. Aptitudinem autem illam habet a proæresi voluntatis. Neque enim sufficit, actionem ab homine produci, sed debet per decretum voluntatis fieri, quæ in hanc deflectit partem, cum in alteram libere se posset convertere. Unde actiones, quæ casu aliquo aut saltem per culpam fiunt, solitarie spectatæ non intuitu præcedentium actuum, a quibus fortasse in esse suo promanarunt, moralitatis omnino expertes sunt. Formale actionis moralis consistit in convenientia, vel disconvenientia cum præscripta Lege, quam proæresis in voluntate involvit. Ex hoc respectu ad Legem sequitur tanquam necessarium consecutivum imputativitas, uti *Phf.* vocat, seu quod ejus effectus homini vel ad laudem & præmium, vel ad vituperium & poenam, imputari queat. Unde actiones hæc vel bonæ, quæ congru-

unt ad normam præscriptam, vel malæ, quæ ab illa aberrant. Cumque vel immediate vel per alium actio patrari queat, inde est vel immediata, vel mediata.

§. XX. *Promissis, quatenus dolo elicta sunt, nemo tenetur stare.* Demonstr. Cum enim pacta & promissa non nisi ob consensum sermel adhibitum obstringant, ut demonstratum, nihil vero consensui magis adversetur, quem dolus ab altera parte adhibitus, inde nullitas hujusmodi promissionis evidenter apparet. In qua materia occurrentes difficultates ut eo melius dissipentur, distinguendum est probe, an dolus causam contractui dederit, seu in essentialibus ejus intervenerit, nec ne; illo casu, quia per talem dolum non contracturus ad contrahendum inducitur, omne negotium est nullum. Nam ut obligatio producat, requiritur, ut negotium vere, & ut in se est, voluntati ab intellectu sistatur. Dolus autem obveniens efficit, ut intellectus rem non uti vere habet, sed falsa & fictitia specie, exhibeat voluntati, cujus proinde ex isto errore facta commotio consensus dici non potest, utpote qui scientiam tantquam sui fundamentum præsupponit. Quo pertinet illa Juratorum regula: *Errantis nulla voluntas est.* Adde *Diador. Siculum L. 2. c. 28. Griv. Grat. de Princ. Jur. N. c. 15. §. 10. & c. 4. §. 8. ibique Simon. Not. p. 69. Pufend. de J. N. & G. L. III. c. VI. §. 8. Hahn. ad Wesenbec. Tit. d. Dolo malo.* Sed an rei, ex tali contractu traditæ, dominium transibit? Verius est, non transire. Cum enim

enim traditur res, tacita subest conditio, ut traditio vim non habeat, nisi hæc vel illa circumstantia existat. Secundum Jus N. igitur rem traditam etiam a tertio possessore vindicare licebit. Transferretur autem ex eo tempore, quo remedio nullitatis renunciavit, & læsionis solummodo pensationem postulavit. Quod integrum ipsi est; cum habeat alterum sibi ex vero & perfecto consensu obligatum. Quod si autem fraus sit incidens, & pro objecto non nisi accidentale aliquid contractus habens, ita ut negotium contrahere decreverimus, circa objecti autem qualitates earumque affirmationem, e. g. circa rei valorem, decepti simus, negotium, utpote sponte contractum, non est irritum, sed is, qui impositum est, experiundi adversus alterum ad damnum, quod dolo passus est, resarciendum, licentiam habet. Dissolvere autem propterea contractum cum non posse, verius secundum principium J. N. est.

§. XXI. Dissentimus igitur a Pufend. qui c. l. existimat, si dolus fuerit incidens circa rem ipsam, ad qualitatem rei ad præsens negotium spectantem, hæc tunc pactum esse vitiosum, ut in arbitrio decepti sit, illud penitus dissolvere, aut læsionis pensationem exigere. Sane enim voluntatis consentientis actus non dependet ab ea conditione, si hoc vel illud accidat, hæc vel illa qualitas, hoc aut illo modo se habuerit, sed consensus quoad contractus essentialia absolutus est. Et quæ subest conditio, non nisi determinatam illam qualitatem respicit, intuitu cujus cum deficiat consensus, ipsa promissio omnino inanis



nis est. Verum cum propter hoc inutile totum contractum, quoad substantialia validum, rescindi; iniquum sit; hinc rectius dicitur, læsum damni non nisi pensationem exigere posse; quam cum obtinuit, nullam amplius conquerendi causam habet; Tum enim in eo statu res est, quem si ab initio fingamus fuisse, ipse negotium fuisset contracturus. Imo sæpenumero nihil accipiens restituere tenetur, quamvis promissio fundata sit in præsumptione certæ circumstantiæ, quæ postmodum aliter se habereprehenditur. Sed is, cui facta est promissio, si nihil adhuc acceperit, agere contra alterum, ad ei satisfaciendum, potest. Ut ecce! si quis metuens, ne in lite, quæ de ipsius domo mota est, succumbat, emat sibi aliam; non poterit a contractu ex hoc capite resilire, quod emptio ex parte ipsius se fundaverit in præsumptione facti non existentis. Cujus rei rationem ex Jure N. pereleganter reddit *Ziegl. Not. in Grot. l. 2. c. 11. §. 6. verb. Si promissio fundata sit in præsumptione quadam facti, cum sit: Volitio & nolitio, quæ re ipsa non fuit, sed fuisset, si hæc vel illa conditio posita fuisset, non ponit, nec tollit obligationem, sed posuisset, vel sustulisset, si conditio posita fuisset.* adde *Joh. a Felde Not. in Grot. c. l. verb. ad vitam.* Quod nisi ita esset, omnis commerciorum commoditas periret, cum pro lubitu pessimus quisque eorum tantam præsumptionem fingere posset. Unde liquet, quid sentiendum de Grotii opinione sit; cum existimat, nullam esse vim promissionis, quæ fundata sit in præsumptione alicujus facti, quod non ita se habeat.

habeat. Nimirum restringenda hæc sunt, ut non procedant, nisi vel dolus alterius præsumptioni causam dederit, vel ea conditionis instar expressa, & manifestata fuerit. Et hinc neque *Felden.* satis feliciter Grotianam sententiam correxisse videtur, cum *c. l.* rem his verbis expedire conatur: *Conventiones aut sunt de subeundo negotio, quod ad communem vitæ utilitatem facit, aut de adjiciendis legibus seu pactis, quibus negotium dirigitur. Conventiones de subeundis negotiis vel solo amicitia intuitu sunt, vel aliam ob causam; illa, si ex præsumptione facti inita sunt, possunt ab eo, qui aliquid dare promisit, rescindi, quia alteri, rescisso negotio, propter errorem inito, nullum damnum inferitur, aut leve; quod fortasse eam non coluisset cum donante amicitiam. At quando utraque pars in aliquo præstando occupatur, ob errorem rescindere contractum alter nequit, nisi alter dolo suo errori causam dederit; tunc enim conquiri non potest, quia erroris causa fuit. Quod si circa pacta, contractui adjecta, error quidam intervenierit, ex æquo & bono illa limitanda, restringenda, aut invalida reddenda sunt, salvo manente contractu.* Cur enim conventiones de subeundis negotiis, ad communem utilitatem tendentibus, solius amicitia, propter quam inita sunt, intuitu irritari debeant, causam nullam video. Et falsum hoc est præsuppositum, nullum alteri ex eo damnum enasci. Qui enim alterum habet ad aliquid sibi præstandum obligatum, rem ipsam quasi habere videtur; atque speratum ipsi & debitum

lucrum interciperetur. Quid vero, si tertius, adhibito dolo, ad contrahendum me cum tertio, doli istius ignaro, induxerit, an negotium subsistere dicemus? Nec video, cur secus pronuntiandum sit. Non enim is, quicum contrahimus, in culpa est, quod ab alio nobis est impositum; sed tamen, ne damnum ob eam fraudem incurrat, ad læsionis pensationem, & omne interesse, præstandum, adversus decipientem experiri poterit. Sed hæc ita, nisi scilicet cum deceptore is, quocum contraximus, colluserit; tum enim ex proprio suo delicto teneatur. Conf. *Pufend. d. 7. N. & G. L. III. c. VI. §. 8.*

§. XXII. Jure Civili circa hanc materiam determinationes quædam speciales habentur. Nam distinguit illud inter *contractus b. f. & stricti juris*. Illi propter dolum, ab adversario admissum, redduntur ipso jure nulli. Conf. *Brunnem. ad. L. 7. pr. ff. de Dol. mal. Gail. L. 2. O. 2. n. 6. item L. 16. §. 4. ff. de Minor. & L. 3. §. fin. ff. pro. soc. ex quibus LL. nonnulli elicere volunt, in solis contractibus consensualibus, Bachov. ad Instit. Disp. VI. tit. 16. seqq. vel potius solo contractu societatis, Felden. Notat. in Grot. L. II. c. XI. tit. 6. verb. Nam distingui solet, id procedere, ut ob dolum causam ipsam dantem sint invalidi. Sed ea ad Jus Civile pertinent, hic loci proinde non attingenda. Vid. interim *Dn. Schwend. ad Eck. L. IV. ff. T. 2. de Dolo. malo. §. 5. Struv. Exerc. IIX. §. 27. Donell. in §. 28. Inst. d. Act. n. 43. Simon ad Grat. L. II. c. XI. §. 6. verb. Irritos pronunciant scriptores.* Nobis, hæc pauca adduxisse, sufficiat ad demonstrandam*

dam facilitatem, dictata Juris Naturalis, juxta quæ hominum qua talium inter se officia metienda sunt, firmissimo nexu ex conditione humanæ naturæ eruendi. Eadem enim methodo reliqua quorūque præcepta investigari atque demonstrari queunt, quæ proponendi hic labore supersedentes, Numini Immortali præstiti nobis auxilii devotissimas grates persolvimus.

## DISSERTATIO III.

DE

# GENVINA LEGES NATURALES ET GENTIVM INVESTIGANDI METHODO.

### §. I.

**I**N existentia Legum Naturalium, earumque genio investigando, mirum est, quam in diversas vias Auctores distrahantur. Quas hic recensere omnes, quid attinet, aut quam longum est? *Puffendorfius* certe, *Decus & Gloria nostri seculi*, passim in *Tr. de J. N. & G.* item de *Off. H. & C.* & *Frid. Scand. c. IV. d. Proposit. Fundam. Leg. Nat.* invictis argumentis demonstrat, ad percipiendum recte atque evidenter, quæ Leges naturales sint, genium & naturam hominis respiciendam esse. Nam nec de Legum civilium profunda cognitione quisquam vere gloriari poterit, nisi reipublicæ, in qua

illæ vigent, statum accurate perscrutatus fuerit. Age igitur; excutiamus communem hominum conditionem, & an, quæve Leges ad eorum incolumitatem faciant, indagemus.

§. II. Primo, cum hominem respicimus, haud pauca in eoprehendimus, in quibus nihil ejus natura a natura brutorum discrepat. Et præcipua quidem convenientia in studio seipsum conservandi cernitur. Omnia enim animalia teneram sui curam gerunt, & se contra aggressores studiose defendunt, & pertinacissime quidem contra eos, qui vitam ipsis eripere audent, cum a nulla re magis animal, quam a sui destructione, abhorreat. Unde videmus, non solum homines, sed & ex brutis multa, etiam cum præsens mortis periculum devitarunt, tamen quodam velut odio adhuc prosequi aggressores, inque suam vindictam diuturno studio vigilare.

§. III. Quamvis autem homo brutis infinitis modis præstet, in aliquibus tamen etiam deteriori ipsis conditione est. Et primo quidem manifestum, majorem longe naturaliter hominis, quam bruti, imbecillitatem esse. Brutum, cum in lucem est editum, non ita multum temporis desiderat, ut carere alieno auxilio, sibi que proprio Marte de victu sufficiente prospicere queat. Quam vero id contra, quæso, in homine fecus est? Infantem respice, & mirare imbecillitatem humanam. Quam fragile & infirmum animal est? Ut trepidat inter nutricis manus, ut alienum auxilium implorat? Quam vero diuturna & sedula institutione  
opus,

opus, ut sibi præesse homo, & citra alienum subsidium necessarium sibi victum procurare queat? Recte apud *Homerum Ulysses*:

Nil homine infirmum tellus animalia nutrit,  
Inter cuncta magis.

Et profecto, nisi homo homini nascenti & tenero auxilium ferret, pauci infantes in justam ætatem adoleverunt; Sed fac, adolevisse quempiam, sed citra institutionem ullam, a brutis fortasse educatum; qualem eum futurum credimus? Elingve & fœdum animal, quod famem e terra propullulantibus herbis, & evellendis radicibus, sitim obvia quocunque humore levabit; quod in tegmen corporis, gramine, cortice aut foliis arborum utetur, quod antra & latibula quæret, & ad quemvis strepitum trepidabit, quod denique fame, siti, frigore, æstu, aut, si mavis, ferarum bestiarum dentibus peribit. Tam imbecillum ergo & miserum animal homo, sibi relictus, est. Et proinde, si a DEO O. M. recesserimus, omnem utilitatem, commoditatemque vitæ, hominum mutæ conjunctioni, & socialitati unice debemus; ut hinc optimo jure homo homini DEUS vulgato Proverbio dicatur.

§. IV. Præterea major longe ad nocendum in homine proclivitas, quam in quovis bruto, est. Rimare profundius ingenii humani pravitatem; & desines mirari. Duo præcipue sunt, quæ incessant bruta, atque ad noxam inferendam impellunt, venus & venter. Et veneris quidem stimulis non nisi certis temporum articulis agitantur,

tur, quæ etiam non ad libidinis satietatem domant, sed ut instinctui naturali de sobole sibi excitanda satisfaciant. Unde etiam communiter formicæ, cum conceperunt, non amplius admittunt mareæ. Fames cum bruta vellicat, necessarium sibi victum querunt, quem ubi invenerint, stomachique latratum utcumque domuerunt, ab injuriis inferendis fere abstinent, nisi irritaveris, aut priorsionem intuleris; tum enim, imperante naturali instinctu, ad sui defensionem armantur. Quam hæc in homine contra pejora multo? Voluptatum hic illecebris, stimulisque libidinis, perpetuo torquetur; frequentissimeque in sexum diversum, imo (horreo loqui) in eundem ruit, non tam, ut Cupiditate Sobolis procreandæ, quam libidinis explendæ, defungatur. Venter homo non ea solum, quæ necessaria sunt, & natura postulat, suppeditat, sed præter ea ciborum suavitate corpus suum dulciter & jucunde vult affici, & in eo titillantem quandam molliem excitari. Ad tegmen corporis nunc devenimus. Nulla vestium cura tanguntur bruta, non vana luxus ostentatione turgescunt. Pelle, pilis, vellere, penæis, squamis, fetis & his similibus, quæ natura suggestit, contenta, quieti placidæ indulgent. Ad hominem inde cum oculos convertimus; heu! bone DEUS! quanta hic vanitas? Quam insanis & anxia cura vestium, quæ hominem in miseriæ & nuditatis suæ memoriam deducere debebant? De Affectibus humanorum Pectorum quid dicam? Extra quos sepositum bratorum genua, quieto agit; Cum interius hominem

nunc

nunc gloriæ stimuli premunt, nunc anxia habendi cupido agitat; modo invidiæ acerbos stimulos fertit, modo æmulationis crematur igne, aut dolore, superstitione, futurorumque cura vexatur. Atqui ab his cupiditatibus, plerisque bellis & contentionibus inter homines origo. Accedit pessimum multorum Zoliorum calumniandi & cavillandi studium, quo etiam quandoque milites & Pacis amantes Animi, tanquam ad sui Defensionem & Vindictam excitantur. Paupertas denique, & eorum, quæ necessaria sunt, inopia, haud raro ad nocendum alteri stimulare humanam voluntatem solet. Quæ omnia satis aperta, & expeditæ veritatis sunt.

§. V. Neque vero sufficit sola lædendi voluntas, quam in homine esse, ex antecedentibus liquet, nisi ea viribus sufficientibus nitatur. Sed nec eas in homine deficere, per se satis constat. Uti enim quodvis brutum natura armavit, promiscide v. gr. Elephantes, cornibus, tauros, damas, cervos; Dentibus ac unguibus, ursos, leones, Pardos, tigrides; Idem dentibusve lupos, canes, apros, fures; Rostris & unguibus aduncis accipitres, Aquilas; Calcibus, mulos, camelos, equos; ita nec hominem inermem reliquit. Primo enim efficaci manuum auxilio eum instruit, quod quidem tam est validum, ut facillime eo ipsa vita cuiuspiam possit eripi. Deinde summa nocendi vis ipsi ingenio inest, cujus fraudibus & astu facile in alterius perniciem uti possit, & quo pelle leonina non licet, vulpina, uti vulgatum habet, perveniat.



at. Ex quo liquet, nocendi voluntatem sufficientibus viribus monitam in homine reperiri.

§. VI. Præterea deprehendimus in hominibus maximam, & admirandam proflus, ingeniorum varietatem, per quam iidem multum a brutis distant. Brutorum enim singula genera uniformis fere & consimilis appetitus ducit; ita, ut qui individi naturam & affectum exacte noverit, de generis totius cognitione gloriari possit. In hominibus id multo secus. Paucissimorum enim ad æmulum voluntates conspirant. Singuli fere diversum objectum sectantur, & in judiciis de rebus ferendis, ob appetituum varietatem, perpetuo a se invicem discedunt. Imo ex ipsis individuis nullum est, quod non dissimile sibi quandoque sit; cujusque voluntas non modo in hoc, modo in illud objectum præpendat, nunc in hanc, nunc in illam feratur partem. Quanta ergo confusio ex tali animorum dissensione oritur, nisi juxta certam normam homines suis actiones componere jussi essent, ut tam diversarum opinionum & infinita studia in unam concennum conspirarent? Pertinet huc etiam notabilis ista, & stupenda varietas, quam miro artificio in faciebus hominum natura expressit. Neque enim videtur eas ob alium finem tam diversimode figurasse, quam ne, cum homini alia adversus alios exequenda officia sint, ex similitudine omnimoda in errorem facile induci posset, & uni præstare, quod alteri deberetur.

§. VII. Ex conditione humanæ Naturæ, hætenus consideratæ, evidenter fluit, hominem sal-

vum

vum esse non posse, si secum solo habitet, neque societatem colat, h. e. non talem se præstet, ut appareat, eum bene erga omnes affectum esse, eorumque utilitatem, quantum potest, promovere, atque hoc modo his ansam præbeat, pari se. ratione erga ipsum gerendi. Præcepta illa, quæ docent modum, quo quis præstare se talem queat, seu quæ versantur circa actiones, in societate humana expediendas, audiunt *Leges Naturales*, ob nexum necessarium, quem cum natura humana habent, in oppositione ad *Leges positivas*, quæ necessariam relationem ad subjecti naturam non involvunt. Atque ex his, quæ hæctenus explicata sunt, haud obscure jam illud liquet, *Leges Naturales* omnes fluere ex hac Propositione affirmante: *Quicquid communis hominum conditio necessario infert.*, seu, quæ eodem recidit: *Quicquid habet necessarium cum societate nexum, id est præceptum Jure Natura;* & ex illa negante: *Quicquid est contra communem hominum conditionem, id est prohibendum Naturali Jure.* Quod, quamvis per se satis evidens sit; non tamen de ejus veritate dubitandi ullus relinquatur locus, eandem in seqq. firmissime stabiliemus.

§. XIX. Requisita propositionis fundamentalis J. N. duo sunt. vid. *Kulpis Coll. Grot. Proleg.* Primum est, ut ea universalissima s. generalissima sit, h. e. tam lato sit sensu, ut adæquate respondeat omnibus particularibus J. N. præceptis; & ob hujus requisiti defectum, rejicimus fundamentum *Seldensianum* de *septem Præceptis Noachicis*, cum ad ea non possint singula homi-

mi-

mens officia reduci. Alterum est, ut ejus veritas ex solo naturæ lumine innotescere, & evidenter quidem possit. Nam alias, si ea aliunde petenda sit, quam ex rationis dictamine, gentibus, quæ revelationis sanctitatem non agnoscunt, parum profutura J. N. disciplina esset. Et hæc ratio est, ob quam hypothesis de *Solæ Integritatis* in disciplina Juris Nat. gentibus universis usui futura, approbati non videatur posse. Duo autem illa requisita ad hypothesin hæc nostram apprimè quadrant. Nam nec ullum officium homini in hæc vita vi Juris N. exequendum incumbit, quod non ultimo resolvi in propositionem hæc generalem queat; & nihil videtur ex lumine N. manifestius, quam ejus veritas, utpote quæ firmissimum, ut vidimus, fundamentum in ipsa conditione naturæ humanæ habet. Cæterum per *Socialitatem* non intelligimus, ut male aliqui interpretati sunt, proclivitatem ad quamvis conjunctionem cum aliis, etiam illicitam, & communioni perniciosam, sed talem dispositionem, quæ quilibet homo erga quemlibet bene affectus est, ejusque commoda pro viribus promovere vult. Quæ voluntas tamen non debet esse *nuda*, s. *simplicis complacentiæ*, uti *Scholastici* loquuntur, sed efficax, quæ id, quod ipsi placeat, quamprimum perficere pro viribus annititur: Quamvis & illum affectum simul comprehensum velimus, quo quis singulari caritate, quam pietatem vocant, in patriam, benefactores, parentes & præcipue DEUM fertur. *Pro viribus*, inquam, s. *quantum in se*, uti *Resendius* loquitur; Cuius enim feci-

fecimus, quod facere nobis ex dictamine rectæ rationis incumberebat, utut fortasse alius vel nos, vel alium læserit, ea tamen socialitatis, adeoque J. N. violatio non nobis, sed ipsi, imputari debet. Nihil ergo præterea Lex N. requirit, si quis in obveniente casu, & datis circumstantiis tantum, quantum morali æstimatione poterat, præstiterit. *Richard. Cumberland. de Leg. Nat. t. 1. §. 4. seqq.* Et cum hac hypothese nonnullæ aliorum consentiunt; ita nihil fere discrepat ab ea, quæ *Stadium Pacis* fundamentum J. N. asserit, cum in genuino significato suo vox *pacis* nihil aliud, quam socialitatem, denotet. Præterea quoad rem non dissentit *Richard. Cumberland. d. LL. N. ubi Cap. I. §. 4.* pro fonte J. N. hanc propositionem ponit: *Benevolentia maxima singulorum agentium rationalium erga omnes statum constituit singulorum, omniumque benevolentium, quantum fieri ab ipsis potest, & felicissimum; Et ad statum eorum, quem possunt assequi felicissimum, necessario requiritur, ac proinde, commune bonum erit suprema Lex.* Quæ verba obscuriora, ita tamen *Autor* in sequentibus explicat, ut facile colligi possit, quoad rem nullam subesse differentiam. Fluit autem ex nostra hypothese primo illud: *Vitam contemplativam, nullam omnino Praxin pro scopo habentem, contra Naturam esse, Et eos, qui talem vitam sectantur, contumaces in recta rationis dictamen esse.* Deinde, utilitatem communem commodo individuali longe potioram esse; & hinc generose negligendam quandoque salutem propriam, si id bonum communionis

exigat. Conf. *Baco de Verulam. de Augment. scient. Lib. VII. c. 1.* ubi plura consuetaria eleganter & acute, ut solet, exhibet. Est ergo hypothesis hæc nostra fons, & veluti parens officiorum omnium, quæ homini exequenda incumbunt; ita, ut, quicquid recte sub propositione hæc generali subsumi potest, id pro dictamine rectæ rationis, s. Lege Naturali, sit agnoscendum; quicquid in contrarium nitatur *Hobbes Elem. d. Cive, Libertat. cap. 1. §. 11.* ubi ait, *hoc axioma, quanquam a plurimis receptum, falsum tamen, erroremque a nimis levè Natura humana contemplatione profectum esse; neque ideo congregari homines, quod aliter Natura fieri non possit, sed ex accidente.* At enim ex instituta modo humanæ naturæ consideratione evidenter liquet, hominem *socialem* esse. Falsum est, quod contendit, *si homo hominem amaret naturaliter, id est, ut hominem, nullam rationem reddere posse, quare unusquisque unumquemque non æque amaret, ut æque hominem; aut cur eos frequentaret potius, in quorum societate ipse potius, quam aliis, deferatur honor & utilitas.* Est enim is affectus, quo quivis homo in quemvis hominem, tanquam hominem, propendet, omnino naturaliter æqualis. Inæqualitas ergo omnis ex aliis rationibus nascitur, quæ tamen omnes ultimo in socialitatem resolvuntur; utpote quod alius alio majora commoda in socialitatem confert, & hinc majori etiam amore dignus; quod unus altero utilitatem meam ardentius promovet, atque eo ipso optiorem se ad colendam

dam socialitatem reddit; accidentalis autem est, & particularis vitiositas, quæ certis individuorum actibus quandoque adhæret.

§. IX. Ex dictis liquet, præcepta naturalia, quæ actiones in societate humana exequendas moderantur, manifestæ utilitatis esse, cum, non observatis iis, salvi esse non possimus. At enim, ut constet, ea vim Legum habere, origo eorum deducenda ab imperio superioris est, qui administrationem hominum actu suscepit. Quodsi enim soli utilitati inisterentur, variaz mutationi subjecta essent; si quis vel utilitatem negligeret, vel alius potioris, saltem apparenter, species animo ipsius obversaretur. Et sane, si consideremus homines, tanquam in statu naturali viventes, h. e. in quo alius alii, vel uterque tertio, subjectus non sit; & ponamus, coire nonnullos pactis, seque ad facienda, aut omittenda nonnulla, obstringere; posita hypothesi, dictatorum rectæ rationis fundamentum solam utilitatem esse, nullus paciscentium obligaretur, sed quivis pro lubitu a pacto recedere posset, cum propositio illa: *Fides data servanda est*; non haberet Legis vigorem, adeoque nec obligaret; cum omnis obligatio relationem ad superiorem dicat. Imo & nunc, in statu civitatis, subditus non esset obligatus ad agenda conformiter Legi a superiore præscriptæ; cum status civitatis & ordo inter imperantes & parentes, non nisi certis pactis nitatur, quæ obligatoria non sunt, nisi imperio superioris firmentur. Inde constat, ut appareat, propositiones illas, quæ per rectæ rationis dictamen

innotescens nos circa agenda vel omittenda dirigunt, Legum vigorem habere, ostendendum esse, eas proficisci a superiore intuitu omnium hominum, h. e. a summo rerum omnium molitore ac moderatore DEO. Quam demonstrationem ex lumine naturæ talem, duce *Rufandaxio*, conficimus.

§. X. Ante omnia præsupponendum est, DEUM hanc omnem universi pulchritudinem produxisse, eamque adhuc divina providentia sua gubernare, quod jam dudum sanæ mentis philosophi evicerunt, nec nisi deliri aliqui ardeliones inficiari audent. Jam ergo cum DEUS hoc universum, & proinde etiam hominem, creaverit; is autem in tali conditione sit positus, in qua sine aliorum consortio salvus esse non potest, ut supra vidimus, sed & præterea acceperit a DEO facultatem & vires, quæ aptitudinem ipsi ad vitam sociale[m] agendam tribuunt, ita, ut earum pleræque, sine hac sociali vita, inutiles fuissent futuræ; inde iuculento & infallibili nexu consequitur, DEUM, cum hominem salvum velit, voluisse etiam, ut socialiter viveret, adeoque simul cum imperio injunxisse, ut homo naturalibus ab ipso concessis viribus in id utatur, ut per eas ornat, quid ad socialitatem conducât, adeoque faciendum sit, h. e. DEUM homini præcepisse, ut secundum rectæ rationis dictata agat. Cum enim voluerit DEUS, ut homo sit salvus, de quo nemo dubitat, h. e. ut socialiter vivat, quod cum illo necessarium nexum habere, ostendimus, inde necessario

fario etiam obligasse censetur ad media, siue quibus intentus ab ipso finis obtineri non potuisset. Qui sane, nisi fallor, clarus est & distinctus, nexuque firmissimo cohaerens conceptus, quem, praeter *Pufendorfium*, accurate etiam persequitur *Ricbardus Cumberlandus* de LL. N. c. 11. Meminit etiam *Pufendorfus* duarum aliarum rationum, velut minus principalem, ex quibus de horum praecceptorum divina origine constare potest. Nimirum primo, quod cultus & metus Numinis in solo homine existat, qui vanus omnino esset, nisi DEUS nobis tacite insinuet, his suis Legibus convenienter ab homine se agi velle. Deinde quod homo secus, quam res etiam rationis dictamina jubent, operando sentiat gravissimos ictus, & morsus lacerantis conscientiae; tener enim hic sensus id ipsum certe indicat, dolendum esse homini, quod Legem superiorem sibi inexistentem laeserit, & contra tranquillitatem animi, ex memoria recte factorum oriunda, hominem quasi de actionum suarum cum Legge convenientia gaudere jubet. Praclare ad *Ciceronum Bruttium*: *Quid est melius, quam memoria recte factorum, & libertate contentum, negligere humana?* Conscius animus est, quem testem, quem laudatorem & praecorem bene gestarum rerum optatus quisque optat. Atque ex his, quae modo demonstrata sunt, illud etiam liquet, qua ratione promulgatio Juris. N. facta sit. Scilicet per hoc ipsum, quod DEUS homini sufficientes vires dedit, quibus mediantibus varias notiones a rerum natura petere, eas inter se comparare, ad finem;



socialitatem nimirum, referre, atque sic, mediante recte rationis dictamine, quid faciendum, adeoque honestum, quid omittendum, & hinc turpe sit, evidenter colligere possit. Cuiusque promulgatio hæc omnibus hominibus facta sit, inde constat, eos omnes etiam Jure N. obligari; quos propter Sacra Scriptura gentiles peccantes *ἀνομοῦτοι* & *ἀνόμιμοι* vocat, qui cordibus ipsorum inscriptis Legibus disconvenienter agant. Atque hinc errat in multis valde ineptus & impius *Hobbesius*, dum initium promulgationis Legum Naturalium, & consequenter etiam obligationis, restringit ad tempus revelationis eorundem in S. S. factæ. Neque enim ad vim obligandi Legis quicquam facit determinatus promulgandi modus; & nihil interest, siye ea a legislatore verbotenus, & scriptis, & alia, modo sufficienti, ratione manifestetur. - *Ais; Sufficiens modo Leges Naturales non patefactas; cum non quisque ea vi ingenii palleat, ut eas demonstrative per rectam rationem, ex natura rerum, & conditione hominis, eruere possit, & hinc non nisi acutiores & sapientiores eis obligari.* Verum hic probe observandum, vim obligativam Legum non præsupponere in subiecto recipiente apodicticam & demonstrativam earum cognitionem, ut quis earum cum statu & conditione subditorum nexum clare & distincte videat; sed sufficit, tenoris earum notitiam certam habere, quæ cum intuitu Legum Naturalium in omnibus hominibus datur, universalem etiam earum obligationem esse, consequitur.

§. XI. Evolvendus hic etiam sensus vulgatz locutionis, qua præcepta Juris N. dicuntur *natura nota*. Nimirum id non ita capiendum, quasi, ante usum rationis, in intellectu propositiones actuales de agendis l. omittendis existerent; ita, ut hominum, quamprimum nascuntur, mentes speciebus earum sibi velut impressis imbuantur. Sed ob duplicem potissimum rationem. Primo, quod homo, usum rationis ætate matura nactus, statim fiat habilis ad actus, cognoscendi eas, in se eliciendos mediante rationis lumine, quod cum a natura sit nobis inditum, inde ipsa dictamina rationis de iis, quæ agenda l. omittenda in societate humana sint, natura quasi cognita concipiuntur & appellantur. Altera ratio a *Pufendorffio* adducta est, quod Juris N. generalia & præcipua capita, ut: *Nemo lædendus; DEO cultus & reverentia exhibenda; Suum cuique tribuendum*, tam manifesta & clara sint, nostrisque mentibus tam alte impressa, quasi ab ipsa natura hausta, & nobiscum nata essent. Et quemadmodum quisque vernaculam linguam, quam, quo tempore addiscere coeperit, recorderi non potest, quasi existimat, sibi a natura datam; ita, cum vi didicativæ in intellectu facultatis homo, quamprimum se exercere lumen rationis incipit, sensum Leges Naturales eruat, inde adultus, cum meminisse illius temporis non possit, Naturæ Leges has attribuit. Sed jam ad divisionem officiorum hominis, qua talis, progredimur.

§. XII. Uti vero divisio rerum, & alias frequen-

quentissime secundum obsectorum diversitatem instituitur, ita idem in Juris N. disciplina obtinet. Officia, quæ Jus N. præscribit, l. exequenda nobis sunt erga *DEUM*, l. *proximum*, l. *nos ipsos*, quæ singula proinde singulas disciplinæ hujus partes occupant. Et quemadmodum totum Jus N. socialitate niti, evicimus; ita consequenter idem de singulis ejus partibus constat, sed ratione tamen diversa. Officia enim erga proximum directe ex socialitate profluunt, cætera autem non nisi indirecte. Cum enim socialitas nihil aliud dicat, quam cujuslibet erga quemlibet studium; inde etiam principaliter, immediate & directe respicit actionis cujuslibet erga quemlibet, quibus studium illud declaratur. Sensum autem rectum de Numine, ejusque idoneum cultum, non nisi eatenus inserit, quatenus is aptum &abilem hominem reddit ad officia erga proximum eo melius & promptius obeunda. Quippe deficiente sensu de Numine, ejusque providentia, non satis ad socialitatem habilis homo futurus esset; cum officia erga proximum exercenda, l. plane negaret, ab obligatione procedere, l. saltem eam impunitatis nomine contemneret, quod utrumque genio socialitatis repugnat. Officia autem hominis erga se ipsum, ab utrisque officiis, nimirum erga *DEUM* & proximum, inferuntur. Ita enim, nisi quis caste vivat, nisi vitam tueatur, nisi animum, quantum potest, virtutibus atque scientiis excolat, neque cultu, Creatori debito, recte defungi, neque determinibus rectæ rationis, actiones ipsius erga proximum

ximam diligentibus, convenienter agere, ut patet, potest.

§. XIII. Ex iis, quæ hæcenus dicta sunt, colligere licet, quid sentiendum de variis definitionibus J. N. sit, quæ tradi ab *Autoribus* solent. Ita in *pr. I. d. J. N. G. & C.* describitur, quod sit *id, quod natura omnia animalia docuit.* Nam si sermo de proprio sic dicto J. N. sit, falsum id est. Nec obstat, quod hominibus multi actus, ibi commemorati, cum brutis communes sint, ut scolis præcreatio, atque educatio; nam ab actuura communiōne, ad communionem Juris, non est legitima consequentia; nec nisi quoad solam materiale actus illi communes sunt; quoad formale autem, aliter se in hominibus, aliter in brutis, habent. In illis quippe directioni intellectus, & arbitrio voluntatis subjacent; quod in brutis secus est, ubi non nisi a mero quodam naturali instinctu, a DEO ipsis ad sui conservationem præcipue, & speciei propagationem, indito, procedant, adeoque nullo Jure reguntur. Atque hinc etiam apparet, quid sentiendum de vulgari illa descriptione sit, quæ dicitur: *Jus N. nihil aliud esse, quam naturalem quendam instinctum, & rationem, non dativam, sed nativam, svadentem honesta, & dissuadentem contraria.* Jus enim s. Lex, & naturalis instinctus, qui etiam in brutis inventur, longissime distant. Barbari autem illi termini, *dativi & nativi*, valde obscuri sunt, & falsitatem involvere videntur. Nam nec nascenti homini statim actuales propositiones, de agendis vel omittendis, ut supra dictum, insunt; &, quæ

industria humana, mediante rectæ rationis dictamine, ex rerum natura, & hominis conditione, ab eo eruntur, Jus Naturæ proprie constituunt. Illud autem absurdum, quod asseritur, *Jus N. svadere honesta & dissvadere contraria*; Tum quod J. N. objectum non sunt honesta, utpote propter Legem talia; tum quod contra naturam J. N. imo generaliter omnis Juris est, *svadere & dissvadere*. Proprium enim Legis & essentielle attributum est, precipere & vetare, sub sanctione, non svadere vel dissvadere, utpote quod verum consilium, & consequenter nullam obligationem infert, cum ad obediendum consilio, ab alio suppeditato, nemo obstringatur. *Grot. L. 1. c. 1, §. 10.* ita definit: *Jus naturale est dictamen rectæ rationis, indicans ætæ alicui, ex ejus convenientia aut disconvenientia cum ipsa natura rationali, inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem, ac consequenter ab auctore natura Deo talem actum aut vetari, aut precipi.* In qua nonnulli id desiderant, quod hic omiserit *Grotius* fundamentum convenientiæ & disconvenientiæ, cum natura rationali, nimirum socialem hominis naturam. Sed non erat necesse, ut formaliter & explicitè id *Grotius* exprimeret; cum natura rationalis per se inferat aptitudinem ad socialitatem, cum ratio sine ea concipi non possit. Accedit, quod, ut recte notavit *Baclevius*, cum in prolegomenis, tum in §. 12. evidentius mentem suam proponit; & loco quidem postremo hæc habet: *Si ostendatur rei alicujus convenientia & disconvenientia necessaria cum natura rationali &*

si & sociali. Majori jure reprehendere licet, quod in hac definitione *Grotius* cepset, moralom turpitudinem, aut necessitatem moralem, inesse nonnullis actibus, etiam abstrahendo a præceptione, & prohibitione divina, quod fieri non posse, supra luculenter demonstravimus. Quæ falsa hypothesis etiam nituntur, quæ habet *Ludovicus Malin.* Tom. I. de *Justit. & Jur.* Diss. 3. m. 2. cum ait: obligationem Juris N. oriri a natura objecti, & sese diffundere in præceptum; e contrario obligationem Juris positivum oriri a præcepto, & sese diffundere in objectum. Obligatio enim omnis a superiori est, quatenus is aliquid fieri, aut non fieri præcipit, aut vetat, adeoque relationem ad Legem dicit, & hinc non minus a Jure N. quam positivo, in objectum se diffundit. *Richard. Cumberland. d. LL. N. cap. V. sect. 2.* Jus N. describit, quod sit præcipitio naturaliter cognita, actiones indicans, affectus communis boni, quæ præstas præmia, neglectæ a pena naturaliter sequuntur. In quibus nihil est, quod jure reprehendi queat. Nam & per se naturaliter cognitum nihil aliud intelligit, quam quod ex dictamine rectæ rationis constat; & de cætero tota definitio nititur ejus hypothese de omnium rationalium in omnes benevolentia, & ut ipse se explicat, de communi bono, pro suprema lege, habendo; quæ a *Pufendoriana* nihil differt. Sed nec est, quod jure corrigas in *Hobbesiana*, si eam prout verba jacent, accipias; ita enim describit *Elem. de Cive, cap. II. §. 1. in fin.* Quod sit dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda vel omittenda

*hae sunt, ad vita membrorumque conservationem, quantum fieri potest, diuturnam. At enim, ubi ipse passim clarius mentem declarat, gravissime haud raro impingit.*

§. XIV. Praeterea notandum, quod quaedam dicantur a Jctis *reductive* Juris N. esse, quae scilicet nullo praecipito vetantur; sic enim ob deficientem prohibitionem ad J. N. reducuntur. Ita *liberitas* dicitur J. N. esse, non, quod Lex naturalis ulla, circa eam disponens, adsit, sed, quod desit ejus prohibitio. *Conf. Groc. lib. 1. c. 1. §. 10.* Et huc pertinent etiam ea, quae ratio honesta, aut oppositis meliora esse judicat, non debita, ut idem *c. 7.* loquitur; seu ea, quae alias non quidem dicuntur Juris N. esse, sed tamen rationem naturalem involvere. Quae duo haud raro a Jctis confundi vides, cum diversissima tamen sint. Juris N. enim non nisi illud esse proprio dici potest, quod necessarium & evidentem nexum cum socialitate habens, eo vel expresse praecipitur, vel prohibetur. Rationem autem naturalem in stricto sensu ea dicuntur involvere, quae in se indifferentia sunt; & J. N. neque praecipita, neque prohibita; quia tamen, utut non praecise necessarium, saltem tamen utilitate manifesta nitentem, nexum cum socialitate habent; inde ex ratione naturali saltem illa commendari solent, quod facienda ea sint, quae ad conservationem socialitatis faciunt. Ut ideo ea Jure N. sint vel praecipita, vel prohibita, quae societati humanae vel necessario conveniant, h. e. per quae socialitas positive conservatur; ita, ut illis *secus* habentibus, ea salva esse non possit; vel necesse-

cessario disconveniunt, h. e. per quæ socialitas nec-  
 cessario labefactatur, aut destruitur, ita, ut illa stanti-  
 bus, illa salva perennare nequeat. Quæ vero præ-  
 terea sine tali necessario respectu ad socialitatem, ei  
 tamen probabiliter commodum aliquod, vel de-  
 mum afferre, apta sunt; illa rationis naturalis, sive  
 J. N. non directe, verum reductivæ sunt. Unde li-  
 quet, quid respondendum ad quæstiones illas JCo-  
 rum sit: *An emtio venditio, locatio conductio,  
 testamenti factio, usucapio &c. Juris N. sint?* Nam  
 ad Jus N. proprie & stricte tale, ob deficientem nec-  
 cessarium cum socialitate nexum, referri non pos-  
 sunt; quamvis enim non liceret patrifamilias de suis  
 bonis pro arbitrio testari, nec emere, vendere, loca-  
 re, conducere, rei, per diuturnum tempus possidere,  
 dominium acquirere, per hoc ipsum tamen non ne-  
 cessario destrueretur humana societas. Interim  
 cum evidentem hæc negotia socialitati utilitatem af-  
 ferant; inde dicuntur fundamentum in J. N. habere,  
 sive ex generalibus rationibus naturalibus defen-  
 di; Utut sub nulla regula vel axioma Juris N. prop-  
 rie dici possint comprehensa esse; secus atque vult  
*Ziegler. ad Grot. Lib. II. cap. 3. §. 22.* Reductive  
 quoque ad Jus N. pertinent, uti recte notat *Pufen-  
 dorfius d. J. N. & G. L. II. c. III. §. 22.* facta he-  
 roica, sive actus virtutum excellentiores, & commu-  
 nem modum supergressi, ut misericordiz, liberali-  
 tatis, item, cum quis juri suo aliquid decedere præ-  
 ter necessitatem patitur. Quamvis enim tales præco-  
 pti J. N. non sint, ejus tamen rationibus defensionem  
 sibi polliceri queunt ob utilitatem insignem, quam  
 socia-



socialitati afferunt. Præterea hic expedienda quaestio, cuius valde frequens est, & fertur in vulgus nota ventilatio: *An Jus N. & Jus Gentium differant? Sive: An detur Lex, gentes obligans, & Juri N. contradiſtincta?* Et negare videtur *Aristoteles, Carneades, & veterum alii*, qui, omiſſa mentione Juris Gentium, Jus in *naturale & legitimam*, ſive civile diſſerunt; quos ſequitur cum aliis *Hobbeſius Elem. de Civo XIV. §.* ornament legem humanam civilem uſque, contendens. *Nam extra civitates, inquit, ſtatuum hominum hoſtilis eſt, in quo quia alter alteri non ſubjicitur; Leges præter diſtamina rationis naturalis, quæ Lex divina eſt, nullæ ſunt. In civitate vero ſola civitas, h. e. homo, vel curia, cui ſummam civitatis imperium committitur, legiſlator eſt; civitates autem leges civiles ſunt.* Etiam §. 4. ubi de diſſiſione legis tractat, hæc habet *Rarſus naturalis dividi poteſt in naturalem hominum, quæ ſola obtinuit dici Lex natura, & naturalem civitatum, vulgo autem Jus Gentium appellatur. Præcepta utriusque eadem ſunt, ſed, quia civitates ſemel inſtituæ induunt proprietates hominum perſonales, Lex, quam loquentes de hominum ſingularum officio, naturalem dicimus, applicat a reſ civitatibus, nationibus ſ. gentibus vocatur Jus Gentium.* Sed enim conſultere hæc non poſſe nobis videntur. Primo enim, quod ait, extra civitates ſtatuum hominum hoſtilem eſſe, id ad falſam ejuſmodi alibi proſſigatam, hypotheſin pertinet. Deinde falſum, in tali ſtatu naturali nullas Leges, præter diſtamina reſte rationis, eſſe poſſe. Quid enim,

si svadente utilitate omnes vel saltem maxima pars consentaint in certas actiones per se indifferentes & arbitrarias faciendas, & alias contra J. N. permissas omittendas? Quod & factum est. Nam civitates & respublicæ hodie ad alias relatæ vivunt in statu naturali; neutra enim alteri, nec utraque alicui tertio in his terris, quod præsupponitur, subest. Atqui hæ civitates seu gentes, quod infra luculentius apparebit, consenserunt tacite in quasdam actiones, conducentes quidem plurimum ad socialitatis conservationem, sed quæ necessarium tamen & absolutum cum ea nexum non habent, & inde neque ex dictamine rectæ rationis, tanquam necessario faciendæ, profluunt. Inde etiam apparet, quo sensu verum sit, quod ait, *in civitate solam civitatem, hoc est, hominem vel curiam, cui summum civitatis imperium committitur, legulatorem esse*; nimirum quatenus is, qui Majestate gaudet, refertur ad subditos suos; non autem si referatur ad Majestates alias, utpote cum quibus in statu naturali vivit, & intuitu quarum collective sumtarum ipse est inferior. Falsum proinde etiam est, quod Lex N. ad civitates applicata dicatur Jus Gentium, nisi hoc nomine quidem insignire velis Jus Naturæ, ob generalitatem observantia, quia inter omnes gentes observatur; quo sensu etiam ita dici videtur in Jure Civili, §. II. I. de R. D. & §. 41. I. eod. Sententiæ tamen huic etiam subscribit ipse *Pufendorfius*, de J. N. & G. Lib. II. c. 3. §. 23. *Nec præterea, existimat, aliud Jus Gentium (præter naturale) volun-*

lari

*varium s. positivum dari, quod quidem Legis proprie dicta vim habeat, qua gentes, tanquam a superiore profecta stringat; Pleraque autem, paucis interjectis pergit, que apud Jctos Romanos aliosque ad Jus Gentium referuntur, puta circummodos acquirendi contractus & alia, vel ad Jus N. pertinent, vel ad Jus G. singularium gentium, quod istis in rebus, que alias universali, & ad totum genus humanum pertinente ratione, non nituntur, apud complures conspirat. Ex quibus tamen peculiaris species Juris non recte constituitur; quippe cum ista Jura gentibus inter se sint communia, non ex aliqua conventionione & obligatione mutua; sed ex placito peculiari legislatorum in singulis civitatibus per accidens conspirant. Unde & eadem ab uno populo inconsultis aliis mutari possunt, ac saepenumero mutata deprehenduntur. Quae omnia iisdem plane verbis edisserit Elem. Jurispr. Univ. L. 1. §. 24. add. §. 25. 26. Sed enim dum ait, pleraque, ipse negat, omnia ad alterutrum Jus referri posse. Nec fieri aliter potest, ob manifestam J. N. & G. differentiam, cum ratione cause efficientis, tum objecti, & adjuncti. Causa efficiens J. N. immediata DEUS est; Juris autem G. consensus Gentium; non quasi in unum convenissent, taleque jus constituissent; sed quod per dictamen rectae rationis, in hoc humanae sortis statu, animadverterunt, actiones quasdam, utut absolute non sint ad socialitatem necessariae, habere tamen evidentem, & apud omnes confessam, utilitatis rationem in ordine ad eandem, & hinc ab  
 omni-*

omnibus faciendas esse. . Ais: Sed hic consensus non habet vim obligandi, cum par in parem non habeat imperium; Sed enim, qui sibi invicem æquales sunt, non possunt sibi Legem ponere, quatenus spectantur, ut singuli, secus autem est, si collective, sive ut universi, spectentur, sic enim singulos obligare, tanquam eo intuitu inferiores, omnino possunt; quod & in Politia & Democratia contingit; ubi iidem sibi omnes æquales sunt, ut singuli, & hinc, quatenus tales, alter alteri Legem præscribere non potest; sed, si omnia universitatis membra conjunctim sumantur, jam superiorem intuitu singulorum membrorum constituunt, qui proinde singulis membris cum effectu tanquam pro imperio injungere obligationem potest. Eadem fere obligandi ratio in Jure Gentium occurrit. Gentes enim universim & collective acceptæ pro imperio gentibus singulis, tanquam eo intuitu inferioribus, Legem sancire queunt. Nec efficeret quicquam, si fortasse gens quæpiam negaret, se in certos actus cum cæteris gentibus consensisse; obligaretur enim nihilominus; cum, re ad votorum quasi pluralitatem redacta, pauci dissentientes pro consentientibus habeantur. Consensus igitur talis gentium vim Legis intuitu singularum habet. Quo pertinet, quod dicitur in §. 1. I. de J. N. G. & C. *Usu exigente & humanis necessitatibus gentes Jura quadam sibi constituisse.* Nam, ut recte monet Henniges, hoc ita intelligendum, quod a posteriori gentes consensum suum adhibere coactæ fuerint, idque fecisse

G

præ-

præsumi debeant. Confer. *Struv. Synt. Jurispr. tit. de Just. & Jur. tit. 54. sqq.* Quamquam, recte monente *Feldenio ad Grot. L. II. c. 2. §. 18. & 19.* *Juris Romanis Jus G. dicatur, facultas ad actus & negotia peregrinis competens, quemadmodum Jus civile proprium est civium, peregrino excepto. Inter est enim, pergit, Reip. ne omnes promiscue ad omnia admittantur negotia, omnesque actus. Hinc a testamentis, matrimonio & tutela arcebantur peregrini; Juris Gentium autem omnes contractus Romani fuerunt, &c.* Hoc autem improprie Jus Gentium est, cum Juris vocabulum non pro Lege, sed in alio significato plane accipiatur. Differunt præterea *Objecto*: Jus N. versatur circa actus, cum socialitate necessario nexu coherentes; Jus autem Gentium occupatur in moderandis illis actionibus, quæ non necessariam convenientiam, vel disconvenientiam in ordine ad hominis conditionem & socialitatem dicunt, sed utilitatem ejus solummodo insigniter promovent, ita, ut iis absentibus, salva quidem ea stare, sed non de tam felici statu gloriari posset. Quamvis enim Jus N. præcipiat, ut quisque, quantum potest, commodum socialitatis promotum eat; præceptum tamen hoc vim Legis proprie sic dictæ exerit, nonnisi quoad eas actiones, quæ si ab omnibus hominibus omitterentur, salva esse socialitas non posset. Unde etiam tertia differentia satis manifesta fit, intuitu *Adjuncti*, quod nimirum Jus N. est immutabile, propter objectum necessarium;

rium; Jus autem Gentium, uti libero Gentium consensu, efflagitante conditione humana, circa res arbitrarias est constitutum, ita mutationem pro arbitrio earum recipit. Ita, ut ad exempla deveniamus, Inviolabilitas Legatorum, ab hostibus ad Hostes missorum, ad hoc Gentium Jus pertinet. Nam nec ad Jus civile referri potest, cum non unam solum alterave gentem, sed omnes obliget, nec ad Jus N. cum inviolabilitas hæc non involvat absolute necessarium cum socialitate nexum, quasi ea non stante, illa consistere non posset. Concipiamus enim, hostes ab hostibus missos Legatos lædere, & tanquam hostes tractare; propterea sane haud necessario humana societas periret. Introducta ergo ea est a Gentibus, non nisi eum in finem, ut eo commodius & celerius componi lites possent; non autem ex simplici necessitate. Liceret enim & aliis modis inter pugnantes partes controversiam finire; dum nimirum vel arbitrium permitteretur tertio, vel tamdiu continuaretur bellum, donec altera pars, attritis viribus, inter ipsa arma adigeretur ad pacem. Unde non omnino congrua mihi videntur, quæ Pufendorfius c. 1. de Jure Legationum hunc ita modum edisserit: *Arbitramur, ipso Jure N. Legatos esse inviolabiles, etiam apud hostem, siquidem speciem Legatorum, non speculatorum præferant; quamdiu in eum, ad quem mittuntur, hostilia non moliantur; etsi fors ordinario modo per tractatus Domini sui commodum præ alteri-*

*ius commodo querent. Cum enim ejusmodi perso-  
na sint necessaria ad pacem conciliandam, con-  
servandam, aut arctius per fœdera aut pacta ad-  
stringendam, quam ipsum Jus N. omnibus modis  
honestis amplecti jubet; utique & cavisse cenfer-  
tur idem Jus securisati personarum, sine quibus  
finis ab eodem præceptus obtineri nequit. Ostem-  
dimus enim ante, necessitatem talem absolutam,  
in qua se fundat Pufendorfius, hic non dari, non  
deficientibus aliis, utut non tam idoneis, medijs  
sanciendæ pacis. Quod ait, Jus N. jubere pacem  
omnibus modis amplecti; verum non videtur,  
nisi ita intelligatur, Jus N. præcipere pacem, (bel-  
lum enim directe ad destructionem socialitatis fa-  
cit,) sed modum ejus conciliandæ indefinitum &  
indeterminatum relinquere, ita, ut integrum sit,  
eam modo quocunque inire, sive per Legatos u-  
trinque missos, sive, si id non satis tutum, per ar-  
bitrium tertio permissum, sive modis aliis, adeo-  
que Jus N. circa nullum horum modorum præce-  
ptive versatur; ex quo tamen non sequitur, omnes  
hos modos lubricos & incertos esse, cum in uno  
alterove medio nulla læsio licita intervenire pos-  
sit, non quidem ex præcepto J. N. de querenda pe-  
ce, sed ex alio fortassis capite J. N. ut si Legati ad  
tertium, partes litigantes reconciliaturum, militan-  
tur; hi enim inviolabiles erunt, non propterea,  
quod de Pacis negotio tractant, sed ex generali  
regula, quod nemo sine justa causa lædendus sit.  
Atque hinc falsum etiam est, quod idem  
ait,*

ait, sine hoc medio finem a Jure N. præceptum ob-  
 tineri non posse; contrarium enim ex dictis abunde  
 apparet. Quocirca separanda ea probe a se  
 invicem sunt, quæ proprie J. N. sunt, h. e. ob ne-  
 cessarium cum socialitate nexum eo vel præcipi-  
 untur, vel prohibentur, & quæ ad illud Jus redu-  
 ctive solummodo pertinent, h. e. emolumentum,  
 quamvis non præcise necessarium, socialitati afferunt;  
 sed tamen gentium unanimiti consensu tanquam pro  
 imperio fieri postulantur, quo pertinent *usucapio*;  
*testamenti factio*, *emptio venditio*, & plerique  
 contractus alii, & denique ea, quæ non necessitate,  
 sed utilitate sola, nitentem nexum cum socia-  
 litate habentia gentes tamen a se invicem, tanquam  
 ex Lege debita, requirunt, ad quæ inviolabilitas  
 hæc Legatorum pertinet. Recte etiam *Grotius*  
 ad Jus Gentium refert *jus sepultura*; dubium e-  
 nim non est, quin, si una gens promiscue omni-  
 bus alterius gentis membris sepulturam deneget,  
 bello, tanquam violato Gentium Jure, vindicari  
 queat. Non igitur sat commode hoc Jus *Pufend.*  
 inter humanitatis officia reponit, cum ad ea non  
 trahatur ex Lumine N. nisi imperfecta & minus  
 plena obligatio, quæ non foret sufficiens ad jus  
 hoc bello licito persequendum. *Bæclerus ad Grot.*  
*2: l.* itidem pro negativa multa argumenta affert,  
 quibus singulis quid insit virium, examinasse ju-  
 vat. Et primo quidem ait, *Jctorum* sententiam  
 non obstare iis, qui *διχοτομία* Juris in *Naturale*  
 & *Legitimum* sive Civile propugnant. Quippe eos  
 intelligere per Jus Gentium primævum nihil aliud,



quam Jus Naturæ; per secundarium autem, non tam inventionem & autoritate gentium inductum, quam usum, quem cæteris gentibus cum Romano populo communem esse voluerit Romanus Legislator, adeoque id accurate loquendo nihil aliud, quam Jus Civile esse. Ubi id ei largimur, Jus Gentium primævum *Jctis Romanis* revera nihil aliud, quam Jus N. esse. At enim vero non satis consentaneum id, iis, secundarium nihil aliud notare, quam quod Romanus Legislator cum aliis commune populo Romano esse, voluit. Ut enim non raro *Jus Gentium* ab ipsis accipiatur pro facultate seu jure, peregrinis etiam a Legislatore concessio; hic tamen peculiaris significatus est, adeoque pro communi significatione Juris Gentium non adducendus erat. Regulariter enim utique apud *Jctos Romanos* notat Jus, quod per usum a Gentibus circa arbitraria constitutum est. *Raphel. Dissert. de Jur. Gent. lib. 4. seq.* Ut adeo omnino *Jctorum* hic Consensus deficere videatur. Accedit deinde ad examinandam Juris Gentium definitionem, & negat, definiri posse, quod sit id, quod omnium gentium morationum voluntate in Legem ivit, cum sic quoad rem cum Jure N. coincideret. Nam & sic a posteriore, ipso Grotio fatente, investigari Jus N. Recte vero sibi ipse excipit, de voluntaria confessione gentium hic sermonem esse, non de dictato rectæ rationis & imperio Divini Numinis, necessitatem inducente. Quod quidem demonstrare, difficile ipse existimat. *Vel enim*

*enim res est talis, inquit, ut omnino eam natura & ratio jubeat, vetetque. Ubi non recte voluntarium istud, quo a naturali Divino Jure ante distinguebatur, adhibebitur: vel non versatur Jure omnium gentium moratorum voluntas, Quare mox substituit Grotius vocem, multarum. Nova difficultas. Querendum est enim: An illa multe gentes pactioe aliqua induxerint, atque sibi commune fecerint tale Jus, an vero per imitationem ab una Gente ad aliam, atque ita tandem ad multas Jus istud pervenerit? Posterior modus, qui solus idoneus est ad faciendum Jus Gentium, a gentibus scilicet constitutum, quam sit demonstratu arduus, idoneis locis attingetur. Aperta certe pactio vix apparebit, igitur ad tacitam confugiendum erit. Neutrum enim ex iis, quæ quærit, asserimus. Nam nec ab expresso, nec tacito pacto, hoc Jus descendit, neque etiam per imitationem ab una gente ad aliam pervenit, sed per hoc ipsum constitutum est, quod pleræque gentes ex ratione certas actiones, quamvis non necessarias, utiles tamen socialitati esse, & proinde faciendas, judicarunt. Ex hoc unanimi enim plerarumque Gentium consensu Jus natum de iis præcise ob commune omnium interesse faciendis, quod Jus proinde propter manifestam utilitatem, ex earundem Gentium interpretatione sive expressa, sive tacita, cæteras quoque Gentes ad easdem actiones exequendas obligare aptum est. Et hinc illud apparet, falsum esse, quod ait, solam pa-*

tionem idoneum modum esse, ad Jus Gentium proprie sic dictum faciendum. Ipse enim, ut diximus, usus plerarumque gentium circa res insignem utilitatem societati allaturas, ex eorum praesumpta intentione, Legem inducit, quae & alias gentes obstringere possit. Atque hinc etiam testimonium *Vasquii* a *Grotio* adductum, sat opportunum, secus atque ibidem *Baëlerus* contendit, si quis modo verba probe ponderaverit. Nam ait: *Ea omnia, quae sunt Juris Gentium, prius fuisse Juris tantum Civilis, sed paulatim serpsisse, aut velociter transvolasse ad reliquas gentes & regiones, sicque cum primum ab una vel altera homine vel regione inventum quid fuisset & receptum, tunc Juris tantum Civilis, non etiam Juris Gentium id esse. Verum postquam eo Jure omnes omnino aut pleraque aliarum gentium uti quoque cepissent, jam Juris Gentium effectum videri, inque Jus Gentium conversum & transformatum. Quemadmodum & ex diverso, si id, quod hodie Juris Gentium est, in desuetudinem abire forte cepisset, ita, ut penes unam tantum provinciam maneret, sine dubio Juris Gentium esse, desineret, & jam Juris tantum Civilis esse diceretur, h. e. illius civitatis vel regionis, penes quem adhuc id Jus perduraret. Sed enim probabile, in plerisque his, quae sub Juris Gentium objectum cadunt, ita factum, ut primo ob utilitatem suam, ab una altera gente, postremum autem ab aliis etiam, eandem utilitatem observantibus, reciperentur, quae ipsa unus;*

nimis

rimis receptio ex ratione ob evidentem utilitatem a gentibus facta, vim Juris postmodum ex presumta voluntate accepit. Sed si tamen eadem gentes contrariis voluntate sensim apud se in desuetudinem abire paterentur, tum haud dubie, si apud unam solum alteramve gentem perduraret, non nisi Jus Civile dici mereretur. Pergit ulterius *Bæclerus*, & inquit, an dici possit Jus Gentium illud esse, quod respiciat utilitatem non tantum singulorum, sed magnæ illius universitatis, adeoque generis humani; & *Archimedeo* artificio opus esse putat, quo evincatur & discernatur Gentiumne Juris potius, an Naturali tribuenda sit, quæ ad eum modum describuntur. *Cicero* enim & doctissimæ quisque veterum Juris N. id officium asserunt. Id enim & sociale est, & societati ac communitati humani generis continenda divinitus destinatum factumque. Non sane herculeo labore opus, ad discernendum a Jure N. Jus illud, quod magnæ illius universitatis respicit utilitatem; quamvis enim & Jus Naturale hunc finem intendat, ex tamen notabilis intercedit differentia, quod utilitas a Jure N. intenta necessarium nexum cum socialitate habeat; illa autem, quam Jus Gentium respicit, non dicat necessarium respectum ad socialitatem, ut aptum sit, quo intuitu manifeste a se invicem utriusque Juris objecta discrepant. Stabilita ergo jam existentia J. G. proximum est, ut ejus præcipuas divisiones videamus, & primo quidem communissime dividi a *Jctis Rom*

manis solet in *primævum*, quod convenit cum Jure Nat. & *secundarium*, quod proprie sic dictum Jus Gentium est. Quæ divisio, si verum fateri libet, merum est Doctorum figmentum, solido fundamento destitutum. Occasionem autem confingendi dedisse ipsis videntur textus nonnulli J. C., in quibus quæ J. N. sunt, J. G. attribuantur. v. §. 11. I. d. R. D. & §. 41. I. eod. Verum textus illi non intendunt Jus tale G., quale memorant primævum, sed de ipso Jure N. loquuntur, quod ab effectu, universalitate nimirum observantia, *Jus Gentium* audit, quod inter omnes gentes observatur. Et hoc respectu etiam a Cicerone Jus Gentium pro Jure N. sumitur Lib. III. Offic. c. 15. Itaque majores aliud *Jus Gentium*, aliud *Jus Civile* esse voluerant, quod civile, non idem continuo gentium, quod autem gentium, idem civile esse debet. De quorum verborum sensu alias inter eruditos non satis convenit, sed eruit eundem non male *Bœclerus* c. 1., atque hunc esse tradit: *Eam semper de Jure fuisse sententiam, ut aliud haberetur naturale, φυσικόν, (quod hic Jus Gentium, ut & alibi dicitur) aliud civile, νομικόν. Inter quæ discrimen manifestum, & pro discrimine ordo auctoritatesque. Quod enim Jus civile sit, illud non statim pro Jure naturali habendum, sive auctoritate Juris N. donandum esse, quippe civili legiflatione multa constitui, quæ nec in se, nec semper justæ haberentur, sed ex re nata sapienter mutarentur. Quid autem sit Juris Gentium, sive naturalis*

ruralis, illud apud omnes civitates eandem & immutabilem auctoritatem obtinere, eoque nomine vim & potestatem Juris civilis habere, sive Civile quodammodo & esse, & dici posse. Omnes enim gentes, omnes civitates obligat, & exemplanatur. & veritatis optima exhibet, unde Jus Civile, seorsim sic appellatum, propius, accuratius, securius derivatur adeo, ut, si nullum Jus Civile, seu legitimum esset, Jus istud Natura tamen civitates gentesque obligaret, & Civile potestatem non esset. Cæterum meliores J. G. divisiones sequentes sunt. Nimirum 1. dispesci solet in *universale* & *particulare*. Illud dicitur, quod apud omnes gentes servatur, ut Jus Legationum. Hoc autem appellatur, quod quasdam solum gentes obligat, ut, quod in bello inter Christianas gentes receptum, ne armis venenatis utantur; quæ diversitas ex tacita voluntate, & præsumpta intentione gentium judicanda est. 2. In *antiquum*, quod olim obtinuit; & *recentius*, quod hodie inter gentes servatur. Ad illud pertinet *Jus servitutis*; hæc enim abolita inter nos est, cum non nisi nuda detentio in bello relicta sit, nisi quod Jus servitutis hoc etiamnum adversus *Turcas* Jure talionis exerceamus. 3. In *Internum*, secundum quod instituta actiones impunitatem & in conscientia, & apud gentes, habent; & *Externum*, quod apud gentes quidem, non autem in conscientia, absolvit. Ita si, capta urbe, promiscue masculi, feminae, pueri, infantes occidantur, id licitum apud gentes in foro humano est; cum non

non sit data de parcendo fides; sed æquitas tamen videtur exigere, ut innocentibus personis, quæ arma non tulerunt, parcatur; Fœminis v. gr. item literatis, quamvis hujus rei magnam semper curam imperitus miles non habeat. Præterea monuisse hic, quod supra debebamus, operæ pretium fuerit, divisionem Jûris N., quæ a nonnullis instituitur in *primævam*, & *secundarium*, nullum fundamentum habere, & consistere nullo modo posse. *Primævum* vocant; quod semper obtinuit, etiam sub initium generis humani, antequam multiplicatum esset. *Secundarium* autem dicunt, quod, mundo jam multiplicato, demptis vires suas exeruit. Quo referunt v. gr. matrimonium cum sorore, quod proinde J. N. contrariari contendunt. Sed enim, quæ hujus diversitatis origo? An ergo non unum & simplex, & immutabile Jus N., quod circa objectum necessarium occupatur? Ergone pro hominum diverso statu mutationi variæ subjicitur? Neutiquam; Tempus, aut varia subjeçti conditio, naturam Legis præscriptæ variare non potest; sed ea una eademque, simplex, & invariata perpetuo manet, ita, ut quicquid semel ei conveniens aut disconveniens fuit, tale continuo sit; præcipue, quod explicatio hujus divisionis inextricabili difficultate involvatur; cum non possit determinari, quo tempore præcise factus multiplicatus mundus fuerit, ad hoc, ut se exerceat inciperet Jus hoc N. secundarium. Nec melior est vulgata illa distinctio inter Jus N. *subscriptum* & *præceptivum*, vel *prohibitivum*. Videtur enim hæc

contra-

contradictio in adjecto esse, *Jus svasorium*, cum Juris seu Legis sit, non svadere, sed imperare, & concipi ea sine obligatione, in subjecto passivo oriunda, non possit; obligatio autem ex svasione nulla est, cum nemo consilio sibi dato obsequi teneatur. Et haecenus de genuina Leges Naturales & Gentium investigandi methodo. Ex quibus jam facile judicari poterit, quid sentiendum de fundamentis aliis, quae sparsim Autores disciplinae Juris N. subserunt. Nimirum eorum haud pauca nihil pene a nostro discedunt, alia vero consistere nullo modo possunt. Ad illorum classem refero primum *Cultum Divinum*, ex quo nonnulli (vid. *Knipski Colleg. Grot. Exerc. I. §. VI.*) Legem N. ita deducunt, ut actum omnem, per quem colatur DEUS, dicant honestum, praecipitumque, & contra, per quem is offendatur, pronuncient turpem atque prohibitum. Falsi nihil hypothesis haec asserit, quod extra dubium. Sed enim id in ea desidero, quod non liquido inde cognosci possit, quidnam Juris N. sit; siquidem de eo vel maxime queritur, quibusnam actibus placeamus Deo, aut displiceamus; de quo judicium ex hac hypothesis fieri sine manifesta principii petitione non potest. Alii pro *Decalogo* pugnant, ut velint ad eum, in definiendis Juris N. praecipit, recurri; quam methodum, tanquam ab ipso DEO praemonstratam, citra ambages sequendam, monet *Baerleus ad Grot. Praef. p. 4.* secutus vestigia *Melanchthonis in Philosophia Morali*. Nec declinarem hanc viam ego, nisi



nisi duo essent, quæ manus injicerent. Nam & promulgatam ab ipso Deo, atque tabulis comprehensam Legem N., sola revelatio, cujus sanctitatem non omnes gentes agnoscunt, docet; & fundamentum hoc in aliud prius & rotundius resolvi potest, *amorem nempe DEI, & proximi*, quod & ab ipso *Salvatore* factum. Conf. sententiæ huic faventes *Georg. Calixtum Theol. Moral. d. LL. p. 60. & Pbilonem Judæum d. Decalog. Theologiæ Morali* vero si quis hypothesein hæc applicaverit, *cedius fecerit, judice Pufendorfio, Spicilæg. p. 38. 40. & 43. Amorem DEI, atque hominis pro fundamento* allegant *Hugo de Roy Tr. de eo, quod just. L. 1. tit. 3. §. 5. & Joach. Hopp. d. Art. jur. L. 1.* Sed id tamen pro ultimo venditari non potest, cum resolvi in nostram, quod in socialitate posuimus, queat. Quid præterea in hac hypothese desideret *Bacterus*, vid. in ejus *Comment. ad Grot. Præf. p. 3.* an autem solida sit ratio, qua eam ibi impugnat, jam non disputamus. Certe, ut capita Juris N. eo haud exprimi largiamur, fundamenti tamen rationem per hoc præcise decedere, valde repugnamus. *Lambert. Velthufius in Tr. de Principiis justæ & decori, LL. Naturales ad finem mundi conditi* exigendas esse, contendit, ut, quæcumque natura sua consecutionem finis, quem Deus in creatione mundi intendit, impediunt, ex Lege N. sint vetita; & contra ea, sine quibus is finis obtineri non possit, Lege N. præcepta sint. Et poterat videri dixisse quippiam *Velthufius*, si, quisnam finis ille sit, & quomo-

quomodo actiones nonnullæ necessariam cum eorum congruentiam, vel disconvenientiam, involvant, dilucide exposuisset. Verum, cum intra verba quædam generalia, & ex quibus parum cognoscere possis, hæreat, non multo certius fundamentum attulisse, putandus est; quam si ex *nibilo*, aut *Entitativitate* Jus N. deductum ivisset. Conf. præclare hanc sententiam excutientem *Pufendorfium d. J. N. & G. L. II. c. III. §. 12.* Magis perspicue hypothesis suam explicuit *Val. Alberti*, cum Leges Naturales juxta rationem *status integritatis* metiri, in *Compend. Jur. Nat. Orthod.* instituit. Quæ hypothesis tamen in disciplina J. N. locum invenire non potest, ob deficiens alterum fundamenti requisitum; Neque enim de *status integritatis* quicquam Lumen N. dicitur. Sed is ex sola revelatione innotescit. Ingredi autem hanc disciplinam, omnibus gentibus usui futuram, nihil debere, præterquam, quod ex ratione sibi relicta fluat, nihil difficultatis habere existimem. Debemus tamen illius *Viri* meritis, ut non tam genuinum hinc fundamentum Juris Nat. voluisse Ipsum explicare credamus, quam ostendere, quomodo, quæ magno labore aliunde demonstrantur, ductu Sacræ Scripturæ, ex *status integritatis inter Christianos* deduci queant. Sunt præterea, qui duce *Strimel. in prax. Apod. c. 1. amorem intellectualem* disciplinæ nostræ pro fundamento substernunt; quos, ne nimia abstractione sua cerebrum mihi concutiant, & in odium *intellectuale* inducant,

tant, mature relinquo. Nihil enim hic, quam *Cimmeria* tenebræ, & sine re merus sonus. Alii in demonstrandis Naturæ legibus, consensu omnium, vel saltem moratorum gentium, nituntur, vid. *Cic. Tuscul. quest. L. 7. Aristot. Nicom. V. c. 10. & Rhetor. L. 1. c. 13.* Sed hi via, nimis salebrosa, & impedita incedunt. Nam qui erueſe possis, quod omnibus in universum placeat? Unus, & vel is ipse, cum quo litigas, suo dissensu incertam Legem N. faciet. Conf. ingeniose hic ratiocinantem *Hobbes, d. Cive, c. 2. §. 1.* *Moratiores autem gentes* quod allegantur, non minus incongruum est, & lubricum. Quæ enim gentes præcise in hunc censum veniant, tunc judicabis, & qui definies? Arbitrium hoc nemini permittent gentes, quarum nulla, *barbara* nomine insigniti se, patienter feret. Conf. *Pufendorf. de J. N. & G. L. II. c. 3. §. 7. & Charron dela Sagesse, L. 2. c. 8.* Multo minus vero probari potest sententia *Seldeni*, qui fundamentum Juris N. in præceptis *Noachicis* quærit. Eorum enim origo & auctoritas obscura, & incerta est; neque etiam eorum necessariam cum natura humana convenientiam *Seldonus* demonstrat. Adde, quod & insufficientia laborent; neque enim omnibus officiis hominis LL. N. præceptis respondent. Præterea placita Doctorum Ebraeorum venditari pro dictatis J. N. non possunt. Neque enim Leges Naturales ex hujus vel illius opinione, sed dictamine rectæ rationis, æstimandæ sunt. Conf. *Pufendorf. d. Orig. & Progress. Juris Nat. Osland.*

ad

*ad Grov. L. 1. c. 16. obs. 3. Zencgraf. de Or. Juris Nat. art. 6. §. 38. Rachel. de Jur. Nat. lb. 106. Mauriti. de Princip. Jur. Publ. Disp. 1. lb. 22 seqq.* Præterea insignem errorem fovent, qui ad *solam utilitatem* exigendas esse Leges Naturales contendunt; in quibus ponendus videtur esse *Epicurum* secutus *Gassend. Philosoph. Epicur. p. 1527.* Verum absurda est hæc, & impia hypothesis. Primo enim, non quod utile, sed quod honestum est, seu necessarium nexum cum genere humano habet, proprie Juris N. est. Deinde sub utilitatis prætextu fident quis frangere, alteri insidias struere, bona ipsius involare, denique pessima quæque patrare posset. *Conf. Cicer. 11. Off. 3. seqq. & Augustin. de Doctr. Christ. L. 3. c. 14.* Non minus impiam, & si verum fateri libet, in perniciem generis humani natam hypothesis fovet *Hobbesius*, cum *Leolatham. c. 14. & Elem. de Cive, c. 1. §. 7. omnium in omnes bellum*, & cum eo connexum *propria salutis studium* pro fundamento Juris N. venditat; quasi illud homines in societatem, & ad alia, quæ Jus N. præscribit, officia compulerit. At enim hoc naturale bellum in *cerebello Hobbesiano*, Epicuræis dogmatibus infecto, natum est, & ut dixi, labefactatur hoc fundamento generis humani vinculum. Sic enim facile quis prætextu salutis propriæ, vel naturalis belli, alterum pro lubitu aggredi, pacta violare, & quamvis impietatem exercere possit. *Conf. Cumberland. Tr. d. LL. N. passim.* Rationem, cur tam aperte falsam hypothesis in publicum protrudere ausus fuerit, si quis? Ea duplex

H

vide-

videtur dari posse. Prima est, ut eo majorem admirationem excitaret, siquidem hypothesein tam absurdam, & paradoxicam, speciose proponeret, & verisimilem efficeret. Unde, quod *Pufend. de Orig. & Progress. Jur. Nat.* memorat, Magnus Britanniae Rex *Sorberio* dixisse de hoc *Hobbesio* fertur; *Se ipso uti instar ursi ad molestorum dentes sentandos, & acandos.* Altera est, ut *Pufend.* suspicatur, cum *P. Gassendo* inita amicitia; cum enim is placita *Epicuri* novo velut habitu speciose exornata in physicis vulgasset; videtur *Hobbes* in gratiam amici ejusdem Philosophi circa moralia hypothesein in tradendis LL. N. sequi voluisse. Conf. *Sekarrockium*, & ceteros, qui *Hobbesianam* hanc hypothesein professa opera excusserunt. Denique non satis veritati litant, qui *ex actibus, homini cum brutis communibus*, Legem N. deducere laborant. Quale enim, quæso, Jus N. futurum erat, quo homines pariter & bestiae regantur? Ducem hæc appetitum sequuntur, sine actibus reflexis ullis objecto inhiantes; an & homo? Sic vero defines talis esse, & pecudum te numero censebis. Veteres *JCos Romanos* in hac sententia fuisse, haud pauci ex *pr. I. d. J. N. G. & C.* contendunt. Sed enim, si rite explicetur, nihil est, quod in ea definitione Juris N. desideres? Distingvendum enim videtur inter Jus N. proprie dictum, & pro instinctu naturali acceptum; de quo posteriori significato *d. l. sermonem* esse, haud improbabiler asserti videtur posse. Et hæc hæctenus, duce veritate; pro qua Tibi, *Æterna Lux, summe DEUS, grates immortales!*

DISSER.

# DISSERTATIO IV.

SISTENS

## GENVINAE METHODI LEGES NATVRALES INVESTI- GANDI UBERIOREM DEMON- STRATIONEM.

### PRAEFATIO.

**M**iraculum inter animalia homo est, Plato apud Marfil, Dial. l. d. LL. *Facies ejus ad similitudinem pulchritudinis caelestis figurata. L. 17. ff. d. Poen. Sed animus multo magis. Hoc quid excellentius, aut prestabilius in sublunari globo? Quam celer & incredibilis ejus vis? Ut meminit praeceptorum, & prospicit futura? Voluntatis autem quam ingens amplitudo? Nam nihil sub ullius potentia objectum cadere videtur posse, ad quod non pateat voluntas cujusque hominis. Quaeso te, seducere paululum in te ipsum. Sed seducere, & rimare probe mentis tuae recessus, Nec vero miraris jam? sic stipes mihi fueris, aut saltem qui proxime ab illo abest. Praeclarus vero in mente nihil, quam norma, ad quam componi actiones debere sentit. Dirigit ea justitiam omnium adversus omnes, dum jus constituit*

H 2

perpe-

perpetuum & immutabile. *Hac basis & regula Jurium particularium.* Conf. Celeberr. Dn. Schilterum Manud. Philos. Moral. ad Jurisprud. c. 1. §. 10. & Struv. Præf. Tr. de Vind. priv. *Ad hanc congruè, quod æquum est, & quod iniquum, ab hac divertit.* Lydius hic lapis est, ad quem exigende humana actiones. *Quod cum commentor mecum; Bone Deus! quam miror, non veritos fuisse sacrilegos quosdam homines, in adyta hac involare, & dare tantas turbas. Insanum facinus & ausum scelestissimum! Arrodere inscriptas menti humana Leges, violare impie Numinis auctoritatem; denique universum Natura Jus stultitia nomine infamare! O monstrum te, Machiavelle, & orci irati partum! Quid vero? preconcepta jucundi & injucundi opinione niti, qua insita humano cordi, qua sanctissimo DEI digito insculpta ei sunt? Sed furia te agitant, & rabies insana.* Vid. Machiavelli Disput. de Republ. L. I. c. 2. *Nec mitius de te, Hobbesi, Cameadis vestigia calcante. Nam quo omnis acies illa tua, & ingenium, quam ut eversum ires sanctissima Legis, que omnis justitie fundamentum est, originem divinam? Vid. Hobbes. Elem. de Cive c. 2. 3. Horreo, cum lego verba auctoris des Oeuvres meclès, que p. 4. habet, cum ait: La Nature seroit devenue inutile a l'homme, si elle n'avoit etabli ses Principes sur la joye, & sur le plaisir. Nihil vero magis periculosum, quam in dijudicandis Natura Legibus ad solam rationem, tanquam adequatum Principium*

*pro-*

provocare. Quam enim via intuta haec est, & lubrica? Quae confusio officiorum inde? Quilibet enim pro libidine sua, tanquam recta rationis dictamine, pugnabit. Nulla certa norma, ad quam confugias, nullum firmum fundamentum, cui innitaris. Praclare Felden. Elem. de Just. & J. P. I. c. V. §. 1. Omnes Jus N. dari clamant, nemo autem propemodum scit, quid illud sit, sed quod cui-libet dicitur sua opinio, hoc pro J. N. habet. Videtur ipse Malmesburicensis hoc collimasse, quasi integrum ipse fuisset, praevalentis rationis sua, quantumvis stulta decreta sequi, & ea pro Legibus Natura inaniter vendicare? Non Principium ratio est, in quod resolvi Leges Natura possunt; sed medium, per quod se voluntas divina praedit. Excussa haec majori ex parte sunt in Diss. de Genuina Leges Naturales & Gentium investigandi Methodo. Cujus methodi uberius ego demonstrationem in praesentiarum suscipere, animum induxi, operam in eo praecipue collocaturus, ut dubia, quae cuipiam obrepere circa eam possint, pro viribus ingenii mei pusilli eximam. Quod institutum ut felicem sortiatur eventum, ardentissimis precibus auxilium Aeterni Numinis arcesimus.

## SECTIO I.

In qua socialem vitam principium Juris Nat. esse, pluribus deducitur.



## §. I.

**I**mperator in §. 3. l. de J. & J. tria adducit Juris præcepta: *Honeste vivere, neminem ledere, suum cuique tribuere.* Quæ quamvis latissima sint, & infinitis particularibus præceptis, pro principio atque fundamento subterni possint, primum tamen principium constituere nondum queunt. Illud enim vel maxime quaeritur, quid vita honesta sit; in quo consistat; quid vocetur suum; quomodo, & quando, lædatur alter. Igitur, ut cognoscatur, quanam sit perpetua illa norma, vitæ humanæ directrix, ad quam tum hæc, tum alia Juris Naturæ præcepta, referuntur, natura, & conditio humana penitus rimanda. Et apparet, hominem creaturam esse animal sociale, seu quod cum aliis ejusdem speciei hanc vitam transigere debeat, & per consequens ea officia exercere, sine quibus socialis hæc vita nullo modo consistere potest: Ut proinde necessaria convenientia; vel disconvenientia, cum conditione humana, & salute socialitatis *Geminum sit Principium*, ex quo Leges Naturales, cum præceptivæ, tum prohibitivæ, deduci, & in quod eadem resolvi debeant. Inde est ille instinctus in homine, & vehementissimus socialitatis appetitus. Omnes cum aliis esse cupimus; nemo perpetuam solitudinem quaerit, & amat: Nulla sine socialitate voluptas vera. Vid. *Senec. Ep. 6. Arist. 8. Ethic. 2. pr.* Quare & damnamus eos, qui perpetuæ contemplationi affixi hærent, sine aliquo in communitatem hanc fructu. Qualem, aut DE-  
UM

UM esse, aut bestiam, proclamat *Aristoteles*. *Cicero* præclare omne officium, quod ad conjunctionem hominum, & ad societatem tuendam valet, anteponit illi officio, quod cognitione & scientia continetur. *Offic. Libr. 1. c. XLIV. p. 140.* In Somn. Scipionis quoque Capite III. recte & eleganter, *nihil, inquit, est illi Principi D E O, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quam concilia, cæusque hominum, jure sociati, qua Civitates appellantur. Harum Rectores & Conservatores hinc profecti, huc revertuntur.* Et, paucis interjectis, *homines, ait, sunt hac Lege generati, qui tuentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, qua terra dicitur.* Referri etiam huc verba queunt, quibus elegantissimus scriptor, *Gvazzo nella Civil. Conversazione p. 14.* vitam societati subductam, & meris speculationibus deditam, increpat.

§. II. Huc quoque pertinet hominum *Communis Ortus*; quæ communio efficit, ut homo ad colendam socialitatem sit aptior, cum naturaliter alios sibi æquales videt; Cum nihil habet, quod se extollat, sed parem in hominibus originem, parem vitæ exitum; advertit. Quod ita manifestum, & omnibus ante oculos, ut opus nihil videamus, cum *Hobbes. C. VIII. de Civ. §. 1.* absurde fingere, *homines subito e terra more fungorum esse exortos.* Scurriles nugæ, sed & extreme impiæ, & Philosophi ingenio indignæ! Neque tamen primus *Hobbesius* in colluviem hanc lapsus. Ante ipsam

ineptias has venum exposuere, *Autor Libri de Prae-*  
*damitis c. 8. & Jul. Caesar Vaninus Arcan. Nat.*  
*Dial. 37.* Membris vero, quem in usum hominī  
 data censes, nisi ut ea, tanquam Instrumenta, ad  
 colendam magnam illam mundi societatem, sem  
 μεγαλόπολις adhibeat? Neque enim tam ad de-  
 fensionem, quam ad auxilium aliis præstandum, fa-  
 cta ea a natura sunt. *Cetero animalia munita*  
*indumentis naturalibus & armata sunt, homini au-*  
*tem pro his omnibus, quod erat præcipuum, ratio-*  
*nem solam natura dedit.* *Lactantius, L. VII. c. 4.*  
 Ratio vero recta intelligi non potest, nisi quæ ha-  
 beat ad socialitatem respectum. *Recte Sen. Ep. VI.*  
*Omne hoc, quod vides, quæ divina & humana con-*  
*clusa sunt, unum est; Membra sumus corporis ma-*  
*gni, naturæ nos cognates edidit, cum ex iisdem, &*  
*ex eadem gigneret.* Hæc amorem nobis indidit  
 mutuum, & sociabiles fecit. *Conf. I. III. de Ivo*  
*c. 31.*

§. III. Et his argumentis, tanquam *αὐτόθεν*  
 adjungi possit contemplatio humanæ indigentiae; in  
 qua sola apodicticum, & inconcussum argumentum  
 inest, DEUM velle, hominem socialitatem colere, &  
 ei annexa munera exercere. *Præclare Seneca IV*  
*de Benef. c. 18. Fac, nos singulos, quid sumus? Præ-*  
*da animalium & vitima, ac vitissimus & facillio-*  
*mus sanguis; quoniam ceteris animalibus in tuer-*  
*lam sui satis virium est. Quæcumque vaga na-*  
*scuntur, & ætura vitam segregem armata sunt,*  
 Hominem, *inbecillitas* singit, *non unguium vi-*

non dentium, terribilem ceteris fecit; duas res dedit, quae illum obnoxium ceteris, validissimum facerent, rationem & societatem. Itaque, qui par esse nulli posset, si deduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit, societas terris genitum in aliena natura transmissit imperium, & dominari etiam in mari iussit. Haec morborum impetus arcuit. Senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit. Hoc fortes nos facit. &c. Veritatem ipsam audi, quae homini non conducere, solam esse, Gen. II, 18. profatur. Sed & excellentem socialitatis appetitum homo sermone prodit. Qui enim, quod hoc destitutæ feræ elingves agunt, & intra instinctuum suorum angustos limites clauduntur, alienorum sitium ignaræ, & ne suorum quidem omnino conscia? scilicet, quod ad segregem vitam damnatae sunt, homine ad socialitatem nato; quam colere, si absque tam præclaro instrumento foret, supervacaneo ipsi præcepto, injunctum esset. Dubitas tamen, & calculus adhuc hæret? Age, ad cunas tenellorum te infantem duco; his utere magistris, & in iis naturam rimare tuam. Nulla hos fata exercevere, aut disciplina instruxit; sed misererunt. Nondum vitæ rationem tenent; sed solitudinem quæderunt. Quæ vero mollis illa, ad abis beneficiendum, proclivitas? Nam eam haud obscure produunt, & beneficiorum tamen, quæ accipere, æquus sensus. Atque hæc in infantibus probitas prudentior.

*Ritarche observata. Conf. H. Gnoc. de J. B. & P.*

*in Prolegom.* Cicero quoque in egregio libello de *Amicitia* ardentem hunc socialitatis appetitum inculcat, cum ait: *Si quis asperitate & immanitate natura Timonem μισάνθρωπον imitaretur; pati tamen non possit, ut non acquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitalis suae. Atque hoc maxime judicaretur, si quid tale possit contingere, ut aliquis nos Deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in solitudine usquam collocaret, atque ubi suppeditans omnium rerum, quas natura suppediat, abundantiam & copiam, hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet, quis tam ferreus esset, qui eam vitam ferre posset?* Socialitatis igitur genuinum officiorum fundamentum; hic fons limpidissimus, a quo munera hominis, qua talis, in hac vita exequenda, purissimo fluxu emanant. Neque solidi quicquam contra hoc principium reponi potest. Quod ut appareat, age, experiamur argumentorum robur, quibus, ad impugnandum hoc principium, uti solent. Primo objicitur, quod rebus rationis dictamina in quavis se objecta diffundant; appetitui autem socialitatis abunde quis litare possit, si societatem solum particularem colat. At enim, qui hoc argumento utuntur, nondum profecto capiunt, quid velint sibi per socialitatem, qui ex ea Jus N. deductum eunt. Neque enim respectum ea habet ad quamcunque hominum congregationem, sed ad μεγαλόπολιν illam, in qua omnes homines, ut cives, degunt. Ad hanc nati homines, & a natura facti; hanc juvent, hanc colant, & tue-

& tueantur. Quia igitur DEUS produxit homines, non ut pereant, sed ut serventur; inde vetuit necessaria, ne ita se homines gererent, ut sibi perniciem maturent invicem. Per quam prohibitionem manus quasi homini iniecit, ne sic uteretur facultatibus suis, ut inde turbetur & destruat socialitatis salus. Id autem fieret, si quis in particularem quidem costam, cui addictus est, nihil molitur mali; de cetero tamen aliorum extra eum cœtum agentium tranquillitatem violat. Id enim si ipsi J. N. permissum, omnibus hominibus aliis eodem Jure foret concessum. Quam afflictus vero inde rerum omnium status? Ut labefacteretur salus magnæ illius civitatis, imo sane cujusque particularis? Nam cum cuilibet externo in alienam rem publicam sævire atque insanire liceret; non illi particulari socialitati certa salus; sed periclitaretur singulis momentis, imo necessaria cum toto rueret & pars. Unde evidenter consequitur, nemini licentiam J. N. concedi, ulli hominum nocendi, imo talem licentiam cum interitu cujusque particularis societatis fore conjunctam. Et concipi fortasse hic non inepte socialitas possit per modum quantitatis continuæ. Quemadmodum enim in hac nulli particulari motus infundi potest, qui non eodem tempore simul omnibus ejus partibus cæteris communicetur, ut proinde tota simul quantitas in aliorum corporum viciniam transferatur; ita eodem modo, si cuiquam fingatur data J. N. licentia, cuiquam extra societatem particularem, in qua vivit, nocendi, eadem omnibus

omnibus hominibus cæteris eodem tempore, eodem-  
 que modo, data necessario est; cum quoad hoc in-  
 dividuo & quasi continuo nexu homines inter se co-  
 hæreant, ut, quicquid individuo competit, id ipsi non  
 qua tali competat, sed quatenus partem subjecti-  
 vam speciei humanæ efficit. Quam generalem om-  
 nium hominum inter se socialitatem præclare his  
 verbis expressit Cicero *V. d. Fin. In omni honesto nè-  
 hit est tam illustre, nec, quod latius pateat, quam  
 conjunctio inter homines hominum, est quasi qua-  
 dam societas & communicatio utilitatum, & ipsa  
 cbaritas generis humani; qua nata a primo sa-  
 ta, quo a procreatoribus nati diliguntur, & tota  
 domus conjugio & stirpe conjungitur, serpit sensim  
 foras cognationibus primum, tum affinitatibus, de-  
 inde amicitiiis, post vicinitatibus cum civibus, & idem,  
 qui publice socii atque amici sunt: deinde totius  
 complexu gentis humana. Quæ affectio suum cui-  
 que tribuens, atque hanc, quam dico, societatem  
 conjunctionis humana munificet & æque tuens, ju-  
 stitia dicitur, cui adjuncta sunt pietas, bonitas, li-  
 beralitas, benignitas, cbaritas, quæque sunt generis  
 ejusdem. Atque hæc ita Justitia propria sunt, ut  
 sunt virtutum reliquarum communia. Nam cum  
 sit hominis natura generata sit, ut habeat quid-  
 dam innatum quasi civile atque populare, quod  
 Græci πολιτικὸν vocant, quicquid aget, quæque  
 virtus, id a communitate, & ea, quam exposui, cha-  
 ritate, atque societate humana non abhorrebit, vi-  
 gissimque Justitia ut ipsa se fundet usum cæteras, sit  
 illas*

*illas expectet.* Quamobrem, cum quis certo se concilio associat, ut fiat civis particularis, nondum desinit esse civis universæ conjunctionis humanæ, & hinc munera, huic adhaerentia, exercere tenetur. Neque etiam renunciare huic Juri Civitatis potest, nisi simul conditioni humanæ renunciare velit, & in brutorum venire censum.

§. IV. Objicere præterea solent, *predones atque latrones itidem societates colere, neque tamen Juri Naturali conformem vitam agere.* Cui tamen dubio robur jam per modo dicta decedit. Latrones enim & grassatores in Lumen Naturæ pertinaces sunt, quia non colunt magnam illam societatem, cujus ipsi quoque cives & membra sunt. Neque ob aliam rationem illicita est particularis illa ipsorum conjunctio, quam, quia labefactat, aut penitus solvit nexum hominum inter se. Fac enim, liberum quibuslibet esse, coire, agmina jungere, prædari, latrocinari, alios per improvisa facinora circumfidere; an ulli particulari etiam coetui de sua salute vel per momentum cautum erit? Perpetuus metus & horror torqueret homines, denique mutua clade confecti perirent omnes. Vides, quomodo actiones cujusque individui innoxæ toti humanæ societati sint. Facinorosi igitur tales homines non litant socialitati absolute, sed tantum quoad partem integram, scilicet certum coetum, in quem ipsi conspirarunt, & quem colere sine Legibus Naturæ minime possunt. Unde Cicero II. *Offic. recte: Justitia sanxerit, ut ne illiquidem, quæ*  
ma-



*maleficio & scelere pascuntur, possint sine ulla particula justitia vivere. Nam qui eorum cuiquam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. Ille autem, qui archipirata dicitur, nisi equabiliter predam disperiat, aut occidetur a sociis, aut relinquetur. Et verissimum Alexandri Aphrodisiensis effatum, cum societatem sine Justitia durare negat. Conf. Heliodor. in Æthiop. l. 5. Quicquid igitur, si ab omnibus hominibus fingatur fieri, destruit salutem universæ conjunctionis humanæ, id est Lege Naturali vetitum.*

§. V. Ulterius ex eò capite Principium hoc impugnari solet, quod socialitas materia seu objectum J. N. sit; objectum vero non determinet jus, quod circa illud occupatur, sed ab hoc potius determinatur. Et vero audacter primo asseritur, vitam sociale esse objectum J. N. cum potius ea constituat primum ejus præceptum, cujus veritas & evidentia ex contemplatione conditionis humanæ resultat. Jam autem non absurdum, adhiberi aliquod præceptum, tanquam principium cognoscendi alia. Imo id regulare in Legibus, ut generaliter sint conceptæ, & quamplurimas propositiones particulares sub se contineant, per congruam interpretationem inde eruendas. Quod dixi, vitam sociale esse primum J. N. præceptum, nihil impedit, quo minus etiam haberi pro ejus fine possit. Quemadmodum vero ex fine, tanquam mensura, æstimantur media, ita ex genio socialis vite præcepta

## METHODI LEG. NAT. INVESTIG. SIST. III

cepta Juris Naturalis ad eam deducuntur colliguntur. Do Exemplum: Pater filium in Academiam mittit, ut literis incumbat, eumque eam in rem variis præceptis instruit. Finis est acquisitio eruditionis, quæ ipsa primum quoque inter mandata locum sortitur. Jubet enim eum variis artibus atque scientiis animum subigere. Ex quo primo atque universali præcepto reliqua particularia fluunt, sive nominatim & expresse, sive tacite, inculcata. Nam & necessarios libros comparandos, & doctos viros audiendos, & audita lætave diligentè meditatione ruminanda atque digerenda esse inquit. Pari modo homo, cum ad naturam suam vel leviter attendit, videt, animal se productum sociale; quem finem a DEO intentum ut producat homo, dispicienda sunt ab ipso necessaria media, quæ nexum cum fine necessarium habent; quæ cum per dictamen rectæ rationis eruit, voluntatem DEI de faciendis, vel omittendis, intelligit, seu elicit Leges Naturales.

§. VI. Nec obstat quicquam, quæ *Ericus Mauricius de Princip. Juris publ.* habet, cum ait: *Si nullum Jus N. sit, nisi in respectu ad societatem humanam, quid fiet de eo tempore, quo Adamus solus ante productos alios homines vixit? Sane pullis Natura LL. obstrictum fuisse, secundum hanc sententiam dicendum fuerit. Atque adeo integrum illi per hanc opinionem relinquatur, illo quidem tempore colere DEUM, vel non colere, patrare fæda alia, vel non patrare, quod absurdum esse, non*  
m

ma non facile videt. Sed & eadem ratio fuerit hominis remoti a societate humana, quales esse possunt Eremitæ deportati in casulas inhabitabiles. Etenim illi hoc dogmate Jura Natura solvantur. Atqui certum ratiem est, illos ad colendum DEUM teneri, & ad vitanda, quæ dedecent humanam naturam. Non ergo a sola societate humana vis Legum Natura dependet, neque eo solum refertur, sed vel Deum respicit, vel proximum & societatem, vel seipsam & naturam humanam. Nam negata actualis existentia societatis non impedit, quo minus officia quædam Juris Nat. exercerantur. Non quod ex alio fonte manent, sed quod ad ipsam societatem aliquando existuram respectum habeant. Ita Adamus; cum solus adhuc inhabitaret terram, inque seipsum seductus, naturam rimaretur suam, evidenter intellexit, productum se esse ad socialitatem, cum hominibus aliis, a DEO producendis, colendam. Qui respectus ad futuram societatem jam constituit fundamentum officiorum, erga se ipsam exercendorum. Fateor autem, in Adamo cum illa officia, quæ hominem erga se ipsum dirigunt, tum, quæ cultum respiciunt divinum, liquidius multo ex fine, a DEO in creatione principaliter intento, consecutione nimirum æternæ beatitudinis, ad quam se productum esse, haud dubie, evidenter propter clarissimum intellectus lumen cognovit, deduci posse.

§. VII. Fallitur hic quoque *Renatus des Cartes*, cum passim in *Méth. & Princip. Philos.* quis-

quicquid de DEO vi luminis naturæ novimus, ex ejus in nobis existente idea derivat. Quam & in ipso ortu nostro a DEO nobis inditam, atque innatam contendit. Ita equi in Meditat. III. p. m. 24. *Supereft tantum, ut examinem, qua ratione ideam istam a DEO accepi; neque enim illam sensibus haufi, nec unquam non expectanti mihi advenit, ut solent rerum sensibilium idea, cum iste res externis sensuum organis occurrunt, aut occurrere videntur, nec etiam a me efficta est; nam nihil ab illa detrabere, nihil illi superaddere plane possum, ac proinde supereft, ut mihi sit innata, quemadmodum etiam mihi innata est idea mei ipsius. Et sane non mirum est, DEUM me creando ideam illam mihi indidisse, ut esset tanquam nota artificis operi suo impressa. Fictitia enim hæc idea est, & in cerebro Cartesiano nata. Nulla in homine de DEO innata cognitio, nisi quæ per modum potentia proxima concipitur ad actus cognoscitivos de DEO, imprimis ejus existentiam immediate eliciendos; quamprimum vis intellectus se exerit, & termini fiunt noti. Et nulla in homine sibi relicto de cultu DEI sententia, nisi quæ relationem ad socialitatem dicat, quod in antecedentibus ostensum.*

§. IIX. Sed nec ii pauci sunt, qui ex eo capite principium hoc J. N. impugnant, quod non sit primum, cum in aliud prius, *Voluntatem* nimirum *Divinam*, resolvi possit. Unde ex hac, non vero ex socialitate, præcepta Juris Naturalis deducenda esse,

esse, contendunt. Atque hanc sententiam novissime Vir Eruditus in *Dissertat. d. Princip. Jur. Nac. & Delib. Juris selectt.* uberius proponere instituit, legens in eo vestigia alius ingenii, eruditione & acumine præstantis. Ita vero rem persequitur, ut primo naturæ humanæ conditionem, atque præstantiam rimetur; deinde specialius animæ rationalis partes, intellectum & voluntatem, consideret, & deinceps concludat, quia homo agendi facultatem a DEO acceperit, cum ex voluntate ipsius licite agere, quicquid velit, nisi quatenus agendi illa facultas per voluntatem divinam restricta sit. Declarari autem voluntatem divinam, de coercenda agendi libertate, vel verbis, vel factis. Priorem declarandi modum constituere *Jus Divinum Revelatum*, posteriorem *Naturale*. Accedit postmodum ad recensenda facta illa, quibus se divina voluntas prodiderit, & ex quibus proinde Jus N. resultat. Et primo loco ponit motus & instinctus intrinsecos in hominè; 2. Actiones creatoris, creationem, & conservationem rerum. 3. Actionum finem necessarium atque probabilem. 4. Medii necessitatem. 5. Attributa creatoris, perfectionem & sapientiam. At enim principium hoc, quatenus approbari meretur, non nisi verbis a nostro, socialitatis salute, differt. Quid enim, quæso, rerum, quæ apparent, conservatio, & ipsarum natura atque circumstantiæ aliud inferunt, quam hominem ad colendam sociale vitam esse productum, & hinc jussum facere, quicquid huic

necess-

necessario convenit, & omittere, quicquid necessarium cum ea disconvenientiam involvit? Per finem necessarium actionum atque probabilem, quem vocat, id videtur significare, res omnes a DEO, nihil frustra faciente, necessario ob aliquem finem productas, & probabiliter eum in finem, ut homo eas in suum commodum convertat: Inde vero solummodo sequitur, licere homini rebus, a DEO productis, uti; modus vero & ratio utendi Juri Naturali conformiter non nisi ex connexionione cum socialitatis salute judicari potest. Idem de medio sentiendum, quo homo conservari, & jus, a Deo concessum, obtinere potest. Uti enim hoc jus cognosci non nisi ex ratione naturæ humanæ, & genio socialitatis potest; ita nec medium concipi, sine habito ad eam respectu, a quoquam evidenter potest. Attributa vero Creatoris contemplari, ad id conducit, ut clare, & infallibiliter homini pateat, quia a DEO productus sit, inde conservari ipsum quoque DEUM velle, & quia salvus esse sine conjunctione cum aliis non possit, inde imperatam ipsi socialem vitam, & simul officia, necessariam relationem ad eam habentia. Quod vero in fundamento Juris N. mentio sit instinctuum; id lubricum, & infirmum. Cum & allegare quis falso instinctum ad aliquod objectum possit, & sæpe avertatio, & horror quidam in homine deprehendatur circa objecta per se indifferentia, & quæ proinde nihil quicquam turpitudinis involvunt. Instinctui igitur, qua tali, nihil omnino in disciplina Juris N. tribuendum. Dico, *qua tali*. Secus enim

est, si solida ratio ei subsit; quæ tamen non nisi ex socialitate reddi potest. Excipit quidem hic Dns Kestnerus, quod, si utilitas aliqua, ex qua societas existat, fons J. N. esset, sequeretur, Jus Natura in potestate hominum esse, cum quilibet utilitati suæ renunciare possit, & sine Naturali Jure, quod fundamentum esset in communi utilitate, vivere. Verum non animadvertit, quod socialitas, non quamcunque utilitatem, sed eam, quæ necessarium cum natura humana nexum dicat, & qua remota, nullo modo consistere societas humana queat, respiciat. In quo etiam primaria & evidentissima J. N. a Jure Gentium, & Civili differentia consistit. Et huic proinde utilitati, cum tanta necessitate in ordine ad humanam naturam conjunctæ, nemo renunciare potest, nisi simul renunciare naturæ humanæ velit, & in brutum degenerare. Renunciare igitur non nisi tum utilitati licet, quando non involvit necessariam ad subjectum renuncians habitudinem, & quando solius renunciantis favorem respicit. Præterea ex mutabilitate socialitatis principium hoc impugnat. Ita enim pergit: *Principium hoc valde indefinitum est; nam societas multis & variis, imo contrariis, modis promovetur, quia si Jus N. ex hoc principio fluere, sequeretur, illud Jus in infinitum posse mutari. Nam quod hodie utile est ad societatem colendam, alio tempore noxium esse potest. Imò vero cum Jus Nat. non nisi circa eas actiones occupetur, quæ necessariam convenientiam aut disconvenientiam cum natura*

tura

tura humana involvunt, inde apparet, id nulli esse mutationi obnoxium; quia necessum alias foret, simul mutari naturam humanam. Unde etiam fat palpabile emergit discrimen J. N. a Jure Gentium atque Civili. Nam Jus Gentium non occupatur circa moderandas actiones eas, quæ cum socialitate necessario nexu coherent; Sed quæ insigne solummodo momentum ad eam habent; ita ut, iis secus habentibus, salva quidem ea stare, sed non de tam felici statu gloriari possit. Jus Civile autem plane non respicit directe commodum magnæ illius societatis humanæ, sed societatis tantum particularis. Denique veritati non litat memoratus *Autor*, cum existimat, *principium hoc potentissimos, & a nobis remotos Principes non obligare, cum hi suis terris contenti nullas alios populos curent;* Cum enim quivis homo vel leviter attendendo ad naturam suam animadvertat, ad colendam socialitatem se productum; Inde & officia ex ea necessario fluentia tenebitur servare; si vel maxime in extrema australi, aut septentrionali plaga degat. Quamdiu enim se fatebitur esse hominem, agnoscat quoque, membrum se societatis humanæ esse, atque hinc exequenda sibi munera, quæ societatis hujus membris expedienda incumbunt.

§. IX. Ex socialitate immutabilitas quoque, ut diximus, J. N. fluit. Versatur enim Jus Naturæ circa res, necessariam convenientiam, vel disconvenientiam cum socialitate, atque humana natura habentes. Ut igitur natura humana eadem semper



per manet; ita etiam Jus huic naturæ accommodatum. Nam, aliter habente Jure Naturali, atque habet, destruitur socialitas; quia illud non nisi circa eas actiones versatur, quæ necessarium nexum cum socialitate habent. Destructa vero socialitate, tollitur etiam humana natura, quia hæc cum illa indivulso nexu cohæret. Quamobrem nec in Deum, nec hominem; cadit hujus Juris mutatio. Non in Deum; cum is suæ voluntati contraventurus esset; cum enim vellet existere hominem, h. e. animal sociale, adeoque ad officia cum socialitate cohærentia expedienda necessario devinctum, simul idem nollet, quod summa imperfectionis est. Sed nec est, cur ab homine mutationem Legis Naturalis metuamus, cum inferior nullum sibi circa superiora sui Leges arbitrium possit sumere; adeoque mutatio ab illo suscepta ipso Jure nulla est, nec in subditis obligationem producit, utpote quam interveniens supremi legislatoris autoritas excludit. Ais: *Quidni mutatio hæc sub objectum potentie Divinae, utpote infinitæ, cadat?* At enim, quamvis ea sit potentia Divinae amplitudo, ut nullis limitibus circumscribi queat; pro objecto tamen non agnoscit res necessario socialitati congruentes, vel non congruentes. Nam profecto, si quid his potentia Divina posset, contradictoria posset. Inde non magis DEUS mutare Legis Naturalis præcepta potest, quam efficere, ut dia quatuor non sint octo, aut dimidium quaternarii non sit binarius. Sed exempla tamen nonnulla

den-

dantur, in quibus mutatio quædam Juris Naturalis cum a DEO, tum ab hominibus, videtur facta. Ita *Exod. III.* DEUS *Israelitis ex Ægypto* abiturientibus factum Juri Naturali adversum præcepisse videtur, dum jussit, ab *Ægyptiis* commodato accipere vasa aurea, atque argentea, & ea deinde asportare. Nihil vero hoc exemplo effici, oppido manifestum erit, si quis modo attendat, in quo delicti ratio formalis consistat, in hoc scilicet, quod involvit *avouïar*. Et satis quidem est perspicuum, nullum furtum esse posse, sine rei alienæ contractatione, invito domino, facta. Ablatio autem illa *Israelitarum* non fiebat invito, sed quam maxime volente, imo imperante, vero & principe domino, nimirum DEO. Hic supereminens omnium rerum dominus; a quo omnia bona velut precario accepimus; quæ proinde revocare suo arbitrio potest. Sed nec omnino minus principales seu secundarii dissentiebant domini, cum ipsi *Israelitas* ad asportandum vasa incitaverint, ipsisque ea attulerint. Et si vel maxime dissentire voluissent, dissensus tamen eorum consensus habuisset vim; quia qui nullo suo jure dissentit, pro consentiente merito est habendus. Ut ne vero *Israelitæ* aliquod dissentendi jus allegare possent, effecit cum superioris voluntas, tum vinculum, quo se *Israelitis*, gravissimas ipsis operas præstantibus, obstrinxerant. Inde pulchre *Calixtus, in Theol. Moral.* Quando DEUS auferre jussit *Israelitas Ægyptiorum aurea & argentea vasa, auctoritate sua suprema Israeli-*

*ris hac ipsa in mercedem maximorum laborum,*  
*quos urbes Ægypticas adificando exantlaverant,*  
*adjudicavit, adeoque, quæ prius aliena, jam propria*  
*effecit.* Affertur præterea a multis, pro mutabilitate  
 Juris naturæ pugnantibus, quod homicidium, J. N.  
 prohibitum, tamen præcipi a DEO possit. Sed e-  
 nim, qui ita argumentantur, rursus non animad-  
 vertunt, dispar utrinque, homicidium esse. Cum  
 enim occisio dicitur ipso J. N. prohibita, intelli-  
 gitur suscepta ab illo, qui nullum in alterius vitam  
 jus habet; quod in occisione ex imperio Numinis  
 Divini secus. Is enim eminens dominium non so-  
 lum in omnia bona, sed & corpora nostra atque  
 vitam, habet. Hinc cum suo jure utitur DEUS,  
 nemini injuriam facere videri potest, adeoque nec  
 Legem Naturæ ullam mutat. Ais: Quamvis DE-  
 US haud inique faciat; tamen ex ipsius voluntate  
 alterum occidens, ab iniquitate absolvi non potest,  
 nisi dispensationem quandam circa J. N. admitta-  
 mus. Enimvero id opus non est, cum homo non  
 nisi merus executor, & minister imperii Divini sit;  
 cujus arbitrio cum absolute, & sine exceptione, sub-  
 jectus sit, non poterit videri hic aliqua ejus culpa  
 concurrere. Quo pertinet Ictorum regula, quæ  
 habetur *in L. 4. ff. d. R. J. culpa caret, qui obse-*  
*quitur imperio Domini.* Et hæc quidem de DEO.  
 Sed & humani legislatores interdum legibus suis  
 derogare J. Naturæ videntur. Et quin de facto  
 aliquid præcipere J. N. contrarium queant, dubium  
 nullum est; sed præceptum tale non erit lex, ut  
 supra

Supra diximus, cum a superiore, qui jus in nos habet, hæc proficisci debeat. Non potest autem videri jus habere, cui contractum a communi omnium superiore Domino est præscriptum. Sed nunquam tamen videtur unius alteriusve Legis Naturalis mutatio cum effectu a legislatoribus humanis suscipi. Ut ecce, ex conventionione duorum pluriumve in idem placitum obligatio J. N. ad producendam actionem efficax descendit. Sed Jus Civile Romanum tollit ejus effectum; neque ex omni pacto jus agendi concedit, sed ex eo solum, quod vel vestitum a Legge, vel contractui est in continentem adjectum, *L. 35. §. 5. C. de Donat. L. 7. §. 4. ff. de Pact.* Sed facile nodus hic dissolvitur, modo quis attendat, hoc casu non mutari Jus N. aut obligationem naturalem tolli; sed ejus solummodo effectum ob utilitatem Reipubl. suspendi; Quod utique Juri Civili licet; utpote quod & determinat Jus Naturæ, & ejus obligationem recipere, idque vel simpliciter, vel secundum quid, imo interdum etiam, svadente reipublicæ manifesta utilitate, reprobare potest. Quæ omnia Jure Romano fiunt. Ita enim patriam potestatem, contractus, emtionem-venditionem, locationem-contraductionem, quibus origo ex Naturali Jure, varie determinavit, atque ad certos limites restrinxit. *L. fin. C. d. Patr. potest. L. 2. C. d. Rescind. vend.* Quo ipso tamen nullum Jure Naturæ præceptum violatur, aut immutatur. Quippe dispositio J. N. est generalis & indeterminata, quæ tamen non respuit

limites per determinationem civilem accipere. Ulterius sæpenumero Jus Civile plenum effectum obligationi naturali tribuit, dum & actionem, & exceptionem, quæ vocatur, inde vult oriri, ut in plerisque sit contractibus. Interdum autem non plenum largitur effectum, sed minus plenum, seu remissiorem quendam, ut compensationem, retentionem, & similes effectus, *L. 7. §. 4. ff. de Pall.* Nonnunquam vero ne remissiorem quidem effectum quendam ex obligatione naturali vult descendere; quod fit, v. gr. cum mulier pro alio intervenit; nam per errorem solutum etiam repetere conditione licebit, *L. 49. ff. de Conditi. indebit.* & in pupillo, cui sine tutoris autoritate mutuum est datum. *L. 59. ff. d. O. & A.* Neque tamen ullibi his casibus obligatio naturalis, si quæ datur, expirat, sed ejus effectus solummodo, uti dictum, sub reipubl. salute occultantur.

## SECTIO II.

Quæ officia erga DEUM, & seipsum, sigillatim ex hoc principio deducta, sistit.

### §. I.

**A**D deducendam cultus Divini sanctitatem ex lumine nature, nihil magnopere desiderandum. Neque enim ulla alia re videtur opus esse, quam

quam ut respiciamus ad originem conditionemque  
 nostram, & in essentia Divina contemplatione oculos  
 defigamus. Cum enim meminerimus, a summo illo Ente omne id, quod sumus, profluxisse, rationemque  
 precipue, qua a brutis sejungimur, nobis tributam; inde prona consequentia fluere videmus,  
 DEUM pio sinceroque cultu prosequendum esse. Præterea contemplatio hæc nobis, qualis etiam cultus ille esse debeat, luculenter ingerit.  
 Nam cum in DEO summam deprehendamus bonitatem, colligimus, venerationem ejus cum tenerissimo amore conjunctam esse debere; & quia summa potentia ejus benignitas munita; sequitur, summa in eo fiducia recumbendum; quod vero justus vindex in scelera animadvertit, hoc ipso sui tantum animis inculcat; & sic de reliquis officiis erga DEUM a nobis exercendis. Ulterius vero ex demonstrato ita Divino cultu officia erga se ipsum deduci videas. Neque enim peragi recte cultus Divinus potest, nisi animus veræ humilitati student, & temperantia, refrænet ambitionem, habendi restringat studium, denique nitatur, ut penitus excutiat vitiorum jugum. Qua de re pluribus cum Theologi, tum Philosophi Morales videri queunt, & in his præcipue *Morus Enchirid. Ethic. p. 224.* Et hac ratione velut a priori præcedit cultus Divini demonstratio, qua ipsa tamen aliis quoque argumentis pluribus adjuvari potest. Quæ recensere omnia, longam nimis, nec instituti nostri. Jam illud solummodo uberius persequemur, quam necessaria

cessarium cum socialitatis salute quoque nexum cultus Numinis involvat. Qui ut eo manifestiori se ratione prodat, summam singula cultus hujus præcepta excutiemus, eorumque maximum, imo necessarium profus in societate humana usum demonstrabimus, hoc ipso eorundem sanctitatem haud parum confirmari. Quod idem circa altera quoque officia, erga seipsum exercenda, conabimur. Est vero de religione naturali hoc quasi fundamentale præceptum:

§. II. *DEUM existere, firmissime crede.* Absque hoc enim si esset, nullum omnino Jus existeret, cum nulla in hominem caderet obligatio; adeoque nec in statu naturali, nec civili ulla foret securitas. Non in statu naturali; quia pro lubitu quisque alteri insidiari, vitæque & bonis ejus vim licite inferre posset. Cum nulla omnino ratione terminos voluntas humana, aut limites admitteret. Neque major securitas in civili statu. Nemo enim ad obediendum imperio civili obstrictus esset; neque propriæ utilitatis ratio sola sufficeret, ad homines in malo absterrendos: vid. hic *Pufend. d. O. H. & C. cap. d. Relig. Nat. §. ult.* Sed enim, quis expedita debet esse ex Lumine N. existentia Numinis, utpote, in qua nititur omnis religio, imo universum Naturæ Jus; inde hic subjiciemus firmissimam, concatenatæque nexa coherentem demonstrationem ejus, quam si erga insanos Atheos & stultissimos scepticos utaris, id efficias, ut vel silere discant, vel dedere se victos.

§. III.

§. III. Ita vero procedo. Me ipsum respicio, & quid sim, considero. Et vero, quicquid sim, imperfectum quid sum, deest mihi aliquid, saltem cognitio, quam affecto. Imperfectionem præterea meam inde cognosco, quod intelligam, non posse me, per unicum quidem momentum, de novo sistere. Neque enim hujus momenti, quo nego, h. e. me aliquid esse intelligo, duratio infert existentiam alius momenti, sed separata ea sunt, & distinctis singula existentis gaudent. Sum igitur imperfectum quid, hoc est, non a me ipso, sed aliunde sum. Nam profecto, si a me ipso essem, omnes mihi perfectiones tribuissem, & quomodo me producere potuerim, cum producens producto prius esse debeat? Nam, quod me negative ais, a me ipso esse, nihil proficis. Nam quid, quæso, est a se ipso negative esse? Puto impro ductum esse, seu non esse ab alio. Sed enim, unde limitatio naturæ meæ? nam, si aliunde non forem, per me existerem, adeoque nihil quicquam me potuisset limitare, essem igitur perfectum quid, quod cum non sim, quid evidentius & infallibile magis, esse me ab alio? Desudavi hactenus, sed lætor, quod non inaniter, nihil enim habes, quod regeras; sum ego substantia, h. e. aliquid, nec existo a me, sed aliunde sum. Sed unde quæso? Hæsitatio tamen; videlicet ne impliceris. Sed urgeo te; unde sum, si aliunde sum? sed ais, a parentibus. Arripio verbum; sed quales parentes mei? De iis haud dubie hæc nobis cognitio, quod quicquid in me esse, concessum est, id idem in ipsa

sit.



sit. Cum nihil possit continere effectus, quod non  
 existat in ejus productrice causa. Sed quomodo,  
 quod ego sum, in iis quoque existit? Dux via: sunt,  
 ut vel tale quid, quale ego sum, formaliter in causa  
 detur, vel existat in ea facultas excellens id produ-  
 cendi, quod ipsa formaliter non habet. Elige jam  
 utrumvis; si, quod ego sum, eminenter in parenti-  
 bus meis locus, facultas illa in iis eminens aut in  
 infinitum patebit, aut limitibus suis terminabitur;  
 Si posterius contendis, nihil proficis; nam ad sco-  
 pum meum non secus facit, atque si concessisset,  
 quod ego sum, in causa mei, quam parentes dicis,  
 formaliter dari. Nam utroque casu eorum natu-  
 ram itidem limitatam facit, & hinc non a se ipsa,  
 sed aliunde dependentem. Sed unde? Allegabis pa-  
 rentes alios, de quibus cum eadem recurrat quaestio,  
 eandem ex te responsionem extorquebo. Hos igitur  
 rursus ab aliis deduces, & his quoque suam ori-  
 ginem constitues. Nec ego repugno. Sed quid  
 ad ultimum? An ita perpetuo derivabis, nec in ali-  
 qua tandem causa prima subsistas? Imo veto id fa-  
 cias oportet, absoluta hic te urget necessitas. Quid  
 enim? Tunc existis? Et veto id jam ante concessisti;  
 existis igitur, & existis ab alio, & is rursus ab alio.  
 Remove igitur causam tuam primam, disjunge eam  
 infinito a te spatio. Tu igitur amplius non existis.  
 Miraris, & recusas? imo sic non existis. Vide e-  
 nim, quomodo rem clarioribus paulo verbis, te in-  
 dulgente, eloquar. Causa tua prima, a qua caeterae  
 tuae productrices causa in esse suo dependent, infinite

a te

a te abest, h. e. infinitum inter te & primum principium tuum intermedium est spatium. Ut igitur tu a non esse ad esse procedas, infinitum hoc tibi spatium emetiendum. Nam & intermediae causae omnes, & prima, positive atque active, quod negare non potes, ad tui productionem concurrunt; infinite igitur si prima abest causa, infinitum pratetlabi debet spatium, donec effectus, h. e. tu, incipias existere. Quid tremis & horres? imo nondum existes; sed nec unquam existes; nam origo tua infinite aberit. Capis hoc? vides, ut te hic constringam; nam nullibi erumpere & elabi potes, quia infallibilem & apodicticum evidentissimae demonstrationis nexum negare non potes. Ecquid reponas? nam siles & miraris. Et vero *Plato* sis, aut *Socrates*, elabi nullo modo potes. Circumspice tamen, & meditare, si libet.

§. IV. Ego interim resumo spiritus. Infinite causa tui prima a te abest; Tu igitur ab eadem infinite abes, h. e. nondum es, nec unquam eris. Quid dubitas, & mussitas? Quicquid vero sit; imo dicas, a parte ante, non a parte post, infinitum esse spatium. Quid enim dicis? Aut quis tibi sensus, & conceptus, cum dicis? sed indulgeo tibi tuum illud a parte ante. Quid vero proficis? quid est a parte ante infinite abesse causam tui primam, aliud, quam a primo tui principio ad tuam existentiam infinitum extendi spatium, seu te jam non existere? nam si existeres, esset jam non infinitus, sed determinatus confarum a parte ante, si tanti tibi

tibi est, hanc phrasin retinuisse, numerus. Et sane, si quis modo præterea cogitet, plures se agnoscere causas, quam ipsius parentes, & alios majores, intelliget, non posse igitur numerum causarum, a quibus procedit, esse infinitum, cum majus & minus recipiat, quod infinito competere, manifeste implicat. Attendis? Meditare, cogita, revolve, nihil erit, quod contra urgeas, & frustra te fastigas. Sed dimitto te; nam evicisse me fateris, processum in infinitum esse absurdum, & existere proinde causam tui primam, quæ a nulla alia. Sed quid præterea? Quale hoc ens primum erit? Erit primum, hoc est, independens; cum independentia solam originem, & principium, producat, excludat. Quod si hoc ens independens est, seu a se ipso; habebit igitur naturam illimitatam, cum, ut supra vidimus, limitatio omnis agnoscat causam. Quicquid igitur perfectionum cogitare possumus, in ipso est, & innumeræ præterea alia, quas assequi, scilicet propter naturam finitam, non possumus. Erit igitur primum hoc ens summæ potens, omnipotens, æternum, immutabile, nulli affectui, quæ tali, nulli errori obnoxium, & a quo, cum ego, tum si quid a me diversum existit, in esse suo profluxit. Duo igitur hæc, & me, h. e. rem cogitantem, & causam mei primam, ens independens & completum existere, clare & infallibiliter cognosco; & ita quidem, ut nihil evidentius ab humano ingenio cognosci posse confidam.

S. V. *DEUM cole, ut unum.* Quia ex lumine

mine Naturæ evidenter fluit, non posse dari, nisi unum DEUM, inde sequitur, destitutum iri auxilio Divino, & hinc brevi ruituram socialitatem, si quidem homines promiscue, velut recte agerent, plures DEOS venerarentur. Accedit, quod hic promiscuus cultus non possit non plenarium Numinis neglectum, conjunctioni hominum fatalem, post se trahere.

§. VI. *DEUM certo genere cultus ex animo profequere.* Præcepti hujus veritas pendet a veritate primi. Nam cui injunctum, ut credat, existere DEUM, h. e. Ens summe Potens, Optimum, unde hoc universum in esse suo processit; ei eodem negotio injunctum, ut hoc Ens religiose, nec in speciem solam, colat.

§. VII. *Cultus, quo afficis DEUM, sit ejus attributis conveniens.* Secus enim si fiat, non potest non provocari ira divina, generi humano ruinam minitans.

§. IIX. *De DEO nihil profare, nisi quod ipsius perfectioni, & tuæ imbecillitati, congruat.* Ita enim Autoritas Numinis Divini custoditur, quæ vinculum socialitatis est. Et metuenda destructio ejus, si continuis peccatis, tanquam recte factis, DEUM homines offenderent. Ecce hic summam Naturalium Legum, juxta quas hominis erga DEUM officia æstimanda sunt, & ad quas revocari Leges speciales possunt. Sequitur jam, ut excutiamus Leges, quæ hominem erga seipsum dirigunt. Inter eas primo loco est hæc:

K

§. IX.

§. IX. *Amplētere aliquod, idque honestum, vite genus.* Secus enim si esset, & quisque inutile pondus terram premeret, nulla stare posset societas; cum hominum conjunctio per hoc ipsum præcipue alatur, quod unus alterius necessitati subvenit.

§. X. *Annitere, ne corpori idonea alimenta desint.* Afflicto & laborante corpore, animus minus recte functiones suas obire potest. Quod si fingas, ab omnibus hominibus fieri, nulla inter homines conjunctio superare possit. Unde nec

§. XI. *Vires corporis attere.* Ob rationem eandem. Neque enim quis infirmo effoetoque corpore multum generi humano prodest; cum & pleræque res corpore gerantur, & animi alacritas futuris ejusdem sustineatur. Unde hoc præcepto, omnis intempestivus labor & intemperantia in cibo potuque, item venere, vetatur. Multo magis autem *αυτοχρεια*; & voluntaria sui vulneratio.

§. XII. *Animi tranquillitati stude.* Cum nulla capitalior, aut muneribus obeundis magis inimica; pestis sit, quam perturbatio, quæ animi præstringit oculos, hominem occæcat, denique ineptum ad vitæ munera exequenda facit. Quo nomine prohibentur ambitio, invidia, nimium habendi studium, libido, iracundia, inanis ægritudo, horror, omnes denique affectuum impetus, *αυταπειρα*, & mentis voluptatem, conturbantes.

§. XIII. *Penam ab Imperante legitimo tibi impo.*

*impositam patienter sustine.* Constituitur enim poena in hominum emendationem. *L. 20. ff. d. Pœn. Hopper. d. Vera Jurispr. L. 12. tit. 7.* Quam si respuere hominibus pro arbitrio ipsorum permisum esset, salva perennare socialitas non posset.

### SECTIO III.

#### De his, quæ sunt Jure Naturali indifferentia.

**S**I qua pars Juris Naturalis est, ad quam ultima nondum admota manus, hæc certe est, quæ de rebus indifferentibus tractat. Hanc enim doctrinam ubi improba cultura excusserit, in promptu erit decisio plurimarum controversiarum, quæ tanto fervore, animorumque contentione agitari solent. Pleræque enim Juris Naturalis non sunt, sed res mere indifferentes concernunt. Præcipua vero tam vani litigii causa, quod qualiscunque æquitatis species continuo pro Jure Naturali venditur; cum tamen maximum inter hæc duo discrimen intercedat. Quamvis enim aliquid communi generis humani conditioni necessario haud conveniat, aut disconveniat; propterea tamen non continuo deficient rationes, quæ alterutram partem commendent. Imo persæpe par rationum pondus utrobique deprehendas, ut mirum sit, nihilocius tam cæco fervore disputationis reciprocari ferram. Quapropter periculum hic faciemus,

an per ea, quæ hæcenus de fundamento Legibus Naturalibus subternendo dicta sunt, ulterioribus hac in parte dissidiis ansa præscindi, aut saltem eorum vanitas evidenter ostendi queat. Neque certum ordinem in recensendis controversiis servare libet; Sed adducere eas, excussumque ire, prout memoriæ quælibet se primum obtulerit.

QVÆST. ■

*An cultus Numinis Divini publicus certis sæcennitatibus peragendus jure Natura determinatus sit?* N. Neque enim ejus necessarius cum conditione generis humani & socialitatis salute nexus doceri potest; quantumvis speciosis contrarium rationibus propugnes. Nam aliquis DEI cultus Jure Naturali præceptus, quod supra ostendimus; an autem in publico is cœtu peragi debeat, non est determinatum. Nam & optimus animus pulcherrimus, testante *Seneca*, DEI cultus est. Et cultum Deorum optimum esse, eundemque castissimum, atque sanctissimum, ut eos semper pura, integra, incorrupta & mente, & voce veneris *Cic. de Nat. Deor. 2. 28.* pronunciat. Nec quo ad Legem naturalem interest, publica vox ea sit, an intra privatos parietes conclusa. Quid? quod ipsorum Christianorum omnis Religio *Lactant. Libr. 5. c. 9.* dicitur esse, *sine scelere & sine macula vivere.* Modus igitur publice colendi DEUM per Legem Naturalem definitus non est, sed determinationem omnem a Lege positiva capit. **Quis deter-**

determinatio tamen talis esse debet, ut voluntati atque attributis Divinis non disconveniat. Quo pertinet modus Nuggini per immolationem hominum litandi. Cum enim homines producti sint, ut globum hunc terrestrem tueantur, & socialitatem colant, non apparet, quomodo acceptus DEO esse possit cultus, qui generi humano idonea membra sine ratione subducit. Quamobrem minus recte obsecuti sunt rationi Galli, captivos sacrificantes Diis, *Cesare & Diodora* testibus. Quam superstitionem plurimis olim gentibus, & præcipue Peruvianis, Mexicanisque familiarem fuisse, passim docent Historiæ.

QVÆST. II.

*An peccet in Naturalem Legem, qui sui defensionem cum violenti & injusti aggressoris pernicie suscipit?* N. Nulla enim hic ostendi potest necessaria cum natura humana & socialitate disconvenientia, quam deficere, vel ex eo apparet, quod hoc tutela genus praxis communis, & inter omnes gentes recepta, confirmat, sine destructione humani generis. Quod enim urgetur, perdi sic mei similem, dari hoc modo majores turbas, quam si occisuro corpus patienter præbeam, & similia, nondum evincunt, necessario violentam hanc defensionem socialitati disconvenire, & illicitam eam proinde esse. Neque pro negativa infirmiores aut pauciores militant æquitatis Leges; sibi enim proximus quisque esse, nulla Lege prohibetur;



nec postulare a me possit, ut agam pacifice, nisi qui amicum erga me ostendat animum; neque damnum sentire videtur, quod sua quis culpa sentit, *vid. L. 203. ff. d. R. J.* Quod propter recte dicitur in *L. 3. ff. d. J. & J. Jure id evenire, ut, quod quisque ad tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur*, cum adversus periculum naturalis ratio permittat, se defendere. *L. 4. pr. ff. ad L. Aquil.* Præterea ex eo, quod violenta sui defensio ex numero permissorum est, apparet, neque eum peccato se obstringere, qui violenter invasus, ubi omnia declinandi, siue sui, siue alterius, cædem, remedia frustra tentaverit, suo potius, quam alterius sanguine, fatali dissidio finem imponit. Manifestum enim est, per patientiam hanc vinculum socialitatis necessario haud tolli. Nam & sæpe seu fuga, seu alia via, devitatur periculum, & in eam impietatem nunquam conspirabunt omnes homines, ut mutuo vitam impetant, nisi universam Naturæ Legem ab omnibus hominibus aliquando negligi posse, inepte censeas. Unde jam tanquam confectaria fluunt, quod quamvis multo præstantior quis aggressore sit, & a quo multo uberiora commoda in socialitatem redundant, nihil tamen delinquat, si alienam potius, quam propriam vitam conservet; Et versa vice, nihil in Legem Nat. peccet, qui invasoris multo se excellentioris, & præterea fortasse averse, mentis aut extreme ebrü, imo vel ipsius patris occisione, periclitantem salutem suam redemerit.

QUEST.

QVÆST. III.

*An legati, ab hostibus ad hostes missi, sint inviolabiles?* N. Neque enim inviolabilitas hæc involvit necessarium cum socialitate nexum, ita, ut sine illa salva hæc perennare non possit. Neque contrarium evincit, quod legati pacem promovendo socialitati consulant; largior, id nemo vero dixerit, si absque talibus legatis esset, amissam pacem restitui non posse. Suppetunt enim alii quoque modi, quibus inter pugnantes partes controversia finiri possit; dum nimirum vel arbitrium permetteretur tertio, vel usque eo continuaretur bellum, donec in ipso ejus ardore pacis consilia pars altera arriperet, effectuique daret. Igitur Legatorum saluti non Jus Nat. sed, quæ vim Legis habet, communis hominum quasi conventio, prospexit. vid. L. 7. ff. ad L. Jul. de Vi publ. & L. fin. ff. de Leg. ibique Gothofred. quod tamen, ut supra monitum, non nisi de iis Legatis capiendum, qui ad hostes destinantur. Legati enim, ab amicis venientes, sancti haud dubie ipsa Lege Naturæ sunt; non quatenus hanc induere personam, sed ex capite alio, quia nemo injuste ledendus, quod generale præceptum vel maxime amicos respicit.

QVÆST. IV.

*An contumaces in recta rationis dictamen fuerint Romani veteres, dum, memorante Agellio L. 4. c. 20. certis temporibus calibes ex formula*

*ensoria ad contrahendum matrimonium compellere?* N. Societas quippe conjugalıs nec præcepta, nec vetita Jure N. est, cum ejus necessaria cum natura humana sive convenientia sive inconvenientia doceri non possit. Quod scilicet de singulorum conjugio verum, & diversitas ea, quod in aliis præceptis contrarium, etiam cujusque individui, factum lædit socialitatem, quod in præcepto de matrimonio secus. Adeoque generale quidem naturæ præceptum omnino datur, quo ad inveniendum matrimonium, utpote sine quo salva sit socialitas nullo modo potest, obligatio hominibus injungitur. Sed enim præceptum illud indefinitum & indeterminatum est, quod vim suam in ordine ad singula individua quovis tempore haudquaquam exerit. Neque enim ex Titii aut Sempronii coelibatu solitudo & generis humani interitus metuendus. Ut proinde totius humani generis coelibatus, tanquam necessario socialitatem destruens, e numero vetitorum sit; Individuorum vero e classe permissorum; quæ cum materiis Legum positivarum sint; inde facile, quantum hic legislatori liceat, apparet. Recte igitur *Romani* fecerunt, ut & *Spartani*, qui *Lege multabant statuerent, præmam, non ducenti uxorem, alteram, sero ducenti Stobæus Serm. 65.* Et debebat commendare singulis conjunctionem hanc, ardentissimus, quem a natura insitum habemus, in sexum diversum appetitus & acre desiderium. Nam raræ generosæ illæ, atque exertæ animæ, quæ, integris viribus, libidinibus tamen

tamen stimulos haud lentunt, aut saltem in ipso ortu opprimunt, & domant.

QVAEST. V.

*An promissio, ad quam quis metu compulsus est, sit valida?* Difficilis hac semper visa, & impedita quaestio ob aerem Philosophorum pro parte utraque pugnam. Nam, qui affirmativam tenent, allegare solent, quod in tali promissione omnia producenda obligationis requisita concurrant. Ubi enim, mediante facultate adjudicativa, intellectus loci, temporis, & quae praeterea occurrunt, circumstantias exegit, iudiciumque suum super iisdem tulit, integrum esse voluntati pro libertate sua, dictamini huic intellectus se submittere, aut contrarium amplecti. Dum itaque ad eam partem, quam potiore iudicavit, intellectus se determinet, atque ad actus convenientes ei exercendos facultates inferiores moveat, simul significari, ipsam obligati positus his circumstantiis velle. vid. *Grot. d. J. B. & P. L. III. cap. XI. §. 7. Ziegl. ad eundem; item Simon ibidem p. 309.* Alii vero, qui invalidam promissionem talem declarant, ut *Vasquez, Covarruvias, Oslander ad Grot. c. l. p. 906. item Ludov. Molin. de Just. & Jure, L. 2. Disput. 326. n. 14. Pufendorf. d. J. N. & G. VI. X. & Vitrarius Inst. J. N. & G. L. II. c. XI. §. 14.* contendunt, quod promissio libera a coactione esse debeat, quod ad ejus validitatem desideretur in eo, qui alterum vult obstringere, ius obligandi, & sic deinceps. Mi-

hi omnis hæc lis vana & inanis videtur. Cum enim validitas, aut invaliditas, talis promissionis necessario socialitati neque congruat, neque disconveniat, inde manifestum est, præscindere ab utraque Naturæ Legem; ita, ut in statu naturali ejus sit, qui promisit, arbitrio relictum, volitne promissioni satisfacere, nec ne. Lex autem Civilis potest etiam pro efficaci, & quidem vel simpliciter, vel secundum quid, ut actio quidem in judicium deduci possit, sed quæ removeatur per oppositam exceptionem, vel etiam inefficaci, declarare; quorum tamen neutrum liceret, si hujus promissionis validitas præcepta aut prohibita Lege Naturæ esset.

#### QVAEST. VI.

*An peccet in L. N. qui in extrema inopia victus aut vastium, cum mortem effugiendi nullum aliud superest remedium, sive vi, sive clam, res alienas aufert? N.* Neque enim video, hinc socialitati destructionem imminere. Et sibi imputet qui non sponte præstitit, ad quod tenebatur naturali obligatione, quæ, cum alias non nisi imperfecta sit, hoc casu tamen vim perfectæ obligationis induere videtur.

#### QVAEST. VII.

*An liceat secundum N. Legem exigere ab extreme egenis hominibus usuras? Nullam prohibitivam in Natura Legem invenio. Quamvis enim quilibet sit obligatus ad subveniendum pauperibus,*  
id

id tamen trahi ad contractus non potest; in quibus personarum respectus regulariter abest. Accedit, quod ob cessans emolumentum & emergens damnum lucellum hoc creditori invideri non debeat. Atque hinc est, quod hodiernum, apud nos etiam, actione in foro civili intentata, consequi quis legitimas ab egeno debitore usuras possit; quod sane ita introduci Lege positiva non posset, nisi usurarum a paupere exactio indifferens quid Lege Naturæ foret, Confer. *Salmos. d. Usuris, cap. 10.*

QVAEST. IIX.

*An impuberes ex contractibus, a se initis, obligentur?* Hic vero nullam definitam Naturæ Legem novi. Judicii maturitatem ad contrahendam obligationem Jus Naturæ desiderat; sed enim, quo ætatis anno tanta se vis judicii exerat, quæ ad producendam obligationem sit habilis, non determinat. Rationis enim maturæ vigor in aliis citius, in aliis tardius, apparet. Unde si occurrat negotium, de cuius validitate ex Jure Naturæ pronuntiandum sit, habitus personarum contrahentium, quoad hoc requisitum, ex earum vita, moribus, & quotidianis actibus, æstimanda est. Et hinc, quia Jure Naturæ nihil hac in parte definitum, libertas determinandi Juri positivo competit. Quæ libertas tamen omnimoda non est; sed quodammodo restricta. Attemperari nimirum determinationem ratio naturalis jubet ad genium Nationis præcipue, ut prout maturius, vel serius communiter vis judicii se pro-

dere

dere in hominibus solet, ita etiam debilitati intellectus obligationem producendam impediendi brevior vel longior terminus statuatur; qui terminus tum legitimus & justus erit, etiamsi eo tempore in uno alterove individuo non adeo maturam iudicium deprehendatur. Imputet enim sibi, qui in excolenda intra illud tempus ratione non majorem diligentiam adhibuit. Atque sic lege Hebræorum cautum fuit, ut masculus anno 13. foemina autem 12. valide se obstringeret. Conf. *Grot. L. II. cap. XI. §. 5. n. 2.* & *Pufendorf. d. 7. N. & G. L. III. cap. VI. §. 5.* Similiter eorum, qui infirmioris ætatis sunt, negotia interdum nulla declarare, interdum per concessam restitutionem in integrum rescindere, dispositioni civili relictum est. Similiter Advocatum cum cliente de quota litis, vel patrem cum filio de bonis, etiam non castrensibus, pacisci, indifferens quid Jure Naturali est; inde & hic determinationi civili sua libertas, pro scopo, communem utilitatem habens, relicta est.

### QVAEST. IX.

*An ob fraudem incidentem, & pro objecto non nisi accidentale aliquid habentem, ipse contractus reddatur nullus? In neutram hic partem Naturæ Jus pronuntiat; Cum utrobique neque necessaria convenientia, neque absoluta disconvenientia cum conditione humani generis, & socialitate, appareat. Sive enim omnis contractus, etiam ob incidentem dolum, vitio nullitatis laboret, sive*  
 subli-

subſiſtat, & læſo experiundi ſolummodo adverſus alterum ad damnum, quod dolo paſſus eſt, reſarciendum licentia concedatur, nulla hinc neceſſario ſocialitatis deſtructio metuenda. Et hinc apparet, fruſtra contendere *Pufendorſium d. J. N. & G. L. III. cap. VI. §. 8.* quod, ſi dolus fuerit incidens circa rem ipſam, aut qualitatem rei ad præſens negotium ſpectantem, hæcenus pactum ſit vitioſum, ut in arbitrio decepti ſit, illud penitus diſſolvere, aut læſionis penſationem exigere; ſane enim libertas hæc læſo concedenda haud neceſſario cum ſocialitatis integritate cohæret; quod ex ſe manifeſtum. Et hinc *Pufendorſius* nonniſi rationibus quibusdam, æquitatis ſpeciem habentibus, pugnat, quibus oppoſiti ab adverſa parte aliæ non minus validæ rationes queunt. Profecto enim voluntatis conſentientis actus non dependet ab ea conditione, ſi hoc vel illud accidens, hæc vel illa qualitas, hoc aut illo modo ſe habuerit. Sed conſensus quoad contractus essentialia abſolutus eſt, & quæ ſub eſt conditio, nonniſi determinatam illam qualitatem reſpicit, intuitu cujus cum deficiat conſensus, ipſa promiſſio quidem, qualitatem illam reſpiciens, inanis eſt; verum propter hoc inutile totus contractus, quoad ſubſtantialia validus, reſcindi non debere videtur; Sed læſus poſtius damni ſolummodo penſationem exiget; quam ubi obtinuit, non erit amplius, cur conqueratur, cum in eo tum ſtatu res ſit, quem ſi ab initio fingamus fuiſſe, ipſe negotium contracturus erat. Nihil proinde accipiens reſtituere tenetur, quam-



quamvis promissio fundata sit in præsumptione certæ circumstantiæ, quæ postmodum aliter se habereprehenditur. Sed is, cui facta est promissio, si nihil adhuc acceperit, agere contra alterum ad satisfaciendum sibi potest. En rationum æquitatis conflictum hic! Nam in re indifferenti versamur, & quæ, ob deficientem necessarium cum generis humani conditione nexum, plane sub objectum Juris Naturæ non cadit. Integrum igitur Juri Civili fuit, alterutram amplecti partem, quod & factum: Cum eo jure dolus causam dans contractui eundem, si b. f. fit, nullum reddat; dolus e contrario incidens nec b. f. nec stricti Juris negotium, reddat invalidum. *L. 7. ff. d. Dol. mal. L. 16. §. 1. ff. de Minor. Conf. Schvwendendörf. ad Eck. L. IV. ff. T. 2. de Dol. mal. §. 5. Ludov. Molin. d. 7. §. 7. Tract. 2. D. 52. n. 4 seqq. Carpz. P. 2 C. 34. d. 9. Gail. L. 2. O. 2. n. 6. Vinn. L. 1. qu. 12. Struv. Exerc. VIII. §. 33.* Secus vero est, si promissio fundata sit in præsumptione certæ circumstantiæ, intuitu alterutrius contrahentium partis; quamvis enim ea postmodum aliter se habereprehendatur; tamen is, qui facta est promissio, si nihil adhuc acceperit, agere contra alterum ad satisfaciendum sibi potest. Ut ecce! si quis, metuens, ne in lite, quæ de ipsius domo mota est, succumbat, emat sibi aliam; non poterit a contractu ex hoc capite resilire, quod emptio ex parte ipsius se fundaverit in præsumptione facti non existentis. Cujus rei rationem ex Jure N. perlegantur reddat *Ziegl. Nos. in Gros. L. II. c. XI. §. 6.*

verb.

verb. *Si præsumptio fundata sit in præsumptione quadam facti*; cum ait: Volitio & nolitio, quæ ipsa non fuit, sed fuisset, si hæc vel illa conditio posita fuisset, non ponit, nec tollit, obligationem, sed posuisset, vel sustulisset, si conditio posita fuisset. Add. Joh. a Felde *Not. in Grot. c. l. verb. ad vitam*. Hujus enim rei necessarius cum socialitatis salute nexus in confesso est. Nisi enim ita esset, omnis commerciorum commoditas periret, cum pro lubitu pessimus quisque talem tacitam præsumptionem fingere posset. Unde liquet, quid sentiendum de *Grotii* opinione sit; cum existimat, nullam esse vim promissionis, quæ fundata sit in præsumptione alicujus facti, quod non ita se habeat. Nimirum restringenda hæc sunt, ut non procedant, nisi vel dolus alterius præsumptioni causam dederit, vel ea conditionis instar expressa & manifestata fuerit. Et hinc neque *Feldenus* satis feliciter *Grotianam* sententiam correxisse videtur; cum c. l. rem claris verbis sic expedire conatur: *Conventioncs aut sunt de subeundo negotio, quod ad communem vite utilitatem facit, aut de adijciendis legibus seu pactis, quibus negotium dirigitur. Conventiones de subeundis negotiis vel solo amicitie intuitu fiunt; vel aliam ob causam; ille si ex præsumptione facti inite sint, possunt ab eo, qui aliquid dare promisit, rescindi; quia alteri, rescisso negotio, propter errorem inito, nullum damnum infertur, aut leve; quod fortasse eam non coluisset, cum donante amicitiam. Ad quando utraque pars in aliquo prestando oneratur,*

tur, ab errore rescindere licebit, nisi aliter dolo suo errori causam dederit; tunc enim conqueri non potest, quia erroris causa fuit. Quod si circa pacta, contractui adjecta, error quidam intervenit, ex quo & bono illa limitanda, restringenda, aut invalida reddenda sunt, salvo manente contractu. Cur enim conventiones de subeundis negotiis ad communem utilitatem tendentibus solius amicitiae, propter quam initae sunt, iptuitu irritari debeant, causam nullam video. Et falsum hoc est praesuppositum, nullum alteri damnum inde nasci. Qui enim alterum habet, ad aliquid sibi praestandum, obligatum, rem ipsam quasi habere videtur; atque sic speratum ipsi & debitum lucrum interciperetur. Quid vero, si tertius, adhibito dolo, ad contrahendum me cum tertio, doli istius ignaro, induxerit, an negotium subsistere dicemus? Sed enim nihil naturae Jus, ob deficientem necessarium cum conditione humani generis nexum, hic definit; ut ut major aequitas pro ea parte militet, quae subsistere id pronunciat. Neque enim is, quocum contrahimus, in culpa est, quod ab alio nobis impositum. Sed tamen, ne deceptus damnum ob eam fraudem incurret, ad laesionis pensionem, & omne interesse praestandum, adversus decipientem experiri poterit. Conf. Pufendorf. d. J. N. & G. L. III. c. VI. §. 3. minus recte hic pro altera parte, tanquam Jure Naturae determinata, pugnantem.

QUEST.

QVÆST. X.

*An, illasa Natura Lege, fur ob quinque aureos surreptos suspendatur?* Imo ob obolum surreptum. Cogita enim, id ita per univèrsum orbem recipi, an inde socialitati necessariam cuiusdam prænantias? nam vides, hunc pœnæ rigorem necessarium cum naturæ humanæ conditione, saluteque socialitatis non involvere, ut proinde Natura Lege ob omni ea iniquitate absolvatur, & a mera Legis positivæ dispositione dependeat. In hoc vero erras, si credis, ob deficientem inter obiectum furti commissi, & pœnam ob id inflictam proportionem, eam vetari Naturali Jure. Nisi enim æqualitas ista præcise innexa generis humani salutis sit, locum non inter prohibita, sed indifferentia sortietur, de quibus disponendi liberrimum cuiusvis legislatori arbitrium relictum. Pœna capitalis autem furti hoc magis ab æquitate commendatur, quo acius eam ob delicti frequentiam publica salus apud nos efflagitat, cum ne sic quidem pessimos nebulones a turpissimo instituto revocari, experientia evincat.

QVÆST. XI.

*An venatio licite privatis adempta, & a Principibus sibi adscripta?* Quippe mi? Qui enim eo integritas vinculi, quo colligatur genus humanum, constat, si privatis feræ bestias, aut volucres capiendi licentia concedatur? Et hodie, ubi adempta est,

est, annon firmum & salvum manet? Non igitur est, cur in utramque partem pluribus rationibus pugnetur tam inani fervore.

### QVÆST. XII.

*An absolvantur etiam in conscientia Naturali Jure hostes, qui, capta per vim urbe, omnes indistincte, etiam fœminas & tenellos infantes, occidunt? Ne dubita. Nam ut quandoque a mitis ingenii hostibus parcat; tu vero fac, non parci. Non maturabuntur hinc socialitati fata; salva ea stabit, utut enses cruore hostili madeant: Cumque in hostem fere licentia in infinitum nocendi competat, neque data sit de parcendo fides, nihil erit, quo rigor hic Jure accusari possit.*

### QVÆST. XIII.

*An peccent in Naturalem Legem, qui in summa penuria in cibum sorte ductos, aut eos, qui sortem respuunt, extra eam jugulant? Non peccant, quicquid dubitet ac hæsitet Pufendorf. d. 7. N. & G. L. II. cap. VI. §. 3. Neque enim video, qui nexum generis humani, hæc in ultimo necessitatis casu data occidendi licentia, tollat. Imo, si rationum naturalium certamen ineundum, consultur socialitati potius, dum unius cæde plurium certissimus interitus redimitur. Nam quod allegatur lex homicidii prohibitiva; ea vires non nisi in casibus exerit, quibus, si occasio promissæ cen-*

seatur permiffa, neceffaria focialitatem ruina maneret; atque adeo ad hunc neceffitatis cafum Lex illa prohibitiva non porrigenda venit. Quod ut evidentiuf appereat, attendendum, cum quaeritur in genere: *An homicidium licitum fit?* Refponderi non poffe, cum quaefio fatis definita, & determinata nondum fit; aliud enim vetitum, aliud non eft, ut cum in fccleris commiffi ultionem maleficis a Magiftratu conficitur. Erit proinde illicita ea occifio, quae contra Jus fafque fufcepta eft. De quo ex Lege Naturali nonnifi per deprehenfam neceffariam cum conditione humani generis difconvenientiam conftat. Atque hoc idem fentendum de quaefione, circa quam decidendam pari modo Moraliftae torqueri folent: *An nimirum liceat tempore naufragii, cum, non levata navi, omnibus certo pereundum foret, ducta forte unum alterumve, etiam reluctantem, in mare praecipitare?* Nam quamvis miferanda haec fit falutis tuae assertio; nefaria tamen non eft, ob deficientem cum natura humana difconvenientiam neceffariam. Verum fubfifto hic; cum delibare hac vice faluberrimi fontis ubertatem, non penitus in eam immergi, vifum fit. Operam vero eo minus perdidiffe videbor, quo magis compendiarium mihi hac meditatione vitam aperui, ad innumeras Juris Naturalis quaefiones promte resolvendas, & vanitatem plurimarum, quae hic moveri folent, controverfiarum cognofcendam.

## DISSERTATIO V.

DE

NATURALI HOMICIDII  
ORUM QUORUNDAM IMP  
PUNITATE.

§. I.

**P**Ræsenti nostri thematis tractationem suscepturis non diu laborandum circa vocabulorum expositionem, cum illorum nullum ea obscuritate laboret, quæ in processu remoram lectori injicere possit. Ne tamen ulla ratione limites justæ methodi transilire videamur, paucis eorundem declarationem dabimus. Intelligimus igitur per *impunitatem* exemptionem a pœna, a defectu convenientiæ suscepti actus cum Lege descendente. Unde liquet, laxam hujus vocis, quæ vulgo obtinet, significationem multum hic a nobis restringi, & excludi illos actus, in quos quidem nulla in foro humano pœna statuitur, sed *avoué* tamen habent comitem; quod inde evenit, quia in foro humano inflictio pœnarum non tam ex ipsis delictis, quam relatione eorum ad Remp. æstimatur; ut hinc multi actus peccaminosi extra pœnam constituentur, qui tamen in foro Divino, propter aberrationem a Lege, pœnis utique subjacent. Neque enim tenetur Magistratus civilis quævis delicta contra

tra Jus Naturæ commissa punire. Quod eleganter deducit *Summum* illud ingenium, *Pufendorfius Elem. Jurispr. Univerf. Lib. 1. def. 13. §. 7.* ubi & alia habet, & hæc: *Quod si summa potestas civilis judicaverit, eam, quam dixi, societatem satis commode posse servari, etiam si præceptis aliquibus Juris Naturæ vis Legis Civilis non tribuatur, vix videtur eam teneri ad pœnas de istius violatoribus sumendas, saltem ubi ob peculiare civium ingenium, aut alias rationes, ex civili istius rei prohibitione majora incommoda videntur consecutura, quam ex ejusdem permissione.* Et strictiorem quidem istam nostram acceptionem adjecta vox *Naturalis* quoque indicat; dum innuit, de impunitate in foro conscientia & Divino nobis sermonem esse; quæ omnem disconvenientiam cum Legge & iniquitatem excludit. Denique *homicidium* nobis in genere, quod & etymologia monet, hominis occisionem notat. Vid. *Calv. Lex. Jurid. b. v.* Dumque etymon vocis sequimur, nihil omnino moramur eorum sententiam, qui omne homicidium iniquitatem involvere judicant, propterea, quod in se & sua natura turpe sit. Neque enim, quod sciam, eam autoritatem tam angusta significatio nacta est, ut vim vocis sequi, nefas habeatur. De perferitate autem illa, & intrinseca affectione actionum adeo non sentiamus magnifice, ut potius existinemus, neminem omnino esse, qui ullum sibi de ea conceptum roalem formare possit. Vid. *Dn. Pufendorf. passim, & præcipue in Erud. Scand.*



*cap. de Indiffer. Mot. Phys. in Aff. Mor. Add. L. 5. C. ad L. Corn. de Sicar. Nicol. Martin. Jurispr. Crimin. Diff. 4. Sect. I. n. 7. seqq.*

§. II. Quibus ita breviter præmissis, in rem præsentem venimus, ordine recensaturi casus, quibus ob homicidium commissum non contrahitur culpa, & proinde nec pœnæ reatus. Et primo quidem satis expeditæ veritatis est, uti nullum aliud factum, ita nec hominis occisionem patratore imputari posse, quoties non ab intentione quadam, & proacti processit. Quippe consilium & voluntatis decretum fundamentum imputativitatis delictorum est; quo deficiente, nec ea locum habet. Quo pertinet Actorum regula: *Delicta animus & propositum delinquentis distinguit.* Unde fluit, ab infante commissum homicidium ipsi imputari non posse, & recte *L. 12. ff. ad L. Corn. d. sic. ait,* innocentiam consilii ipsum tueri. Tenebræ ei æmæ & nebulae omnia, quæ obit, facta. Neque ad de his tantum est verum, qui nondum septem sunt, sed & majoribus natu, in quibus tamen vis rationis se nondum exerit. Quod cum in aliis maturius, in aliis tardius fiat; inde certus constitui terminus non potest, quo quis ob homicidium patratum crimen incurrat. Colligenda autem illa vis se exerentis intellectus, & inde fluens capacitas doli, est ex circumstantiis & effectu. Quæ doli capacitas vix intra annos infantie videtur dari posse, & prope ad fabulam accedit, quod commemorant de puero quinquenni, quem

ob execrandas, quas in DEUM eructasset, blasphemias, diabolus e parentum manibus diriperit. Quamvis vero in infantibus ob hanc intellectus innocentiam homicidium proprie puniri non possit, recte tamen propterea increpantur & verberantur; ut hoc ipso moneantur, ab eiusmodi actibus abstinendum esse, supprimaturque paulatim vis malorum seminum, quibus oppletum pectus gerunt. Quod tamen, uti dictum, a poena proprie sic dicta probe est discernendum. vid. *Puf. d. Off. H. & C. L. 1. c. 1. §. 25.* ubi recte, *id non ideo fieri, ait, quasi in foro humano poenam proprie dictam meriti sint, sed per modum nude emendationis & disciplina, ne per talia molestiam alijs facessant, aut ne pravam assuetudinem contrahant.* Conf. *Carpz. Pr. Crim. q. 143. n. 17. & 20.* ubi recenset *Scabinorum Lipsiensium* sententiam, qua iudicatum, virgis cedendum puerum, qui alii caput lapidis infelici ictu fata ipsi maturante percusserat.

§. III. Similiter immunis a reatu culpæ poenæque *furiosus* est, cujus insania cuiquam vitam stipuit. Fati enim hunc infelicitas mentis exilium patientem excusat. Hujus intellectui caligo quasi suffusa, qua obnubilatus caeco omnia agit impetu, expers consilii, & ne sui quidem conscius, ut in misero eo statu parum a belluis distet. Unde & *nullam ejus voluntatem esse*, recte in *L. 40. ff. d. R. J.* pronuntiatur. Add. *L. 2. §. 2. ff. d. Jur. Codic. L. pen. §. 2. ff. ad L. Pompej. d. parricid. Clem. Si furiosus. d. Homicid. Gail. L. 2. O. 110. n. 20. seqq. Vasq. Controv. Ilustr. L. III. c. 96. n. 9. Carpz. l. c. P. 3.*

*Q. 145. n. 10. seqq. Bald. in L. Humanitatis. C. d. Impub. & aliis subst. Quamobrem casu, non facto alicujus personæ, homicidium tale contigisse, censendum est. Illa vero questio, quæ hic a Jctis moveri solet: Utrum homicidii pena propter supervenientem furorem remitti, vel saltem mitigari, debeat? hujus loci non videtur esse, cum nobis de dispositione Juris N. sermo sit, quo propter superstitem culpam poenæ quoque reatus manet, nisi quidem ipsum furorem loco poenæ DEO infligi posse dicas. Eadem ignorantis & intellectus obfuscatio dormientes & noctambulos savientes excusat. Adus enim, quem suscipiunt, idem absque consilio & voluntate fit, ut hinc infantibus & furiosis merito equiparentur, tanquam omnis doli expertes, cum poenæ hominem non sit, præstare, qualia visa effingit phantasia in somno, quæ veluti cymba sine rectoris fluitet, uti eleganter *Pufendorfus* loquitur *d. O. H. & G. L. 1. §. 28.* Neque tamen omnem labem abstergit ab eo somnus, qui consuetudinis tam periculose generis non secubuit, foresque cubiculi sui probe observavit, ne vel exitus ipsi, vel alii aditus, pateret. Conf. *Aret. in L. R. de adulteriis, n. 9. ff. d. Acquir. poss. Damboud. de Crim. d. 8. n. 9. seqq. Besold. Thef. Pract. p. 20. lib. 5. tit. Schlaf. num. 37. item Bure. & Dotson in L. Ut vim. ff. d. Just. & Jur.**

§. IV. Pari cum hæcenus memoratis classe minime censendi ebrii, qui ultra sibi largiore potulenteriam usu cerebrum perturbarunt, usumque sane rationis

rationis abstulerunt. Quamvis enim homicidium ab iis patratum in se sit involuntarium, ubi plane sequestrata ratio, voluntarium tamen in sua causa est, ob sponte accessitum hoc malum; ut hinc ordium potius, quam favorem, recte ita sentiente *Pufendorffio*, actionibus per eandem susceptis ebrietas conciliare apta sit. Quo intuitu vanitatis arguit *Pittaci* sententia non potest, qui duplicem in ebrios delinquentes poenam statuit, conf. *Arif. La 4. Esch. & Polit.* Quamvis nec illa civilia iura argui iniquitatis possint, quae loco ordinariae extraordinariam hoc casu dicunt; cum utique nomine ea se intentione vino inurgitare praesumat, ut alium occidat, delicta autem animi propositum, ut supra dictum, desiderent; quale cum in ipsa ebrietate contrahenda interveniat, inde eoque recte dicitur se esse peccatum, & puniri a DEO. Vid. *Pufend. Elem. Jur. Univ. L. II. Obj. 4. n. 8. & Hobbes. d. Civ. c. 3. §. 25.* ubi ait, *eum, qui volens sciensque ea fecerit, quibus facultas naturalis destruitur, vel labefactatur, volentem scientemque legem naturae violare. Nihil enim interesse, nec prae officium faciat quis, an id faciat volens, quo minus officium implere possit. Rationis quidem autem facultatem destruere vel labefactare homines, qui faciunt ea, quibus mens de se suo naturali deurbatur, id quod contingat ebrietate, & crapula gubnatis. Conf. *Maeth. d. Crim. L. 47. tit. fin. c. 3. Covarr. ad Cap. Peccatum. d. 4. Quis 6. p. 27. 2. §. 5. num. 23.* Sequit est in eo,*

qui nulla sua culpa forte per vim aliorum adactus se inebriavit; ab eo enim in hoc statu turbulento commissum homicidium merito impunitum manet, quippe dicitur naturalis ratio, qui animum laedendi non habuit, sed lesionem involuntariam in se & in sua causa commisit, nullum restum contrahere. Vid. præterea hic *Anton. Fab. in Cod. L. 11. tit. 10. d. 7. Richter Vol. 2. Confil. 348. n. 18. Berman. ad Tit. d. Pen. n. 30.*

§. V. Præterea casuale quoque homicidium nemini in foro conscientiarum imputatur, cum itidem ab animi destinatione non procedat. Igitur quæ hic intervenit læsio, fati infelicitati tribuenda. Vid. *L. 25. ff. d. R. 7. Ut si venator, in sylva feram trajecturus, hominem, e dumetis forte erumpentem, percutiat; aut in loco consveto ad jactum pilei ferrei ludens cuiquam fata maturaverit. Add. L. 1. C. ad L. Cornel. d. Sicar. L. 31. ff. ad L. Aquil. art. 146. Confil. Crim.* Recte vero in hoc negotio *Juri Romani* distinguunt inter homicidium *more casuale*, quod ab omni injustitiæ nota immune est, & *culpofum*, quod a præcedente culpa procedit; Quo casu poenæ reus utique patratore fit: ut si, qui nescit moderari equo, eundem ascendat, isque, in eursum improvisum effusus, infantem suis unguis proterat; item, si Medicus, in arte sua non rite exercitatus, perperam ægro medicamentum porrigat. Quamvis enim hujusmodi homicidium *culpofum* gravitate *dolosum* haud æquet, poenæ tamen reatum in subiecto delinquente producit, & merito fodi-

fodiat, stimulisque conscientiam pervellit. Igitur, ut occisio hominis mero casui imputetur, desideratur 1. ut actus, qui homicidio occasionem dedit, circa rem licitam versetur. 2. Ut justo tempore, & congruo loco, actus exercentur. Unde haud dubie tenetur tonsor, qui barbam alicui in loco, ubi pilae ludus exercetur, radit, si percussa ipsius impetuque impulsam manus gulam homini praesciderit. 3. Ut ne quis in actus suscepti exercitio negligenter versetur, sed debitam adhibeat industriam. *Conf. Socin. Vol. 1. Conf. 16. Gail. L. II. Obs. 110. Vass. Quest. III. L. 1. c. 19. n. 15.*

§. VI. Neque vero excusationem homicidii meretur in calore iracundiae commissum. Quamvis enim periculosa instar tempestatis ira sit, quae, ubi incendit hominis animum, ad insaniam usque perturbat; ejus tamen vis prima saltem ab homine cohiberi potest, & si vel maxime vehementissimo impetu invaluerit, usque eo tamen in sua eam homo potestate habet, ut prohibere possit, quo minus in actum extremum erumpat. *Pufend. d. O. H. §. C. L. 1. c. 1. §. 14.* Grave igitur, nisi refranctur tam turbulentus affectus, committitur peccatum, quod impunitum abire Divina Nemesis haud sinit. In foro tamen civili per commiserationem mitigari solet iis poena, qui hoc veluti caeco perciti delicto se obstrinxerunt; quod tum vel maxime absque equitate commendatur, si quis contumeliosis verbis, aut alia gravi injuria, praeter meritum, lacessitus;

tus, ad hæc ultima pervenit; Quod ultio ad defensionis confinia propius accedit.

§. VII. Maritum illæsa conscientia uxorem confodere in adulterio deprehensam, ostensam in resolutione quæstionis: *An violenta defensio adversus aggressorem in casu necessitatis sit permissa?* Nam difficillimum est, hic regere dolorem, & permittente Lege Civili maritus tali casu vicem quasi Magistratus subit, debitaque pœna tantum uxoris nefas coërcet. Secus est, si maritus absque cæde uxorem deterrere a tali injuria sibi inferenda potuisset; tum enim, si eam occidit, hæud dubie magnum crimen incurrit, pœnamque meretur; occurrere enim tam malo, & ne sceleratum propositum exequatur, prohibere potest.

§. VIII. Magistratus quin sine crimine facinorosos de vita exturbet, ambigi vix potest. Est enim is *DEI imago*, *Plutarcho* teste dicente, et jusque viæ in delicta animadvertit, aliove modo jus in vitam subditorum exercet, vel directe, vel indirecte; quod tum contingit, quando Princeps non intendit quidem subditorum necem, sed ita tamen ipsis utitur, ut in vitæ discrimen ipsos adducat. Cum enim contra ingruentem hostium impetum periclitans Resp. defendi non possit, nisi ejus tutelam cives cum privata salutis periculo suscipiant; inde, si aliter res inclinatur fitti nequeat, recte ancipitis belli munera obire jubentur. Vid. *Pufendorf. d. O. P. & C. L. II. c. 13. n. 2.* Quod adeo verum, ut ne quidem sub injustitia præ-

prætextu civi bellum declinare sit integrum. Utrum enim æquitate muniantur arma, an iniquitatis sibi maculam aspersam gerant, de eo nefas iudicare civem, cui sola obsequii sui relicta gloria. Nec rationes ipsi de eo Numini Divino aliquando reddendæ, an justum bellum, in quo militavit, fuerit, sed, an demandatas sibi in eo partes strenue obierit, dictoque audiens imperanti fuerit, cum meri instrumenti vicem sustineat, cui effectui adhærens moraliter nihil quicquam imputatur; cum sedulo distingvendum sit inter id, quod quis nomine proprio, & tanquam civis, & quod per modum meræ executionis patrat, qua ratione haud dubie sæpenumero exerceri a cive potest licite actus, quo patrato ipse imperans peccat. *Pufend. c. 1. §. 12. §. 9.* Directe jus in subditorum vitam potestas civilis exercet, cum propter delicta gravia, & Rempublicam lædentia, capitalibus eos pœnis afficit. Hunc enim in finem gladius ei datus, *Rom. 13.* quo salutem Reipublicæ strenue tueatur, & crimina in aliorum terrorem puniat. *Add. C. Qui maridos. caus. 23. quest. 3.* Secus longe est, si magistratus innocentem quempiam ad capitale abstrahi supplicium jusserit. Quippe hic abusus potestatis a DEO acceptæ est, in quem suo tempore gravi ipse vindicta animadversurus est. Pretiosus sanguis humanus, in quo effundendo circumspicte agendum. Animadvertit hoc laudatissimus Imperator *Carolus VI.* cum in *Const. Crim. art. 150.* tali casu Jurisprudentiam Collegia consulti a Ma-



a Magistratu voluit. Et merito idem, si ex pro-  
 cere si aliquem occidi insontem jussit, pœna or-  
 dinaria afficitur. Conf. *Brunneman. ad L. 1. ff. ad  
 L. Jul. Repet. Coler. P. 2. Decif. 121. n. 21. Meier. in  
 C. A. ad tit. ff. ad L. Cornel. d. Sicar. Gornetz.  
 variar. Resolut. P. 3. cap. 3. Clafen. ad art. 156.  
 O. C. C. V.* Imo ipsi insonti exire vitæ periculum  
 per sententiam condemnatoriam inferioris cujus-  
 dam Magistratus male judicantis, imminens licet  
 occisione lictoris, aut cujuscunque ministri, a quo  
 ad capitale supplicium contra fas perducitur. Ut  
 enim is non delinquat, magistratus jussa exe-  
 quendo, sufficit tamen, injuste impeti a magistra-  
 tu vitam ejus, & favor necessitatis efficit, ut  
 malum hoc constantia humana majus quacunque  
 ratione effugere liceat. vid. *Hemberg. d. Necess. de-  
 fens. quest. 5. Strykius in Diss. d. For. Consc. c. 6.  
 n. 8. seqq.*

§. IX. Aliter se res cum eorum actionibus  
 habet, qui superiorem non agnoscunt. Quicquid  
 enim hi peccent, aut in subditorum vitam bona-  
 que læviant, fas tamen haud est, defensionis præ-  
 textu arma contra eos capessere: Nam etiam in-  
 quo Imperanti, non secus, atque justo, obtempe-  
 randum est. Et possime Principibus foret consul-  
 tum, si facultatem de ipsorum factis cognoscendi,  
 inque eadem animadvertendi, sibi subditi sume-  
 rent. Cum sæpe rectæ indolis & probi Princi-  
 pes nefariorum hominum sub vano & invidioso  
 tyrannidis prætextu præda forent. *Apostolum*  
 audi

audi recte inculcantem : *Omnem potestatem a DEO esse ; & qui resistit potestati, DEI ordinationi resistere. Rom. 13. add. 1. Petr. II. Cui convenit Chrysostomi in Homilia de Davide & Saula sententia, cum existimat: Principes utcumque nefarios, crudeles atque impios, si non propter se eorumque malitiam, propter illum tamen, qui eos elegit, esse venerandos & cum bonare metuendos. In quem sensum Ambrosius etiam in libro, qui Apologia Davidis est, non pauca habet. Injustitia & iniquitas Principum uti culpæ nostræ tribuenda ; ita æquo ferenda animo, quod idem melius Scriptor alibi his verbis præclare expressit: Si non recte se habent Reipublicæ negotia, Principum non est causa, sed nostræ, scilicet populi iniquitas, pœna est pro nostris sceleribus exalta. Illa imperium sursum deorsum miscuerunt ; illa, quicquid est calamitatum, invexerunt ; ita armarunt hostes, illa fecerunt, ut victi discederemus : non aliunde nobis examen malorum inundavit, quam ex hac causa. Proinde quamvis Abraham quispiam esset, qui imperaret, quamvis Moses, quamvis David, quamvis Salomo ille sapientissimus, quamvis omnium hominum flagitiosissimus ; si nos male vivimus, nihil interest, qualis ille sit, quantum ad causam malorum. Quoniam si transgressor fuerit, si temere nulloque consilio feratur, nostra incogitantia, nostraque temeritas saltem genuit Principem, nostra commissa plagam accerserunt. Job. XXXIV. vs. XIII. Igitur mala, quæ*

a Priore

a Principibus nobis imminent, nihil aliud, quam  
 aures nobis vellicant, ut feria de peccatis peni-  
 tentia ad DEUM revertamur, ea de cætero pacien-  
 ter feramus, illius memores: *Damnum, quod qui  
 sua culpa sensit, non sentire videtur.* Nihil est,  
 quod excipias, sui defensionem cuique per ipsum  
 naturæ instinctum competere. Quippe instinctus  
 hic ad justitiæ regulas attemperandus; & sæpe in  
 objecta a bonitate quam maxime abhorrentia in-  
 stinctu naturali feritur. Objiciunt secundo,  
 quod defensio, quæ Juris Naturalis sit, extingui  
 per Magistratum civilem haud possit. At enim  
 de hoc est quæstio, utrum defensio adversus Prin-  
 cipem Juris Nat. sit; quam potius veritam ex ra-  
 tione & Natura Imperii Civilis contendimus. An  
 præterea: Principi committi a DEO reipublicæ fa-  
 sces, ut proficiat, non ut obstat, ut tutelam subdito-  
 rum, non servitutem, suscipiat, memineritque, non  
 tam sibi Rempublicam, quam se ipsi datum. Et  
 hæc quidem ita recte; sed nonne vides, ubi ex  
 hoc fundamento eruere, quod propositum est,  
 velis, vacillare nexum? Ut enim ad hæc obstrin-  
 gatur Princeps, reddere tamen de iis necessariis sub-  
 ditorum tenetur rationem, verum omne de eo ju-  
 dictum soli sibi DEUS, tanquam supremus Monar-  
 cha, vindicat.

§. X. Lictores & carnifices maleficos iussa  
 judicis recte obtruncare, ambigi non potest. Il-  
 li enim officii sui partes obeunt, & quod in man-  
 datis habent, exequantur, de justitia vel injustitia

late

late sententiæ parum solliciti. *C. Sicut homicidium. 41. caus. 23. qu. 5.* Et cum in crimina severe animadverti salus Reipublicæ, ut supra vidimus, exigat, sequitur, executores quoque poenarum extra crimen constitui. *Damboud. Pr. Crim. 1. 155. num.* Recte *Augustin. d. Lib. Arbitr. L. 1. ait, quod, quando minister justitiæ occidat aliquem, non ipse occidat, sed lex.* Sed, an is quoque extra homicidii crimen, qui in colluctatione & ludo, virtutis exercendæ causa recepto, aliquem occidit? Jus certe Civile nihil hic metuere jubet; & ne quidem actioni ex *L. Aquilia* relinquit locum, per *L. Quæ actio. §. Si quis. ad L. Aquil.* Et hæc consuetudo licite in ejusmodi colluctatione vitam alteri eripiendi inter plerasque gentes invaluit. De *Spartibus* id *Am. de Petro* testatur, cum in *L. Dolo malo. de Serv. corrupt.* ait: *Senes homines in bacchanalibus ludunt pugnis, publice & indistincte,obiles & ignobiles, & memini, me sæpius videre summos patritios & professores pugnare, & si quis in illo ludo moreretur, nulla erat poena, sed præsumebatur homicidium mero casu factum.* Rites quoque stas temporibus homines armis induti, velut cum hostibus justo bello decertandum esset, congregiuntur. Idem de pueris *Bononicis* memorat *Ancharanus cas. 275.* Et ita in ludo torneamentorum olim receptum fuisse; per vulgatum est. Add. *Carrer. Pr. Caus. Crim. p. 218. Dec. L. 1. Conf. 9.* Verum enim vero ut talis consuetudo a poena civili immunem quem præ-

M

stet;

stet; neququam tamen eundem in conscientia absolvet, sed ingeret potius metum poenarum divinarum, quæ in violationem Legum Naturalium statutz sunt. Quod adeo verum, ut, quamvis publica autoritate talis mos robur accipiat, vindicare tamen ab iniquitatis nota non possit homicidium. Utut enim eorum actuum, in quibus perficiendis meri quis ministri & executoris munere defungitur, injustitia non ipsi, sed præcipienti a DEO imputetur; id tamen in proposito casu longe secus est. Neque enim hic nuda executio actionis suscipitur, sed utique actio exercetur propria, cujus moralitas proinde patrantem principaliter respicit. Non igitur ferendæ ejusmodi consuetudines; sed e Republica exterminandæ, tanquam materiam delinquendi largissimam suppeditantes. Add. C. fin. X. de Consves.

§. XI. Quæritur: *Quid dicendum sit de homicidio, in autore rixæ perpetrato, utrum impunitatem præstet, nec ne?* Ubi videndum, quousque violentia autoris rixæ processerit; Nam si usque eo res deducta fuerit, ut provocans, provecta violentia, præsens admoveat vitæ periculum, haud dubie ipsius cæde exire instans discrimen licet. Quamdiu autem insultantis licentia intra sola verba, aut facta, cum vitæ periculo haud conjuncta, consistit, armis eandem ulcisci nefas. Quod inconsulto a se fervore, in amicorum carissimo, sui que servatore, *Clito*, factum sera poenitentia *Alexander M.* deploravit. Vid. *Q. Curt.* In foro, tamen hu-

no haud inconueniens, mitius hoc casu homicidium puniri, quam si ex proposito, animoque deliberato, commisisset nefas. Conf. Bart. in L. Eum, qui nocentem. ff. d. Injur. Alex. Conf. 144. Dec. in L. Ut vim. ff. d. Just. & Jur. Quippe pro eo militat praesumptio, quod defendendi magis, quam offendendi gratia, ad arma pervenerit. Cap. Conf. 29. Eadem distinctione expediri potest quaestio: *Utrum minarum alterius de occidendo effectum praevenire ipsius cade liceat?* Nam si de seria eius intentione constet, eademque representari in continente possit, jamque ipse captis armis in me incurrat, cum aliud medium discrimen declinandi non suppetat, ambigendum non est, aequitatem defensionis constare, qua comminationis jam hucusque provec̄tae omen avertō. Secus est, si inanes minae, tanquam fulmen ex pelvi, janciantur, his enim violentum auxilium opponi non potest, quamvis conqueri de iis in foro civili liceat, ut mirantis effrons malitia coerceatur; ne longius grassetur. Eodem distinctio recidit, quae vulgo his adhiberi solet inter *justum & injustum*, sive *inanem metum*. Uterque enim ex qualitate minantis, aliisque circumstantiis, metiendus est. *Jas. in L. 1. n. 27. C. d. Serv. fugitiv.*

§. XII. Multum igitur a veritatis tramite aberrant ii, qui existimant, quod, si is adversarius minas adhibeat, qui exequi eas consueverit, defensio tunc protinus licita ob solas minas sit, *justumque metum non solum ex ratione praesentis*

atque instantis periculi, sed etiam futuri propinqui æstimant. Sane ex consuetudine representandi mala, quæ quis minatur, non fluit jus, vi cujus eum subito violenter adoriri fas sit. Quippe fuga for- tasse, aliisve modis, periculum evitari potest. Quam- obrem solæ minæ non armis, aut alia violentis, confestim excipiendæ, sed tunc demum, ubi in præsens quis vitæ se discrimen conjectum videt, ut appareat, moliri jam alterum minarum, quæ adhibuit, executionem, ut si ensen strictum arri- peret, inque alterum ferretur; quippe tum in po- tentia proxima nocendi constitutus esset; & si longiores hic necerentur moræ, sero postea de- fensio pararetur. Igitur hic expendendæ sunt cir- cumstantiæ, ne quælibet minæ, ex calore iracun- diæ brevi exspiraturo sæpius profectæ, capitales censeantur.

§. XIII. *Quid vero de bonis dicendum, an  
& pro horum defensione capere licebit arma?*  
Negant constanter multi; rationibus speciem haud contemnendam præ se ferentibus adducti. Et o- mnium maxime quidem urgent, quod præstantis- sima inter omnes creaturas homo sit, qui imagi- nem Dei gerat, cujusque imperio omnia, quæ sint producta, subjaceant; & de quo recte *Poëta*:

*Ignæus est illi vigor, & cælestis origo.*

Quod contra vilissimæ res bona sint, fluxæ, & sub- ditæ mutabili forti; ut hinc nulla bonorum ad vi- tam hominis sit proportio. Præterea in eo diver- sitatis

fitatis rationem quæzunt, quod erepta bona recuperari juris remedio possint, quod contra in vitæ defensione cesset. At enim verior haud dubie contrariis sententia, quæ violentam bonorum defensionem ab omni iniquitatis macula assertum it. Quippe in expedito est, rebus vitam humanam constare, & si absque iis foret, homini parcendum esse. Cui igitur jus datur ad vitam tuendam, ei non potest non facultas quoque competere, ad bona defendenda, tanquam media, sine quibus ad eum finem perveniri non potest; & oppugnare corpus meum videtur, qui vult efficere, quo minus id conservari queat. Liquidum præterea, non posse salvam atque tranquillam perennare humanam societatem, nisi fas esset, violentam suarum rerum tutelam obire. Neque tamen indistincte cuivis bonorum invasori hostilia reponere permissum; sed probe hic secernenda, quæ in statu naturali licent, ab iis, quæ civi facere permissum. In statu naturali enim vel minimæ rei nostræ attentatam extortionem avertere eade aggressoris licet. Cujus solidam rationem Rufendorffius reddit, cum in *Tract. de Jur. Nat. & Gent. L. II. c. 5. §. 16.* ait: *In statu naturali, qui injuriam qualemcunque dolo malo intencat, hostis evadit, qui quo minus extrema quaque patiatur, nullo jure, quod in ipso habeat, munitur. Et cum alter non plus juris ad res meas, quam vitam eripiendam habeat, non minus potestatis mihi ad illas, quam hanc defendendam competit. Hac*



vero tam late patens facultas angustis limitibus coercita in statu civili est. Cum enim hic Magistratus detur, cui in delicta animadvertere, & cujusque bona tueri incumbit; inde pro rerum defensione non prius ad extrema pervenire licet, quam ejus auxilium implorare periculi magnitudo non sinat. vid. *Pufendorf. loc. cit.* ut proinde certis casibus haud dubie violenta bonorum defensio sit permiffa; tanquam rerum, sine quibus vita conservari non potest; quo intuitu haud inepte eadem *secundum hominis sanguinem* vocat *gl. in L. Advocati. C. d. Advoc. divers. judic. & L. Sive. C. ad L. Jul. Majest. pauperi vitam ducenti vitam supplicium, mortem solatium esse*, recte indigitat. Pecunia est, quæ imperat humanæ vitæ, quæ orbis regina futuræque necessitatis quasi fidejussor est. Confer hic præcipue *Cic. L. 2. & 3. de Finib. Ad. Joann. de Lignano in Tractatu de Bello, cap. 104.*

§. XIV. Et hujus sententiæ veritatem nihil evertunt, quæ supra objecta sunt. Quod enim vitæ bonorum allegatur; notandum, eandem in dubium non vocari, si bona in sua essentia, & præscindendo ab eorumdem usu atque necessitate spectentur, plurimum vero dignationis bonorum possessioni accedere, si quis recta secum æstimatione perpendat, non posse diuturnam jucundamque vitæ usuram sine bonis consistere, ut proinde non simpliciter spectanda ea sint, sed intuitu conservationis vitæ, cum qua necessarium nexum involvunt. Alter scrupulus jam exortus principali re-

sponso-

sponsione est. Quoties enim circumstantiæ certam  
 spem ingerunt, fore, ut remedio ordinario amissa  
 recuperentur, a violenta honorum defensione ab-  
 stinendum non secus, atque si vita extra discrimen  
 constituta sit. Vanum est, quod contrariæ sen-  
 tentiæ patroni robur in eo quærunt, quod lex ob  
 corpora tantum, non rerum violentam defensio-  
 nem impunitatem concedat. Nam pro argumen-  
 to usurpant, quod in quæstione est, cum id ipsam  
 negetur, impunitatem illam non nisi ad vitæ tu-  
 telam pertinere, nisi hanc latius capias, prout o-  
 mnia ad eam necessaria suo ambitu includit. Multi  
 quoque præsidium collocant in *L. 3. ff. de J. & J.*  
 ubi dicitur, *Jure hoc evenire, ut quod quisque ad*  
*tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existime-*  
*tur.* At enim & hoc valde exile est. Præterquam  
 enim, quod incongruum, in quæstione Juris Nat.  
 legem civilem, tanquam probantem, adducere, haud  
 dubie citata Lex rerum defensionem implicite com-  
 prehendit; cum juxta pervulgatam regulam unius  
 inclusio, alterius exclusio non sit; præsertim cum  
 sententia hæc nostra haud obscure confirmetur per  
*L. 4. §. 1. ff. ad L. Aquil.* ubi refertur *L. XII.*  
*Tab. vi* cujus licentia quique datur, furem noctur-  
 num occidendi; quæ facultas sine dubio propter-  
 ea tribuitur, quod a nocturno fure per tenebras  
 facile fugam molituro non possunt ablata recupe-  
 rari, uti in fure diurno contingit; qui non difficul-  
 ter detineri, atque ad Judicem perducitur, potest. Et  
 hinc infeliciter hujus inter diurnum & noctur-

num furem discriminis rationem in eo quaerunt nonnulli, quod gravius delictum nocturnus, quam diurnus fur committat; siquidem ille animum occidendi habeat. Falsum enim est, quemvis nocte furantem habere interficiendi quoque propositum, quamvis per accidens vita quoque supervenientis domini periclitari possit, quo casu furis occisio ob duplicem causam licita redditur. Quod accurate exequitur *Pufendorf. de Jure Nat. et Gentium, Lib. 11. cap. 5. §. 17. Et 18.*

§. XV. Pater quoque impune, nisi Lex prohibitiva civilis adsit, occidit adulterum, aut stupratorem, in flagranti crimine cum filia deprehensum. Quippe efficit & foelerum atrocitas, & macula, quae per id familiae inaritur, ne regere pater dolorem queat; & censetur tali casu patri aequae ac marito Lex poenae capitalis ob tantum crimen imponendae executionem commisisse, ut hinc non sit, cur ob talem ordem conscientiam inani dolore affligat. Eadem impunitas occisionem transfugae committitur, qui capi non potest. Is enim partes nostras deserens hostilem animum induit, & sic abruptam obligationem sibi incumbentem, adeoque vitam quoque eripiendi licentiam permittit. Quod ceterius faciendum, quo magis metuendum, ne hostibus transfuga suorum partium secreta revelet. Unde & illud in apriço est, hostibus in genere licite in bello vitam eripi. Cum enim hi ex sua parte abruperint obligationem naturalem; inde aptitudine destituuntur, recipiendi ab aliis congrua officia,

officia, utpote quæ mutuum respectum involvunt. *Conf. Grot. d. J. B. G. P. L. III. c. 4. n. 5.* Neque ulla hic cogit necessitas, hanc occidendi facultatem intra hostium arma gerentium personas coarctare; cum qui hostilem præseferunt animum, licentiam in infinitum sibi nocendi tacite alteri concedat; quod si vero infinita ea est, recte etiam ad literatos, & foeminas, apud hostes comandantes, extenditur. Quamvis tali casu teneri conscientia melius haud dubie consulat victor, si rigorem hunc temperet, & saltem iis pascat, qui nec armis, nec consiliis, nocere; sed inanes animas hi scrupuli ab iis, quibus solida ratio subest, probe sunt distinguendi. Requiritur vero præterea ad comparandam in conscientia securitatem, ut non sit notoria belli, quod geritur, injustitia; hæc enim merito militis animum perterret, in hostes innocentes sevituri; puta, si quis sub Turcarum, aut aliorum infidelium sigis contra Christianos militet. *Add. Frisfel. in Mil. Pæc. convict. d. 1. g. Alciat. in L. 239. ff. d. V. S. Facbin. Gantovers. Lib. 9. c. 58. Duaren. ad L. 1. ff. d. Conspicuum.* Sed sufficiat hic memoratorum homicidiorum, quamvis & alia, quæ adduci possint, non desint, impunitatem, iuxta ingenii nostri vires deducisse. Sistimus proinde pedem, Numinique Divino concessis nobis gratiæ auxiliique immortalis gratiæ persolvimus.

## DISSERTATIO VI.

DE

VIOLENTA SUI DEFEN-  
SIONE.

§. I.

**Q**uamvis arctum mutuae cognationis vinculum homines jungat, & hinc utique hominem homini insidiari, nefas sit, *L. 5. ff. d. 7. & 7.* frequenter tamen mortalium nequiores, obligationis hujus parum memores in alios invadunt, & damnum ipsis inferre aggrediuntur. Unde, quid alteri hoc casu liceat, & an violenta sui defensio permessa ipsi sit, diligenti jam consideratione rimabimur. In qua tractatione, ne fines decentis ordinis transgrediamur, quaestioni propositae excussioni praemittemus terminorum, quibus ea involuta, expositionem. Neque hic laborandum diu, cum nulla fere difficultas hic. Nam per *aggressorem* manifestatum est, nos intelligere eum, qui contra fas & obligationem sibi incumbentem alterum, ei nociturus, invadit. *Defensio* autem est propulsatio imminentis periculi, atque offensionis; ad quam necessariam habitudinem defensio involvit. Quot modis alias defensionis vocabulum accipitur, vid. ap. *Actus* praecipue. Cum vero defensio duplex sit, quae vel cum, vel sine aggressoris laesione peragitur, nobis non de hac, quae nihil difficultatis habet, sed illa potissi-

potissimum sermo est. Vocabulum *Necessitatis* indicat, in hac defensionis materia eum spectari casum, quo, nisi quis vim opponat, periculum evitari non potest.

§. II. Devenimus igitur jam ad questionem propositam: *An violenta defensio adversus aggressorem in casu necessitatis sit permissa?* Quam affirmative decidere nulli dubitamus, ob firmissimum fundamenti, quo subnixæ sententiæ affirmativa est, robur. Et primam quidem ejus rationem ab *instinctu naturali* depromimus, quo anxiam sui curam, ipsa natura incitante, homines agunt, & ad sui conservationem ardentissimo amore feruntur. Neque enim is a natura, quæ frustra nihil agit, inditus ob aliam videtur causam, quam, ut eo homines ad sui tutelam uterentur. Atque hic tam ardens stimulus non homines solos urit, sed & bruta ad curam eandem agit. De quo *Cicero Lib. 1. Offic. Ad. L. 1. §. 11. ad L. Aquil.* Qui instinctus tenerrimus apprimè convenit naturæ, in producendo homine, intentioni. Cum enim deberet is socialem vitam colere, excitandus utique ad salutem suam conservandam erat. *Conf. Pufend. de J. N. & G. Lib. V. c. 5.*

§. III. Præterea veritas assertionis nostræ roboratur inde, quod *defensio talis non involvat necessariam cum socialitate disconvenientiam*, cum, si secus foret, & offensio secure, sine defensionis metu, exerceretur, multo promptiores ad injurias & damna inferenda homines mali futuri essent.

Acco-

Accedit, quod violentus aggressor ausu suo tam nefando, Leges Naturæ violat, adeoque ineptum se reddit ad pacis officia, a me recipienda. Respiciunt enim hæc socialitatem, quæ mutuam respectum involvit, atque adeo obligationem ad colendam pacem cessare facit, ubi alter, eadem spreto, vim atque arma stringere in me aggressus fuerit. Et effrontis stultitiæ id sane foret, postulare, ut ego inviolabilem & sacrosanctum habeam, qui ad perniciem mihi maturandam animum atque consilia sua intendit. *Conf. Grot. L. 1. c. 2. & c. 3. §. 3. Puffendorf. c. 1.* qui argumentum ita ulterius deducit, ut dicat, omnia alia bona, quæ natura aut industria nobis concessit, frustra concessa fore, si alteri, injuste invadenti, illa vim non liceret opponere, & paratam prædam improbis expositos fore probos, siquidem illi hæc vim nunquam deberent opponere. Quod egregie *Jus Civile Romanum* exprimit in *L. 5. ff. de J. & J.* ubi habetur, quod jure hoc eveniat, ut quod quisque ad tutelam corporis sui fecerit, id jure fecisse existimetur, cumque inter nos cognationem quandam natura constituerit; consequens esse, hominem homini insidiari nefas. Quo pertinent etiam vulgatæ regulæ: *Amor ordinatus a se ipsa incipit; & sibi quisque est proximus.*

§. IV. Ratio etiam cognationis, quæ quisque cum se, tum alios, & diversimode quidem contingit, fundamentum liquidum nostræ sententiæ constituit. Quæ cognatio, quomodo compar-

parata sit, non facilius concipi fortasse potest, quam per *lineam cochlearem*. Hominis enim cujusque animus in ea internum illud & primum punctum, unde toti lineæ origo, absolvit. Proximus circa eam orbis corpus est, quod animus sibi injectum circumfert. Cumque arctissima inter corpus & animam unio intercedat, inde & hic orbis puncto illi interno quam proximus, & ob exile omnino, quo distinguuntur, spatium, ei quasi contiguus. Orbis alter longius a centro sejunctus, parentes, uxorem, & liberos complectitur. Hunc tertius circumdans fratres atque sorores suo ambitu comprehendit. In quarto existunt patruus, avunculi, amitæ, materteræ, sobrini, consobrini-que, & id genus personæ aliæ, propinqua necessitudine mutuo conjunctæ. Et conglutinamus quidem hic cognatos generatim, non attento inter agnationem & cognationem in specie talem discrimine, utpote quod non Juris Naturalis est, sed Jure Civili ob materiam tutelarum atque hæreditatum inventum. Sequitur quintus orbis, quo copulantur alumni, hospites, affines, amici, Collegæ, clientes, & Præceptores, quos in quinto demum orbe locum tueri posse, nemo mirabitur, qui vinculum sanguinis omne hic abesse animadvertet. In sexto omnes concives locamus. Septimus eos includit, qui patriam nostram defendunt, & pro ea sanguinem profundere parati sunt, milites videlicet. Octavus sibi vicinos vindicat. Nonus ab iis, qui eandem nobiscum religionem

Ex. Sta  
620 21  
verbum



nem fovent, occupatur. Decimus, isque extimus & amplissimus, latissimo ambitu suo omnes coeteros complectens, *μεγαλόπολιν* illam seu magnam societatem, quæ ex toto genere humano consistit, exhibet; & decem hi orbis ita se ordine excipiunt, ut communis ubique, quo copulantur, terminus occurrat; ut, unam necessitudinem alteri innexam esse, significetur. Quod vero unus orbis altero longius a puncto interno, animo scilicet humano, distat, indicio est, arctiore nobis cognitionis vinculo unum, quam alterum, conjungi. Cumque idem punctum immediate ambiat ille orbis, qui corpus respicit, inde ab hujus defensione amorem ordinatum merito initium capere, apparet.

§. V. Neque obstat, quod proximi amorem Jus Naturæ homini præcipiat, vi ejus vitam ejus salutem, bona, utilitatem denique omnem, quantum potest, cura atque solitudine promovere teneatur, ut proinde ipsi vitam quoquo modo exipere, nefas videatur. Nam hæc obligatio vim suam exercere non potest, nisi ex parte alterius adsit aptitudo, quæ excludat omne recipiendorum officiorum impedimentum. Et certe, nisi obligatio ea limites suos agnosceret, nec Magistratus propter delictum, quantumvis grave, occidere quempiam, esset integrum; Igitur ea convenientibus finibus circumscribenda, quos designat, quam diximus,abilitas seu qualitas, per quam alter est mihi proximus, & consequenter idoneus ad recipien-

piendum exercitium actionum, quas mihi in utilitatem ejus DEUS per lumen naturæ injunxit. Ubi vero periculum mihi intendant, hoc ipso exiit proximi nomen, intercipitque vim obligationis, alias mihi in ordine ad ipsum incumbentis, ut ad vim recurrere liceat, ubi quies & pax cum præsentissimo interitu nostro conjuncta esset. Quippe ut *Pufend. d. J. N. & G. L. V. c. 5.* ait, *obligatio ad exercendas invicem Leges Natura & officia pacis est mutua, & omnes homines aequaliter stringit, neque ulli præ altero privilegium per naturam competit, ut ipse in altero violare eas Leges queat, alter autem hanc pacem continuare teneatur, sed utrumque stringens obligatio facit, ut munia pacis mutuo debeant exerceri.* Nihil quoque nostram sententiam impugnat, quod Jus N. homicidium detestetur, tantique criminis reos gravissima poena afficiendos dicitur. Nam æquivocatio in vocabulo *homicidii* involvitur. Si enim generaliter pro quacunque occisione hominis accipitur, universalitas assertionis pluribus instantiis everti potest. Sin stricte & ex usu loquendi sumitur, negamus, tale ab eo perpetrari, qui violentam sui defensionem peragat. Neque enim dolus in ipso est, sed anxia, eaque naturalis, corpus & vitam suam conservandi, cupiditas. Nec quicquam evincitur eo, quod socialitas hoc modo turbari dicitur, vel certe damnum aliquod ei inferri. Primo enim non omne, quo utilitas socialitatis humanæ intercipitur, Jus Nat. prohibet; sed illud solum, quod necessa-

necessariam cum ea disconvenientiam involvit, h. e. talem, quam, si omnes eo modo agerent, comitatura esset socialitatis humanæ destructio atque interitus. Manifestum autem est, quamvis omnes homines violenter se adversus injustos aggressores defenduri sint, non tamen ruinam hinc socialitati imminere. Parem enim regulariter ea jacturam facit, sive quis aggressorem, justo moderamine adhibito, conficiat, sive ipse aggressori corpus patienter perfodiendum præbeat, nisi quod posterius hoc altero videatur pejus, cum suggerat malis hominibus, audacem licentiam in alios invadendi, eorumque vitæ & bonis insidias struendi; cum e contrario validæ defensionis metus in multis infringat ausum, tamque scelestam cupiditatem reprimat. Deinde quicquid turbarum socialitati hinc metuendum, id non mihi tribuendum, qui neminem offendo, sed, quas alter meditatatur, turbas impedio.

§. VI. Præterea id *genius necessitatis* quoque liquido evincit. Quoties enim de contraria legislatoris voluntate expresse non constat, censetur is nolle, legem a se latam tam generaliter accipi, ut casum etiam necessitatis comprehendat; sed potius eundem propter singulares circumstantias concurrentes ab ea eximi; unde in ejusmodi Legis interpretationis æquitate opus, qua ostenditur, ad obvientem casum non esse trahendam Legis dispositionem; quod alias perferendam esset malum, patientiæ constantique humana longe superi-

perius ob tenerimum sui amorem, quem cuique natura iniecit, ut non possit non omnibus viribus obniti ei, qui vitam ipsi auferre, aut corpus laedere aggreditur. Quo sensu veritati congruit vulgaris regula: *Necessitas non habet legem*. Unde sequitur, non præsumi debere, homini a DEO injunctam obligationem esse, ictus sibi intentatos gratis excipiendi, & conficiendum aggressori corpus præbendi.

§. VII. Confirmavimus & stabilivimus hætenus nostram thesin; nunc ad *Amplificationes* pervenimus, scrutaturi solícite, quousque extendi assertio nostra possit. Et prima quidem ampliatio sit, quod non tantum in foro humano, sed & foro poli atque conscientie, violenta hæc defensio excusationem inveniat. Equidem nonnulli hic diversum tenent, existimantes, quod, quamvis Jure humano atque Canonico quis excusetur ab homicidio, ad sui defensionem facto, id tamen scelus sit in foro conscientie, propter præceptum Legis Divinæ: *Non occides*. In eadem sententia hæret *Jason* & alii complures. Recte vero contrarium defendunt communiter *Theologi*, *Juri*, & *Legis Naturalis Scriptores*. Qui enim in conscientia tutus non sit, qui alterum a sui offensione vel cum ipsius occisione arceat? Cum enim nihil hoc tutelæ genus in Legem Naturalem peccet, evidens est, neque scrupulum per eam conscientie suboriri posse, nisi quatenus limitatio ejus atque determinatio per legem positivam legitime facta

N

negle-

neglecta est. Nulla vero prohibitio a superiore facta ostendi potest. Quod enim præsidium in Lege Divina positiva, qua homicidium prohibetur, quarunt, id valde inane est. Neque enim illa a prohibitione Juris Naturalis, nisi intuitu determinatae homicidii poenæ differt. Et vero in superioribus luculenter demonstratum, Legem Naturalem homicidii prohibitivam præsentem necessariæ defensionis casum non comprehendere. Occisio enim, quæ utraque Lege, imo omni etiam alio jure, vetatur, voluntaria est, dolumque & animi malitiam in subjecto præsupponit: qualis in eo utique nulla datur, qui quocunque modo instanti periculo se eripere, vitamque conservare, cupit. Nam quod Legis generalitatem, quæ nullo casu exceptionem patiatur, urgent; in eo non animadvertunt, sic omnem etiam maleficos occidendi potestatem magistratui eripi, neque ubi de legislatoris voluntate expresse constat, præsumendum tantum rigorem, qui obligationem, gravissimum & naturæ humanæ maxime repugnans malum sustinendi, inferat. Lex igitur ita limitanda, ut vetet non nisi eam occisionem, quæ præter fas & meritum contingit. Neque obstat, *quod jubemur proximum diligere sicut nos ipsos*. Hoc enim præceptum non nisi id nobis injungit, ut utilitati & commodis proximi quacunque occasione inserviamus, neque minori ardore vitam & bona ejus conservemus, atque ea, quæ nostra sunt. Manifestum est igitur, hic non respici casum, quo materia Legis locum plane non

inve-

invenit. Cum enim alteri, quod præsupponitur, pereundum est, physica amoris æqualitas locum nullo modo habet, cum in interpretationem, qua explicas propositam Legem, non secus peccet, qui, cum se servare posset, ictum lethalem excipit, quam qui vim vi repellit. Unde apparet, juxta eam Legem casum propositum decidi non posse, sed permissioni naturali ob summam æquitatem vim suam tam Jure positivo Divino, quam juribus aliis relictam esse. vid, omnino hic *L. SCHMIDII* Eruditissimam *Dissertationem de Favore Necessitatis*, quæ toti huic materiæ illustrandæ non parum infervere queat. Sæcedit altera ampliatio, quod nec Jure Gentium, nec Civili libertas adempta, sed eodem prorsus modo, quo Jure Naturali, permittitur sit. Et incongrua omnino distinctio, qua hic usurantur *Bartholus & Jason*, dum in eo a Jure Naturalis dispositione deflectere Jus Civile existimant, quod Jus Nat. defensionem sui absolute atque simpliciter permittat, Jus Gentium vero cum moderate inculpatæ tutelæ. Nam manifestum omnino, Jure Nat. non quamcunque defensionem concedi, sed moderatam, quæ ex circumstantiis, & præcipue periculi magnitudine, metienda sit. Nam si negligas circumstantias, facile incidere possis in casum, qui necessariam disconvenientiam cum natura humana, & socialitatis salute involvit, & hinc vetitus Jure Naturali est. Nullum igitur hic discrimen permissionem Juris Gentium a permissione naturali sejungit. Sed utraque una eademque est,

& ex eadem ratione competit, tribuiturque violentiæ offendentis.

§. VIII. Præterea assertio nostra tam laxam interpretationem admittit, ut *exules* quoque & *bannitos* respiciat. Et regulariter quidem hos, & deportatos, similesque impune offendendi potestas nemini concessa; Cum eorum tantum *jecturam* faciant, quæ antea tanquam beneficia Juris Civilis agnoscebant, vid. *L. 1. C. d. Her. instit.* non vero iis decedant, quæ vi Juris Nat. & Gentium competunt. Quare nec offensionem utroque Jure prohibitam licite sibi privati sumunt, & instans periculum opposita vi recte ipsi depellunt. Quæritur vero: *An possit statutum condi, quo promiscua bannitos occidendi licentia concedatur?* Neque id asserere, dubito. Quippe tali casu occisione ipse quasi Magistratus defungitur; neque aliter se tum occidens habet, quam causa mere instrumentalis, cujus carnifex alias vices obit, ut proinde tum mediate a Magistratu fiat executio. Add. *L. 3. in f. ff. ad L. Cornel. de Sic.* *L. 1. & 2. C. Quando liceat unicuique sine jud.* Et siquidem conditum tale statutum sit, contra aggressorem permissa non censetur defensio. Cum enim is nomine Magistratus justum damnum intentet, repugnari ipsi nullo modo potest. Manifestum enim est, justis offensæ non nisi iniquam defensionem respondere. Quemadmodum nec filius licite se adversis verbera tuetur a patre imminentiâ; neque servus castigationi a Domino adhibita, recte repugnat. Vid.

*L. 28.*

*L.un.C. de Emend. serv. L.3. Cod. de Patr. pot. Nec hæc evertit, quod defensio Juris Naturalis sit; naturalia autem Jura, æterna quadam providentiâ constituta, semper firma & immutabilia permanent. §. II. I. d. J. N. G. & C.* Nam id intelligendum de iis, quæ proprie Juris Naturalis sunt, adeoque, vel præcepta, vel prohibita, non de iis, quæ indifferentium numero censentur, in quibus per se spectatis nec bonitatis, nec malitiæ nomen tuetur locum. Etenim constituunt idoneam Legibus positivis, etiam humanis, materiam; ut tum non amplius censeantur permissa, cum vel præcepto, vel prohibitione ad alterutram moralitatis partem determinata sunt. Add. *L. 6. ff. de J. & J.* ubi recte dicitur, *Jus Civile neque in totum a Jure Natura recedere, neque per omnia ei servire.* Et sane nisi in his arbitrium judici relictum esset, inventa protinus fuerit ratio, qua audacissimus quisque, excusso pudoris & obedientiæ freno, Magistratus auctoritatem negligat, contemptis proterve decretis, quæ ordinem in Rep. servandum, resque ecclesiasticas, & Politicas, aliasque Jure Nat. non determinatas concernunt; quo pacto facilis, sed eadem perniciosissima criminibus se via aperiret. Quod ne fiat, cum in eo salus publica agatur, omnibus viribus connitendum; quod ita verum, ut si bannitus, aut exul, tali statuto etiam in sui perniciem promulgato repugnet, non solum censeatur in foro civili delinquere, sed & conscientiæ haud levem maculam inurat. Noxius enim, vel nosse saltem debet, *Ministrum DEI Magistratum in ter-*



ris esse, qui eminentem in privatos potestatem jure  
 exerceat, cujus proinde arbitrio voluntas submit-  
 tenda. *L. 1. ff. Si quis Jus dic. non obtemp. L. 199.  
 ff. d. R. 7.* Igitur hic sola obsequii gloria relicta;  
 etiam illo casu, quo dubium est, utrum ejus jus-  
 ta justitiæ regulis congruant, an ab iis deflectant.  
 Tum enim non segnus obediendum, quam si cer-  
 tum esset, justa præcipi; idque publicæ utilitatis  
 ergo, ob præsumptionem, quæ pro Magistratu mi-  
 litat. Quod generaliter de dubis conscientia ve-  
 rum, ut actio suspendi debeat, donec, quæ eam  
 suspenderunt, dubia evoluta expeditaque sint. No-  
 que vero necessitas hæc Magistratus decreto præ-  
 rendi tam late extendenda, ut etiam ad notorie  
 seu manifeste iniqua trahatur. Cum enim talis  
 casu ipse Magistratus in superioris Legem peccat,  
 voluntas ejus injusta vim & exitum habere non  
 debet. Inde se recte quis opponit judici extra ter-  
 ritorium jus dicenti, aut actum superioris juridi-  
 ctionis exercituro, cum non nisi inferiorem habeat.  
*L. fin. ff. d. Jurisd. Li. ult. ff. d. Off. Pref. Urb.*  
 Quippe is hoc casu tanquam privatus agit, & hinc  
 licite resisti potest.

§. IX. Quæritur vero: *An & a tyranno Principe  
 imminens periculum cum ipsius eade depelli recte  
 possit?* Et hanc quidem potestatem recte denega-  
 mus; siquidem pessimi exempli res foret, si e-  
 jus, qui summam, & a DEO dependentem pote-  
 statem habet, actus subditorum arbitrio judicandi  
 & puniendi essent; Sæpeque haud dubie eveniret,  
 ut justis bonisque Principes inconsulta privati alicuius  
 jus

ius temeritate damnati salutis suæ potestatisque, quam sanctam haberi, plurimum Reip. interest, periculum incurrerent, exemplo *Pertinacis* a milite, & *Alexandri Imperatoris* a *Maximino Thrace*, crudeliter obruncati. Similia exempla, præsertim in *Regibus Gallia & Anglia*, denique pluribus Principibus aliis, historiarum annales referunt; & qui ad tanti facinoris ausum tu, private, pervenias? aut quid facta illius intueris? Quin tu potius cogita, quis hunc tibi præesse voluerit; ab eo profectus eundem arbitrum actionum suarum, vindicemque, habet. Tibi de cætero amandus, & cum veneratione suspiciendus. Pertinet huc ex *Jure Rom. L. 1. & II. C. d. Crim. sacrileg.* Audis, quid Euripides seni insurret! O senex! ne cum Regibus contenderis. *Venerandos enim Principes esse*, antiqua lex est. Add. *dicta SS. Hiob. XXXIV. Prov. XXI. Oseæ XIII. Exod. VII. VIII. IX.* & supra laudat. *Dissertat. d. Fav. Necessit. §. XXII.* Quod premeris & excruciaris, tuis peccatis imputa, quibus fortasse meruisti, ut graviora his supplicia ferres. Neque exempla nos *Judeorum* movent, quos spiritus DEI quandoque in Tyrannos egit. *Jud. XIII. XIV. XV.* Hoc enim extraordinarium & speciale, neque juxta humanæ rationis imbecille judicium dimetiendum.

§. X. Cæterum erga privatos violenta defensio usurpata ab iniquitatis nota immunis, quamvis reverentiam alias ipsis & cultum debeamus; ut puta si parentes, aut Præceptores, nimis præcipiti

iracundiæ fervore æstuantes in liberos, fata ipsis maturaturi, involent. Quamvis enim violentas parentibus inferre manus, horrendum alias scelus sit, à quo omnes merito abhorremus; quamvis contra omnia jura eorundem amorem & reverentiam seria injungant; Hæc tamen non extendenda ad eum casum, quo pro conservanda vita sua manus stringunt, tenerrimoque amoris sui, quem a natura implantatum habent, obsequuntur. Neque enim ulla hic Lex tantum reverentiæ rigorem præcipit, qui etiam sui neglectum habeat comitem. Infirmitas his ponitur obex, dum æquum esse dicitur, profundere liberos vitam pro iis, quibus eam debent, Primo enim non soli parentes propria atque a se dependente virtute generant, sed maximum pondus concursui divino inest, cui primario & principaliter nostri existentia tribuenda. Deinde imbecillis hic valde nexus. Nam ubi vel maxime beneficio parentum vitam accepere liberi, ejus jam nec parentes amplius, nec ipsi arbitri existunt, sed uti eadem ad augmentum gloriæ divini, & proximi utilitatem debent. Neque tamen eam inficias, tranquillitati conscientie certius liceturum filium, si injuste & violente a tam sancta persona satisfactionis exitum patienter expectaverit, quam si eandem fusi sanguinis paterni memoria utat, veriusque, utut inanibus, scrupulis direxerit.

§. XI. Sed nec mala causa ab usu hujus totalæ arcet. Quamvis enim propter eam meruerit quis poenam, infligi tamen, nisi a legitimo impo-

rante

rante non potest, unde si de facto coercitionem per vim intentet alius, utputa privatus, recte is contra illum violenta se defensione armat. Ex quo fluit, posse adulterum, a marito deprehensum, contra eundem tueri vitam. Quod enim Jus Civile ignosci marito vult, quæsi justæ æmulationis fervor ad eadem adulteri, in flagranti scelere deprehensi, compulit; impunitas ista non excutit in vaso arma, quæ opponat, sed aggressorem solum a pœna absolvit. Quamobrem aduker vel adultera, quæ æstuantis mariti sanguine instans periculum removit, capitis dampnari iis in locis non potest, quibus in adulterio puniendo ad ultimum supplicium non pervenitur.

§. XII. Neque vero eo solum casu nostræ defensio injustitiæ argui non potest, cum per eam mortis periculum evitamus; sed & tum, quando aggressor vulnus infligere, aut nos membro truncare, cupit. Nam nec ad mensuram dantur vulnera, ut certum sit, extra periculum fors vitam; & in statu naturali satis, quod hostem se tali temeritate declarando in infinitum sibi nocendi licentiam tacite concedat; In statu autem civili, ut supra monitum, non præsumitur tantus Legum rigor, ut sustinendi malum patientia humana superius necessitatem impertent. *Pufend. d. J. N. & G. l. II, §. V. S. 10. An vero etiam alapa infligenda periculum potestatem inibuit, injuriam cum iniuriis, sedo repellendi?* Itq. videtur. Nam consuetudine sic apud plerasque gentes ferente, hanc exigua

gua comitatur illam existimationis jactura, honor  
 autem & vita, secundum vulgatum proverbium,  
 pari passu ambulant. Sed enim utut hæc ita satis  
 speciose jactentur; veritati tamen convenientius,  
 non posse in statu civili ad avertendam alapam ul-  
 timum conatum adhiberi. Certum enim est, nul-  
 lum hinc vitæ periculum metuendum esse, & que  
 per eam affricari videtur, ignominie nota, facile  
 elui a Magistratu potest, & resarciri, quod ab ex-  
 istimatione decerptum putatur; dum ejus, qui in-  
 juriam intulit, malitia gravi pœna coercetur, at-  
 que ad injuriam publice deprecandam, & honoris  
 signa erga alterum promenda adigitur. Quisvis  
 quid insulsius esse possit, quam honorem & existi-  
 mationem alicujus procaci alterius insultu pro ar-  
 bitrio violari? Verus honor, & genuina laudis  
 materia, ex virtute & recte factis efflorescit; quam  
 non vis opprimere, non injuria maculare potest.  
 Ex æquo proborum judicio, non stolidi improbo-  
 rum petulantia, atque protervis, sive factis, sive ver-  
 bis, fama & dignitas æstimanda. Illud vero juri-  
 ter a Magistratu observandum, ut, cum fieri po-  
 test, asperrimis severissimisque pœnis detonet in  
 eos, qui talem injuriam inferunt, quæ saltem ex  
 vulgi, utut insipienti sententia, honorem insigni-  
 ter lædit, ne sic debilitetur ejus, qui injuriam pas-  
 sus est, autoritas, in superiore præcipue adversus  
 subditos, utpote cum qua nexum tenerrimum ho-  
 rum obedientia involvit, & per eam civitatis salus.

XIII. Neque minus assertio nostra ad

*pudi-*

*pu*dicitia defensionem pertinet, etiam cum impuri invaloris cæde conjunctam. Neque enim ejus necessaria cum generis humani conditione disconvenientia ostendi potest; sed potius pudicitia non minoris ab honesta foemina, quam ipsa vita, aestimari debet. Ab hac inviolata earum decus, amissa turpitudine dependet. Nam quod violato corpore animi pudor non statim perit, hominem a peccato atque poena immunem in foro divino, humanoque præstare potest, nequiquam autem malignam opinionem ex animis hominum eradicare. Præsertim, quod aliqualis præsumptio saltem ex vulgi sententia contra eam militat, cum quantumvis graves circumstantiæ verum & constantem disensum animi non indubie evincant. Sæpe enim, quod in *Barclaji Euphormione* est:

*Apera si visa est, rigidasque imitatae Sabinas,  
Velle, sed ex alto dissimulare puta.*

Quamobrem recte foemina omnes in id intendit vires, ut illæsam animi sanctitatem corporis quoque integritate augeat; neque delibari sibi patitur florem, cujus vigore omne fere ipsius æstimum, dignatioque constat. Conf. *Quintilian. de orat. 349. Plato d. L. L. 9.* Quod juris in tuenda pudore foeminis competit, id eo magis tribuendum masculis, cum eorum pudorem vi expugnare contra naturam quis aggreditur, quod tetrius & horribilius scelus quovis alio concubitus genere est.

§. XIV. Illud etiam parum refert, quo loco se defendendo quis aggressorem interimat, sive in loco

loco privato, sive publico; adeo, ut vel in ipso templo, cum sacra peraguntur, commissa caedes nullius iniquitatis postulari queat. Hinc nullum dubium, posse ipsum sacerdotem, dum sacro officio vacat, invasum sanguine alterius cruentare manus, & postmodum interruptas res divinas ad finem perducere. Cum enim in actu licito, qualem ostendimus violentam sui tutelam esse, veretur; nihil impedit, quo minus statim, eo perpetrato, se ad stationem suam recipiat, divinoque cultui, ut ante, operetur. Conf. *Johannem de Lignano in tract. d. Bello c. 84.* Et ineptum, quod nonnulli ad probandum, nefas esse, sanguinolentas manus ad sacra afferre, objiciant Davidis verba: Factum est Verbum Domini ad me dicentis: Multum sanguinis effudisti, & plurima bella gessisti, non poteris aedificare, sed filius tuus, qui nascetur. Nam hoc speciale mandatum divinum erat, & proinde Davidis personam non egressum.

§. XV. Neque vero solis invalidis vim aggressorum repellere licet, sed & aliis eadem potestas conceditur. Et primo quidem liberi parentes e manibus invasoris recte vel cum ipsius occisione liberant. Quæ enim & quanta beneficia sunt, que parentibus filius debet? Quod vivit, quod utile socialitatis membrum existit, id ab ipsorum benignitate profectum; quare æquissimum, ut pro ipsorum vitæ sollicitate laboret, atque obviam discrimini, quo premuntur, eat. Nam qui tu abnuas? Næc potius, nisi ingratus omnino es, putes, tuam

tuam vitam spiritu parentis trahi? succurrendum strenue; præveniendæ miseri genitoris preces. Recte *Diogenes*, lepidum istud, sed sapientissimum caput, cum ab eo quæsitum esset, quonam pacto parentes & liberi mutua obligationi quam optime possent satisfacere, respondit; *Recte se gerent, si ea, quibus opus est, exhibendo petitiones invicem præveniant.* Add. *L. 1. C. d. alend. lib. L. Si filius. C. d. Patr. potest.* Unde sequitur vice versò, parentibus etiam violentam liberorum defensionem permittendam, idque merito flagrantissimo ipsorum in liberos amoris datur, quo naturaliter impleti non possunt non sollicitam eorum curam agere, ipsos tueri, denique præsentissimam salutis discrimen pro iis conservandis adire, velut per se, omnem inde fructum ad se potius, quam ad alium pertinere, quod prædicare de se solebat *Antiphanes* Philosophus. Et recte *Pavus* ait in *L. 36. §. 1. in f. ff. d. Excess. tut.* contra stimulos naturales eum facere, qui filiorum tutelam subire renuat. Arcetissimo vinculo pater cum spiritu filii conjungitur, utpote a quo diuturnitatis sibi memoriam posteritatisque solatium pollicetur. Add. *L. Liberorum. §. ult. ff. de V. S. L. 1. §. 11. C. de Patrib. qui fil. suos distrax. L. 1. §. Idem divus. ff. ad L. Cornel. d. Sicar.*

§. XV. Marito quoque hoc tutelæ genus in defendenda uxore capessere licet. Conspiravit enim & consensit cum ea in utriusque fortunæ societatem, in communionem rerum & corporum.



Si *Hierocli* Philosopho prudenti credimus, amicitia hominumque foedera mixtionibus leguminum, aut saliorum hujusmodi, quae intime se non permeant, aequiparanda sunt; Conjugum autem mutus affectus ei mixtioni similis, cujus una pars alteram veluti inbibit, profundeque recipit; suam igitur non alienam rem curare videri maritus debet, cum se in discrimen vitae pro uxoris defensione immittit. Ex quibus apparet, idem de uxore dicendum esse, ut possit servare maritum cum aggressoris caede. Eadem enim utrobique ratio militat, animorum arctissima inclinatio, & prosperae adversaeque fortis communio. Neque immovet, quod par sit, uxores a viris, non viros ab uxoribus defendi, §. 2. *Inst. de Injur.* Nam hoc intelligendum de actu civili, quod nempe actione in foro civili non possit experiri contra injuriantem maritum. Nam recte hic pro ea maritus, qui firmioris maturiorisque ingenii est, admittitur. Ubi vero moram periculi magnitudo nos fert, & pereundum, aut celere remedium afferendum, recte marito periclitanti uxor mediis, quibus potest, subveniet.

§. XVI. Nec minus fratribus atque sororibus mutuo inter se violenta haec defensio permittitur. Nemo enim post fratres propiori nos cognatione contingit; Eorumque, quibus nostram vitam debemus, in iis recens imago; unde sunt in quodammodo corporis nostris partes, quemadmodum oculi, aures, manus, caeteraque membra. Nam & fratres

fratres aliquo modo ita se habent, si ad communem generis humani originem attendas. Cum igitur oculi manusque, si ratione pollerent, ardentissimo se haud dubie propter intercedentem ipsis communionem amore complexuræ essent, & reciprocam defensionem strenue acturæ; Inde nobis etiam, quibus lumen rationis datum, omnibus viribus & contentione in eo elaborandum, ne quid in nostra fratribus modo quocunque auxiliandi voluntate desiderari possit. Quem in sensum ferre memoratus ante *Hierocles* locutus est. Et profecto non vero in parentes affectu ferri videri is potest, qui ei, quod carissimum ipsis est, defendendo non ultimum conatum adhibet. Communis ortus tangere animos fratrum debet, & quam arctissime inter se devincire. Eleganter *Xenophon* in libro, quem de *Cyri Institutione* inscripsit, cum, qui fratri providet, se ipsum curaret, ait. *Add. L. 1. §. Idem Divus. ff. ad L. Carn. d. Sicut. L. unica §. Ne igitur. C. d. Rapt. ring.*

§. XVII. Pro patria adversus instans periculum asserenda itidem permissam cædem esse, manifestæ veritatis est, idque jam supra tetigi. Neque enim in ea tuenda segnior quis esse debet, quam cum sui ipsius defensionem obit. *Horatius* hic oportet imitari, & *Scevolam*, & *Scipionem Africanum Minorem*, quorum incredibilis in patria tuenda virtus sempiternæ memoriæ commendata ad posteros inviolata gloria pervenit. Memprabile exemplum aliud de *Florentini* cujusdam arden-

ardentissimo in patriam amore extat apud *Fulgos. Lib. V. Memorab. c. VI.* Idque tacitam evincit pactum, quod quis inire censetur cum patria, cujus est civis; ejus enim virtute obstrictus est ad patriam omnibus modis, etiam cum vitæ periculo, defendendam.

§. XVIII. Sed & pro conservanda amicitum, hospitum, sociorumque, vita stringere licebit arma. Horum enim secundæ res merito nobis gaudium, adversæ dolorem atque sollicitudinem concitant. Igitur integram sibi eorundem defensione voluptatem præstare, par est, de quo plura vid. ap. *Gell. Noct. Attic. L. 1. c. 3. ex Theophrasti, Paphorinique Philosophorum mente alta.* Add. *Cicero* in aureo, quem de amicitia scripsit, libello, ubi recte disputat, æquum esse, ut auxilium feratur amicis, in capitis aut famæ periculo constitutis. In his autem præcipue laborantibus præceptoribus succurrendum. Quantum enim hi beneficium in nos conferunt, dum animos nobis formant, & ne a recta vivendi ratione aberramus, cavent? Parum sane esset, auram vitalem aspiceret, nisi, quomodo vita utendum sit, fideles Magistri inculcarent. Hi judices & Magistratus quasi, quibus discipulorum actiones subsunt, ad regulas justitiæ atque honestatis attemporandæ. Laudem *Basilus* meretur, qui omnia se Præceptoribus debere, professus est. Et recte *Papinianus* in *L. 27. ff. de Donat.* beneficia a discipulis in præceptores profecta non donationes, sed remu-

remuneraciones appellat. Et remuneraciones quidem nunquam meritis ex asse respondentes. Neque enim ἰσοῤῥοπον his mentium parentibus dari potest. *Aristol. L. 9. Ethic. cap. 2. Patronus* etiam hæc pertinet, cujus defensionem recte libertus suscipit. Nam & hujus persona sancta, videri debet. *L. 9. d. Obseq. Parent. & Patr. prest.* Item patria, ob beneficiorum, quibus ea nos devincire solet, magnitudinem, quorum intuitu *Eloquii Romani decus* non vetetur ejus amorem omni alii præferre. Ita enim inquit *Off. L. 1. Magna est illa communitas, quæ conficitur ex beneficiis ultro citroque datis acceptisque, quæ mutua & grata cum sunt, inter quos ea sunt, firma devinciuntur societate. Sed cum omnia animo rationeque tustraveris, omnium societatum nulla est gratior, nulla carior, quam ea, quæ cum Rep. est. Unicuique nostrum cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria tua complexa est. Sed si contentio & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii, Princeps sunt, patria & parentes, quorum beneficiis maxime obligati sumus.* Hic igitur impigre agendum, & pro memoratis personis pericula subeunda; ne ἀχαριστίας turpissimum crimen incurramus. Recte ibid. *Cic. Sin erunt merita, ut non ineunda, sed referenda sit gratia, major quedam cura adhibenda est. Nullum enim officium referenda gratia magis necessarium. Nam cum duo genera liberalitatis sint, unum dandi beneficii, alterum reddendi, de-*

mus,

*mus, nec ne, in nostra potestate est. Non reddere bono viro non licet, si modo id facere possit sine injuria. Acceptorum autem beneficiorum sunt delectus habendi, nec dubium, quin maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen imprimis, quo quisque animo, studio, benevolentia fecerit, ponderandum est. Multi enim multa faciunt temeritate quadam, sine judicio vel modo in omnes, vel repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati; Quae beneficia aequae magna non sunt habenda, atque ea, quae judicio, considerate, constanterque delata sunt. Senec. de Benef. L. 3. c. 1. recte judicat, non referre beneficiis gratiam, & esse turpe, & apud omnes haberi.*

§. XIX. Imo tam late patet veritas assertionis nostrae, ut etiam extraneorum, quibus nulla, nisi humanitatis, Lege obstricti sumus, defensionem recte obtamus. Homines quippe hominum gratia producti, ut unus alterius commoda promotum eat. Neque enim satis, non offendisse alterum, per quod justa duntaxat odii causa aboletur, beneficiis proximus colendus, ut appareat, gaudere me, alios quoque naturae meae participes in hisce terris degere. *Pufend. d. Jur. Nat. & Gent. Lib. III. c. 3. §. 1. Scite Libanius declam. 19. εταν ανθρωπον ειπω, Φιλανθρωπον λεγω.* Neque minus congrue *Seneca* naturalem, quae inter homines, amicitiam & cognationem, quae ad mutua eos beneficia compellere debent, in *Epist. 95.* expressit, cum ait: *Membra sumus corporis mag-*  
*ni:*

gni: Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem & in eodem gigneret. Hac nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fexit; illa æquum iustumque composuit; ex illius constitutione miserius est nocere, quam ledi; & illius imperio junctæ sunt ad iuvandum manus. Illud & in pectore, & in ore sit: Homo sum, humani nihil a me alienum puto. Habeamus in commune, quod nati sumus; societas nostra lapidum fornicationi similis est, quæ, dum pari illi nituntur mole, hoc ipso sustinetur. Quo & illud Cicer. Lib. de Offic. pertinet: Magis est secundum naturam pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis aut iuvandis maximos labores molestiasque suscipere, imitantem Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio cælesti collocavit; quam vivere in solitudine, non modo sine urbis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem copiis omnibus, ut excellas etiam pulchritudine & viribus. Itaque quis vitio nobis vertet, si, cum adeo propensos nos ad auxiliandum aliis natura produxerit, posthabeamus quandoque salutem nostram, vitæque periculum, pro tuenda aliorum vita, adæamus?

§. XX. Et hæc quidem eo solum pertinent, ut constet, violentam, sive sui, sive aliorum, defensionem nullius argui iniquitatis posse; sequitur, ut, quod majori difficultate laborat, disquiramus: An & in obligatione hoc genus tutelæ sit, ut, qui id omiserit, contrahat reatum culpa, ob quam pe-

*na imponi possit?* Et siquidem de *Magistratu* questio instituat, extra dubium est, incumbere ipsi defensionem eorum, qui ejus jurisdictioni subsunt. Id enim tacitum evincit pactum, quo quis, cum certæ se societati adjungit, pacisci & stipulari ab ea creditur, ut bona, honorem, & vitam suam adversus quosvis aggressorum insultus tueatur. De privatis autem si sermo sit, distingvendum, utrum violentus invasor possit absque vitæ periculo repelli; & quousque vi cognitionis naturalis, quæ inter homines intercedit, teneatur opem perichlanti ferre; quod si neglexerit, utut fortasse in foro civili impunitus maneat, in conscientia tamen non absolvetur, ob læsam Juris Naturæ regulam, quæ cuique injungitur proximi defensio, si ea sine insigni detrimento fieri possit. Quod si vero, defensione suscepta, vitæ quis discrimen ipse incurrat, vitio ei non vertetur, si alienam salutem suam non præposuerit; sibi enim quisque proximus esse, nullo Jure prohibetur; Et, si socialitatis salutem respicias, regulariter par utrobique damnum, sive tui ea, sive aggressoris, jacturam faciat; nisi quod hæc tolerabilior videatur, quod aufert contentiosum turbulentumque membrum, & hinc colendæ socialitati non satis aptum. Quod si quis ipse suam defensionem obit, circa rem indifferentem occupabitur, unico casu excepto, quo nempe invasus magnum socialitati usum præstat, dum invasor, inutile pondus, terram premit. Tum enim utique obstrictus est, ut vitam suam contra vile-

simam

firmum aggressorem defendat, sicque aliis consultum eat. Add. *Pufendorf. de Jur. Nat. & G. Lib. II. cap. V. §. 2. Ziegl. ad Grot. Lib. 1. cap. 7. §. 3.*

§. XXI. Haecenus breviter *Ampliatione* assertionis nostrae exhibuimus. Superest, ut convenientes ei limites designemus. Manifestum enim est, non quamcunque sui tutelam a crimine absolvi posse; sed certum ei modum a natura praescriptum; quem *moderamen inculpatæ tutela* communiter appellant. Et in statu quidem civili angustioribus multo finibus hæc defendendi licentia circumsepta, quam in statu Naturali, cum in illo frequenter Magistratus instantibus nobis malis mederi possit; quibus nullum remedium in statu Naturali propositum, nisi quod propria quis industria & viribus expediverit. In hoc proinde statu latissima defensionis facultas nonnisi unico hoc limite coercetur, quod ea non maturius adhibenda, quam de alterius nocendi voluntate; saltem morali certitudine, constet. Nisi enim is arma comparet, duriora verba evomat, aliisque externis factis efficacem lædendi nos cupiditatem ostendat, præcipitata nimis tutela a vitio liberari non potest. Et ut graves conjecturæ haud negligendæ; ita ob levem quamcunque suspicionem ad arma non perveniendum. Ut si quis belli causam prætexere crescentem alterius potentiam invidiose velit. Recte enim ostendit *Pufendorfus de Jur. Nat. & G. L. II. cap. V. §. 6.* sic omnem socialitatem destrui,

Q 3

quod



quod &, decedente labori pretio, augendis viribus nemo incumberet, & ob deficientem æqualitatem, quæ exigi ad *Mathematicam* amiffim in vita humana non potest, perpetuo omnia bello flagrarent. Illud vero sine vitio licebit, ut, cum alter potentiz suæ magnitudine in tuam perniciem aliquando uti queat, mature te adversus ipsum armes, foedera cum aliis in eas, auxilia denique alia circumspicias, ne ille te imprudenter securum atque inermem occupet. Nam quod innocentis fretus adversarium tuum fastidiose contemnis, valde erras, & inaniter de cælo miracula expectas, ubi DEUS ipse vult, quemvis sedulo curam suarum rerum agere. Sed hæc ita suis finibus coëscenda, ne in vim evalescant prius, quam certum sit, alterum id agere, ut, rupto pacis vinculo, in nos irruat, salutemque nostram pessundet. De hæc vero ejus voluntate ubi constiterit, nihil jam quiescendum, stringenda in defensionem arma, neque humanitatis officia in eum amplius exercenda, qui prior in illa peccando licentiam in infinitum sibi nocendi offensa dedit. Neque hic metienda culpa, quod prior arma adhibeam. Defensionis enim inculpatae moderamen non hoc desiderat, ut quis ante, quam eam expediat, impetum alterius exceperit; quod sic pessime innocentiz consultum foret, ob anceps, quod tales insultus combatatur, periculum. Igitur prudentiz hic, adversarium prævenire, ipsique excutere arma, quæ in nostram ruinam malitiose adornat. *Quæritur autem:*

*Quæ-*

*Quouque in statu hoc naturali defensio iusta censetur esse? Ubi manifestum, usque eo accedente hosti licere vires, donec appareat, neque in praesens amplius periculum nobis imminere, neque in futurum quicquam ab eo metuendum esse. Quam cautionem Pufendorfus cit. L. §. 5. in fin. his verbis praecclare persequitur: Si quis, injuria facta, gratiam, penitentia ductus, veniam petat, & damni restitutionem offerat, in gratiam cum ipso redire debet, nec ampliorem cautionem ab eo recte videat exigere posse, praeter fidem denuo dandam. Sufficiens enim est argumentum, firmum ipsi esse propositum, in posterum se non amplius ledendi, quem sponte facti poenituit, & qui ad petendam veniam ultero descendit. At qui per vim poenitentia est extorquenda, & qui tunc demum veniam petere instituit, quando resistendi vires deficiunt, ejus sola fides parum sufficiens cautio videtur, igitur tali vel vires plane sunt subtrahende nocendi, vel aliud vinculum injiciendum, ut ne deinceps nobis existat formidabilis, postquam semel ex prompta malitia, nec rite emendata, perpetuo ipsum suspectum reddat.*

§. XXII. Neque vero par licentia in statu civili degentium. Cum enim his integrum plerumque sit, injuriam & periculum instans per Magistratum publice depellere; inde regulariter propriis viribus suscepta defensio in crimen cadit; ut proinde non nisi tum absque iniquitatis metu vim liceat exprimere, quando urgentis periculi magni-

tudo, locique & temporis ratio, auxilium publicum implorare non finit, utputa cum adversarius meus arma corripuit, ferrum strinxit, & jam pronus in me cursu fertur. Unde etiam illud sequitur, solas alterius minas, nullis viribus inpraesentiarum munitas, non praebere justam se opponendi causam. Nam & evitari periculum, & cautio de non offendendo in posterum exigi publice ab eo potest. Ubi vero, capessitis armis, mortem nobis ferio, quod ex circumstantiis colligendum, minatus; non expectandus, quod nonnulli censuere, ictus, cum per sepe fera nimis esset tutela futura; quis potius tum potentia nocendi cum voluntate efficaci conjuncta merito pro ipso habetur actu, ut satius sit, quod alias Jcti dicunt, ab initio subvenire, quam post vulneratam causam remedium querere; sed & celeriter defensio expedienda, neque post, quam e periculo, in quod adductus eras, emergeris, percussio excusari potest, utpote quae, cum ex intervallo fiat, non tam defensio est, quam in ultione Jure Naturali vetitae naturam transit. Utputa si aggressor, inflicto vulnere, fugam capessat, laesus eundem consequens atque percutiens a culpa poenaeque reata non erit immunis, cum satis ulciscendi animum prodiderit. Secus est, si invasor, percussione facta, institisset, reperiturus ictum, tum enim percutiendo ipsum invasus novo periculo viam obstruit, non vero priorem injuriam vindicat. Quamvis animi perturbatio & dolor ad viyum hic omnis resecari non sinant, sed potius imbecillita-

tis humanæ intuitu veniam quodammodo & commiserationem mereri videatur, qui hic imprudenter limites transierit. In locum certe poenæ ordinariæ aliâ extraordinariam hoc casu in foro Civili substitui, æquitati convenientissimum videtur. Sed vellicat hic nobis autem chartæ angustia, propolitaque brevitatis; quamvis nonnulla superesse videamus, quæ in gravissimæ hujus & valde intricatæ *Questionis* evolutione adduci & excutirentur. Quibus in aliam occasionem rejectis, jam sub finem Coelesti Veritati pro benigno in hoc labore ductu grates persolvimus immortales.

## DISSERTATIO VII.

DE

# PRINCIPIIS OFFICIORVM HVMANORVM INTERNIS.

§. I.

**T**ractationem de Principiis Officiorum Humanarum Internis, Duce Veritate, DEO, suscepturæ, ante omnia in Officii definitionem inquiremus, quam prætermittam a *Paratio* non sine causa miratur Cicero *Offic. L. I. Cap. 1.* *Omnis enim, subjungit, quæ a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur*

Q 8

tur, quid sit id, de qua disputetur. Recte vero B. Pafendorfius de Offic. H. & C. *Officium* definit per *actionem hominis pro ratione obligationis ad prescriptum legum recte attemperatam*. Genus vicem subit *actio*, quæ nihil aliud est, quam motus, qui ab interno aliquo Principio procedit; ut distingvatur a simplici motu, qui ab externo Principio dependet; qualis motus conspicitur v. gr. in avtomatis, rebus a vento motis &c. Cum autem in hoc significato actio communis sit homini cum bruto, inde genus hoc remotum & indefinitum propius determinatur per adjectam vocem *hominis*, ut indicetur, in bruta non cadere *officium*, nec quemvis motum in homine hoc nomine venire. Differentia specifica desumpta est 1.) a *Principio externa*, quod est prescriptum Legis, tanquam regulæ & normæ actionum humanarum. 2.) a *Causa impulsiva*, quæ est obligatio, per Legem injuncta. Quamvis enim quis Legi conformiter agat; nisi tamen id propter incumbentem obligationem fiat, *officii* nomen haudquaquam merebitur. Ut adeo formale officii consistat in attemperacione, seu institutione actionis juxta Legem ob injunctam obligationem facta. At enim, a quibus principis interne dependeat *officium*, prolixius inpresentiarum discussisse juvabit. Quæ quæ sita sint, ut eo feliciter eriamus, libet hominem primo una cum bruto considerare, &, quid inter se conveniant, quidve dissent, excussum ire.

§. II. Et primo quidem cuique est obvium,

omnes

omne animal seipsum studiose diligere, &, simul ac ortum est, id agere, ut se conservet. *Cic. s. d. Fin.* Inde jam multæ toti animalium generi communes actiones fluunt: Quod nocitura studiose evitant; quod contra aggressores suos corpus suum defendunt; & præcipue adversus mortem, quam *Φαθέρωντος Φοβερῶτατων* alicubi *Aristoteles* recte vocat, modis quibuscunque pugnant. Et, quod contra necessaria ad vitam media conquirunt; cibum, potum, latibula, atque alia hujus generis, sibi parant. Neque in hoc actuum, ut tantulum, communiōne ulla differentia elucet. Sed præterea alius quidem generis, ex eodem tamen, conservationis sui, fonte manantes actiones, cum in homine, tum in bruto, dantur, inter quas notabilis præcipue conjunctio cum aliis ejusdem speciei, ob generandi sui que simile producendi appetitum, utrinque parem. Et, ut scias, non voluptatem, sed sensusque dulcedinem solam animalia ad hanc copulam stimulare; haud negligunt generatam prolem, sed eam magno studio fovent, alunt, atque ab aliorum injuriis defendunt. Et in his potissimum omne animalium genus conspirat, quarum proinde universalis fons est norma quadam naturæ cum generali, tum speciali, intime a creatore impressa, secundum quam actus, cum specierum, tum individuorum, conservativi diriguntur. Et hic est decretatus ille in genere animalium instinctus, qui *Divinatori in pr. J. d. J. N. G. & C.* nomine ipsius *Juris Naturalis*, scilicet *Paulo Latit*, quam pat est, accipi

cepti venit. Ad directionem autem hujus instinctus, ejusque modum, cum attendimus, quanta se jam differentia utrinque pandit? Quippe bruta modo brutali agunt, h. e. ita suos actus producunt, ut ipsa tamen motus sui nulla ratione sint conscia. Meri actus directi sunt, qui ab iis proficiuntur; reflexi nulli sunt. Quamobrem hoc potissimum discrimen homines a brutis sejungit, quod in his *consilium & electio* desunt, quae in homine contra glare animadvertuntur. Et haec ipsa *Principia* officiorum humanorum sunt. Consilium innuit *intellectum*, electio *voluntatem* respicit. Cujus utriusque uberiolem nunc considerationem suscipiamus.

§. III. *Intellectus* se per tres potissimum Facultates exercit; *Apprehensivam, ratiocinativam seu argumentativam, & representativam*. Facultas apprehensiva est, qua mediante intellectui simpliciter se & velut confuse actus aliquis, ejusque bonitas & malitia sistit, non secus fere, atque oculorum sensui objecti species. Et proinde ad hanc facultatem pertinet, quicquid circa objecta intellectui se primura offert, siue motiones sint simplices, absque affirmatione, aut negatione, siue compositum, quod se menti primo statim intuitu sistat; quod circa moralia semper contingit. Et hujus facultatis naturam penitus rimanti evidenter apparet, non *liberam* eam, sed *naturalem* esse. Saepe enim intellectus, positus omnibus ad actum producendum requisitis, non potest non offerentem se objecti speciem

em apprehendere, nec propria virtute apprehendere hoc vel illud, nec hoc vel illo modo apprehendere, quod est certissimum facultatis naturalis indicium. Dixi notanter: *propria virtute*. Nam quod intellectus circa varia objecta versatur, & ab uno in aliud divertit, hoc non ab ipsius mobilitate, sed libertate voluntatis est. Quæ nisi intellectum objecto incumbentem abduceret, is sibi relictus perpetuo eidem inhæsurus, nec unquam in aliam partem se conversurus esset. Liquet præterea, quid, quantumve Legibus liceat in facultatem hanc. Nimirum nullius ea se principii externi directioni subijcit. Neque enim præcipi cum effectu potest, ut aliter rem apprehendat, quam ea se repræsentat ipsi, non magis sane atque oculis præcipi potest, ut objectum in speculo alia specie recipiant, quam illud se iisdem offert. Et hinc industriæ humanæ nihil circa hanc partem relictum. Frustra enim quis operam consumpserit, si efficere pertinaci studio conetur, ut aliter objecta in intellectum influant, ac influunt.

§. IV. *Facultas ratiocinativa* est, per quam intellectus discernit, & eruit propositiones, de actionibus suscipiendis, vel omittendis, atque in media, ad finem adipiscendum necessaria, vel saltem utilia, inquirit. Quæ facultas uno vocabulo *rationis* nomine venit. Sub objectum hujus facultatis, in ratione ad actiones humanas, spectatæ, non cadunt *res necessaria, aut omnino a mera fortuna pendentes, nec præterita, nec prorsus aliena*. Illæ enim sua natura aut determinatæ, aut fluxæ sunt,

&



& sic nulli directioni obnoxia. Circa istas, frustra-  
nea, & has, supervacanea est ratiocinatio. *Conf. Aristot. 3. Eth. N. Cap. 5. Thomas. Disput. de Action. Haman.* Atque hæc proinde facultas non nisi circa ea, quæ ad actiones nostras aliquid momenti habent, versatur. Unde & aliter longe cum ea res, atque cum priore, habet. Nam & vis legis non nihil hic exercit, & plurimum cultura humana valet. Quippe rectitudo ejus ex hoc præcipue oritur, quod quis objecto cum cura & attentione incumbit, rationes bonitatis atque malitiæ, quæ in eo obveniunt, diligenter eruit, crutas utrinque librat, juxta Legem, qua imbutus est, normam perpendit, & demique, quid faciendum, vel omittendum sit, colligit. Apparet autem, id omne maximam partem a contentione & assuefactione pendere, ad quam Lex, ejusque cognitio, conferre non parum potest. Assuefaciendus itaque animus, ut non superficialiter & perfunctorie circa objectum occupetur, sed omnes ejus partes & rationes diligenter, sollicitoque excutiat, an recte rationi conveniant, an vero in honestum pugnent, & si plura se offerant, quæ faciliora, quæ difficiliora sint, dispiciat, vires simul suas, quid valeant, quidve recusent, in consilium adhibeat, ut demique conclusionem formet, cujus veritatem clare distincteque videt. Ubi in eo præcipue haud proletaria opera ponenda, ut præjudiciis libertetur animus, quibus inde ab infantia involutus hæret; Intellectus enim noster, cum nascimur, nudus quidem est, neque alius

lius rei siue objecti imagine imbutus; postmodum autem paulatim a sensibus, incipientibus operari, imaginem unius, alteriusve objecti haurit, quam intellectus, utpote imbecillis adhuc, neque de vero anxie sollicitus, eo, quò offertur, modo imbibit, & si, quod facile accidit, in objecto sensus errant, falsum sibi imprimit, illudque tenet. Sed & alius generis erroribus pedetentim infici is solet. Nam debilis & nondum se regere aptus credit majorum præceptorumque dictis, etsi infirmis, imo sæpe nullis rationibus nitantur. Et hæc sunt præjudicia, quibus deinde impedimur in persequatione veri, illud tam clare distinctoque intueri. Hæc amovenda, hæc omni vi & contentione exuenda; & id propositum in omni vita esse debet, quòd nihil velimus admittere, nisi cuius certitudinem evidentissime perspexerimus, ita ut de eo vel minimum dubitandi nullam amplius rationem videamus. Idque non secus in moralibus obtinere debet, quam in naturalibus. Nam & in illis eo omnis opera conferenda, ut ex firmis & indubitatis principiis conclusiones iconcatenato nexu deducamus. Quod quomodo fiat, ut recte cognoscatur, quasi fundamenti loco tenendum: Quemvis hominem mentis suæ compotem, & inulta ætate constitutum, pollere saltem iis viribus, ut, si debitam diligentiam & attentionem afferat, possit recte percipere saltem primas & generales legis Naturalis a DEO præscripti regulas, & si secundum eas actiones suas dirigat, bene ac feliciter, quam

quantum in se est, cum aliis vivere, & sic societatis salutem, ad quam juvandum productum se cognoscit, promovere queat. Dicitur autem notanter: *Mentis sua competentem*; cum enim regulas illas, mediante naturali lumine, eruere oporteat; inde frustra earum cognitio sperabitur ab iis, qui usu rationis destituuntur, ut furiosis, item infantibus & pueris, quoad nondum ad eam ætatis maturitatem pervenerunt; ut in iis se exercere lumen rationis coeperit. Dicitur præterea: *Prima & generales regulas*; speciales enim seu particulares ut recte eruantur, fatemur, sæpenumero profundiori meditatione opus esse, nisi ad genuinum Principium attendamus. Cæterum nisi hoc postulatum præmuniatur, vacillabit omnis doctrina moralis, nec poterit quisquam ob violatæ hæc Jura in foro humano reus agi, cum iniquissima sane videatur pœna, quæ statuitur in transgressorem illius Legis, cujus notitiam, debita cura adhibita, acquirere non potuit, adeoque nec illi obligari; cum obligatio Legis semper præcedentem ejus cognitionem supponat.

§. V. Cæterum judicium intellectus de actionis obvenientis convenientia, aut disconvenientia, cum Lege nomine *conscientiæ* venit; quæ non unus generis; sed divisio ejus abit in *rectam, probabilem, dubiam & scrupulosam*. *Recta* dicitur, quando actionis congruentia cum præscripta norma ex firma & immota ratione facili & evidenti demonstratione deducitur; ut proinde animo ap-  
didi

dicta certitudo de rectitudine actionis insit. V. g. cum quis ab injusto invasore in presentissimum vite periculum conjicitur; ipse vero instans periculum aggressoris morte declinat; conscientiam habebit rectam, siquidem ad Principium illud Juris N. attendet, quod quilibet homo non debiliore vinculo sibi, quam cuivis alii, obligatus sit; indeque rectitudinem hujus facti firma animi persuasione deducat. Et hæc conscientia pulcherrima omnino est, & homine sapienti digna, cujus actiones non incertæ esse debent, & vacillantes, sed a firmitate quadam animi & ratione certa proficisci: quod tenaci exercitio, & indefessa meditatione effici quodammodo videtur posse. Paucis autem hæc felicitas contingit; cum enim in puerili ætate ea vi non polleamus, ut examen illud, quod iudicium præcedere solet, recte obeamus; inde sit, ut in ea ætate paulatim advescamus, iudicii rectitudinem & pravitatem ex convenientia vel dissonnentia cum Principio aliquo externo, & præcipue quidem parentum & Præceptorum approbatione, aut vituperio, metiri. Procedente deinceps ætate consuetudinem actus illi gignunt; que frequenti exercitio sensim magis magisque roboratur, & denique in omni vita plerarumque actionum unica directrix est. Idque in iis communiter obtinet, quos a studiis vivendi consuetudo arceat. Sed nec ex iis omnes, qui literarum studiis alios informant, ab hac infirmitate exempti. Nisi enim in specie hanc partem morem excolant, &

. P

non

non solum seriam in vivendi ratione voluntatem, sed & studium atque industriam pertinacem afferant, ad speratam hanc metam nunquam pertingent.

§. VI. *Conscientiæ probabilis est iudicium intellectus de objecto, quod non evidenti demonstratione, sed sola probabilitate nititur.* Probabilitatis vero hujus varium potest esse fundamentum, aut assuefactio, parentum vel docentium præscripta regula, & communis vivendi tenor. Atque hac via plerique, ut ante monitum, incedunt, atque ad hæc principia actionum plerarumque moralitatem exigunt; de demonstratione parum solliciti. Neque tamen hi propterea, quod hos vite sequuntur duces, a recto moralitatis actionum tramite aberrant. Veritas enim utrobique est eadem; sed cognoscendi eam via diversa est, atque inde manans, securitas & gaudium animæ vel majus, vel minus. Cujus enim actiones nihil probabile aut fortuitum continent, sed a solidis fundamentis & recta ratione procedentes in apodicticam demonstrationem resolvuntur, is læto omnia animo & sibi constante peragit, neque ad vanas aliorum laudes se attollens, neque ad vituperium iniquum concidens. Quæ æquitas animi & gravitas in aliis plerumque deficit. Quippe dubia, quæ aliqui fastidiose nectunt, ipsorum animos continuo suspensos habent, contumeliazque & opprobria frangunt. *Conscientia dubia est, cum intellectus in actionis suscipienda, vel alia obveniendis*

*moralitate examinanda nihil certi expectat, sed ob  
 aequale rationum bonitatis & malitiae pondus ju-  
 dicium suum suspendit. Et hæc ex infirmitate &  
 oscitantia intellectus oriri solet; cum vel ad quas-  
 vis facti circumstantias non attendit; vel principia  
 universalia sibi inexistencia non recte discernit, aut  
 ex præjudicio fortasse aliquo male applicat. Et de  
 hac recte *Moralista* tradunt, quod tamdiu actio  
 sit differenda, donec accuratiore examine insti-  
 tuto, demum, quid faciendum, vel omittendu-  
 dum sit, liquido appareat. Graviter enim pec-  
 cat, qui, cum dubia est conscientia, nihilo secus  
 ad alterutram se partem determinat, quamvis  
 fortasse in eam partem incidat, quæ vera est.  
*Perinde enim est, uti eleganter hic Pufend. loqui-  
 tur, atque si diceret; Mibi quidem non liquet, at  
 hæc actio legi repugnet; nihilominus, siue repu-  
 gnet, siue non, eam suscipiam. Quod secus lon-  
 ge in indifferentibus rebus est. In his enim, eve-  
 niente tali casu, alterutrum, si negotii celeritas ju-  
 bet, eligere, & constanti deinde animo perficere,  
 ratio vitæ Civilis jubet. De quo non ineleganter  
 Renatus des Cartes Princip. Phil. P. I. n. 3. phi-  
 losophatur: Quantum ad usum vitæ, inquit, quia  
 persæpe rerum agendarum occasio periret, ante-  
 quam nos dubiis nostris exsolvere possimus; non  
 raro, quod tantum est verosimile, cogimur amplecti,  
 vel etiam interdum, esse duobus unum altero ve-  
 rosimilius non appareat, alterutrum tamen elige-  
 re. Scrupulosa denique Conscientia dicitur, quan-**

de iudicium de actione post ejus moralitatem cognitam suscipienda vel non suscipienda, non est satis firmum & sibi constans, sed cum quadam fluctuatione animi, & formidine conjunctum. Hinc conscientia qui ex animi fortasse mollitie & superbia advescit, infelix profecto, & inquieto fere animo. Nam cum ejusmodi homines in continuo versentur metu, ne in leges sibi prescriptas peccent, & ab iis actiones instituta aberrant, inde fit, ut infirmiores tales animae angore atque metu conficiantur, tremant, cruciuntur, & saepe, quo se vertant, ignorent; ut quoad animi etiam voluptatem fere peior videatur eorum conditio, qui in virtutis studio elaborant, quam qui in libidinibus illecebris tanquam luxuriant. Videas enim voluptuarios, avaros, imo & perisape predones, homicidas, latrones, qui se ab ineunte aetate in conno peccatorum volutarunt, nulla tamen fere, quod appareat, mentis anxietate uritur; nullis conscientiae ictibus, nullis moribus lacerari, sed timore & omni formidine quasi veruos plene tranquille suggestiono indulgere. Nam quamvis sincera omnino laetitja ea non sit, qua mali effugantur, sed fucata solum & falsa, & semper interno quodam doloris sensu permixta, cujus origo ex turbato, & vitio, est jam segnitudo, reluctante animo; indignum tamen hominam virtutis studioso, vacillare, incertam & labricam mentem gerere. Firmi, constantia, excolli animi oportet esse, qui in agende nullos scrupulos morantur, sed recte sibi conscius plene procedunt

diatur vis, & nec ad dextram declinet, neque in sinistram deflectat. Sic enim nihil erit obstaculo, quo visus integra & incorrupta fruatur voluptate.

§. VII. *Facultas representativa* in intellectu est, per quam is objecta apprehensa & dijudicata voluntati sistit, atque representat. Prius enim de cogitata moralitate obvenientis actionis gloriari homo non potest, quam iudicium, quod desuper formavit intellectus, voluntatis arbitrio subjecerit. Idque ex eo etiam manifeste fluit, quod, ut supra demonstratum, intellectus inter facultates naturales sortitur locum. Unde sequitur, neque sententiam quandam teneri sine voluntatis assensu posse. Quod in sequentibus multo reddetur evidentius.

§. IX. Sæcedit alterum actionum humanarum principium, *Voluntas*, quæ, prout hoc loco a nobis spectatur, est *potentia altera anime rationalis*, per quam homo propositiones, ab intellectu circa agenda vel omittenda formatas, approbat, & appetit, atque ad eas in praxin deducendas inferiores facultates movet. Ex quo voluntatis conceptu apparet, eam non esse simplicem, sed in tres facultates abire; *Determinantem* partem, *Eligentem*, & *Imperantem*. *Facultas Determinans* dicitur, per quam voluntas humana propositioni ab intellectu circa agenda vel omittenda formate assentitur. Et hic assensus demum veram & certam cognitionem de eo, quod bonum



vel malum sit, generat. Prius enim, quam se voluntas applicat, & assentitur objecto ab intellectu exhibito, circa id se homo quasi indifferenter habet, & neque de cognitione gloriari potest, cum nec affirmet, nec neget; neque habet, quod errorem timeat; nam is omnis a festinato nimis voluntatis assensu oritur. Cum enim homo circa objectum versatur, errare non potest, quamdiu voluntatem cohibet, ut ne in ideas ab intellectu representatas consentiat, vel ab iis refugiat, h. e. affirmet de iis aliquid, aut neget. Neque etiam la-  
 bi in errorem possumus, si iis tantummodo assentiamur, quæ percepta clare & distincte ab intellectu sunt. Quamobrem cavendum, ne, quamdiu propositionum formatarum perceptio adhuc confusa atque obscura est, assensum iis præberemus. Nam facili hoc modo in errorem lapsus, nec nisi per accidens, & quasi fortuito, in eam partem, quæ vera est, incidimus. Quæ in re maxime, pere miranda est voluntatis amplitudo. Nam intellectus quidem limitibus valde angustis circumscriptus; Nihil vero quisquam velle intelligere posse, in quod non voluntas etiam nostra ferri queat. Et inde erroribus origo. Quia sæpe voluntas excurret in ea, quæ extra limites claræ cognitionis in intellectu sunt constituta. Igitur, quod falso aliquid vel agendum, vel omittendum iudicemus, defectus est in applicatione præcipitata voluntatis, quæ ab iis credendis, quæ non omnino certa & explorata sunt, abstinere debebat. Atque hinc  
 etiam

etiam determinari potest maximi momenti quaestio, quam ancipiti ratione ventilari videas: Quantum nempe legislator in subditorum animis efficere circa res religionis possit? Si enim vero & genuino de Numine sensu imbuti sunt, ita, ut clare distincteque videant per Spiritum Sanctum confirmati, puræ se religioni deditos; nulla vi, aut arte, effici poterit, ut ne voluntas rapiatur ad assensum objecto, clare distincteque cognito, præbendum. Quod si vero imminentis alicujus periculi metu adduci se passus quis fuerit ad actus, diversæ religioni congruos, peragendos, simulatio ea ad tempus efficta erit, & externa religionis professio; non vera religio; utpote quæ principaliter mentis sententiam respicit, & certum de DEO sensum. Igitur hoc quidem casu motus externi & gestus violentiæ concedent, & tuæ voluntati litabant; animus longe erit. Cum enim sola vis non possit efficere, ut intellectus rem aliter repræsentet, inde etiam nec voluntas compelli poterit, ut deneget assensum judicio intellectus, tam aperta & distincta veritate nitenti. Quod si vero aliquis falsæ religioni adhereret, ut assentiatur voluntas ejus objecto, ab intellectu non clare distincteque percepto, non incongruum, talem compelli, ut statis temporibus actus quosdam pedagogicos exercent, verbumque Divinum pure prædicari audiat. Dum enim iis rationibus stabiliri contrariam doctrinam videt, quibus enervandis sit ipse impar; inde paulatim animadvertit, animis mature voluntatem approbasse

ideas, ab intellectu ipsi oblatas, & sic paulatim successu temporis eripi ab erroribus, atque in rectam viam deduci poterit. Quapropter non ferro, & armis, sed consilio, & ratione, hic depugnandum; neque cogendi, sed convincendi animi. In quam sententiam præclare Pufend. Elem. Jurisprud. Qu. II. Obs. II. n. 7. p. 319. *Vis externa non id proprie efficit, ut in id feramur, a quo voluntas nostra aberrat, sed vel proposito malo majori minus malum appetibile adeoque voluntati conveniens reddit; quemadmodum lucrosam, parte duntaxat soluta, socio debito liberari, vel illud persuadet, ut rei alicujus appetitionem & adversationem signis exterioribus mentiamur. Cetera omnia, qua blandis illecebris voluntatem delinire, aut per aspera servere, aggrediuntur, nullam obsequii necessitatem afferre possunt. Conf. Grot. d. J. B. & P. L. II. c. 22. §. 45. sqq.*

§. IX. *Facultas voluntatis eligens dicitur, per quam voluntas sese applicat ad operandum conformiter propositioni, factam, vel ejus omissionem, præcipienti. Posteaquam enim voluntas his, quæ ab intellectu percepta sunt, assensum præstitit, ut foveat jam homo de agendis certam sententiam; proximum est, ut se detegat, velitne, quod agendum esse, evidenter videt, estimatque, ipso actu efficere, nec ne? Atque hæc facultatem eligentem cum triplex comitatur libertas, contrarietatis, quam vocant, per quam et pluribus objectis hoc vel illud eligere homo potest;*

let; *contradictionis*, per quam ad agendum se determinare, & ab actione abstinere potest; & denique *modi*, quæ efficit, ne uniformiter seu uno eodemque modo voluntas operari cogatur; tum spontaneitas, per quam voluntas seipsam intrinsecus velut impulsu movet ad appetendum vel fugiendum objectum ab intellectu ostensum. Et hæc spontaneitas non solum pertinet ad actiones voluntarias, quæ vulgo tales κατ' ἐξοχήν dicuntur; sed etiam ad mixtas se extendit, quæ vocantur, cum quis ad evitandum malum (non morale) sive vere, sive saltem apparenter majus, minus eligit. Certe enim propositis talibus duobus malis, in arbitrio voluntatis est, ad alterutram se convertere partem. Ubi igitur, ponderatis circumstantiis, determinat se, hoc ipso non ex interna necessitate, sed sponte agit; ut proinde hujus generis quoque actiones recte in numero voluntariarum ponantur. *Pufendorf. Elem. Jurispr. Un. c. 1. n. 2. Conf. P. Martyr. Comment. in 3. Arist. Eth. N. c. 1. Hum. 3. Phil. Mor. 4. §. 2.* Dicitur est, spontaneitatem *intrinsecum impulsu* desiderare. Quod si enim principium se determinandi extrinsecum sit agenti, actio spontanea vocari non potest. Exerit autem se spontaneitas per actus duplices, *obscuros*, & *imperatos*. Illi dicuntur actus voluntatis immanentes, qui a voluntate immediate orti in eadem recipiuntur. Et hos in sua potestate voluntas absolute habet. Nulla enim vi adigi potest, ut velit aliquid intrinsecus, quod ipsi dis-

convenit; ut consequenter actus hi elicti semper  
sunt spontanei. *Dürx. Probl. Mor. L. I. c. I. qu. 4.*  
*Imperati* audiunt, quos voluntas mediate per fa-  
cultates nimirum inferiores, utpote locomotivam,  
producit. Qui actus simpliciter & per se sine re-  
spectu ad actus elictos spectati, ut meri inferio-  
rum facultatum, motus sunt, a coactione non sunt  
immunes, quod experientia quotidiana compro-  
bat. Quo sensu tamen actus imperati nullo mo-  
do attribui voluntati possunt. Si autem actus  
imperati spectentur, quatenus imperati sunt a vo-  
luntate, nihil manifestius, quam actus elictos il-  
los involvere, atque hinc coactioni nulli subiace-  
re, nisi sub idem jugum cogere ipsos elictos vo-  
luntatis actus velis, quod tamen fieri non posse,  
antea ostendimus. Caterum actuum elictorum  
alii rursus circa finem, alii circa media ad eundem  
pervenienti occupantur. Illi tres sunt: *Volitio;*  
*intentio, fectio.* Conf. *Ruf. c. l.* Hi totidem;  
*Consensus, electio, & usus.*

§. X. *Volitio* est actus simplicis compla-  
centiae, quo voluntas simpliciter fertur in finem,  
non habito ad circumstantias respectu. Pertinet  
autem volitio vel ad actiones proprias vel alienas.  
Quo intuitu divisio ejus abit in *expressam* & *tacitam*  
seu *presumptam*. Voluntas *expressa* est, quan-  
do quis signis sufficientibus, probari a se alterius  
actionem, ostendit. Voluntas *tacita* seu *presumpta*  
est, quae vel ex natura negotii, quod geritur,  
vel ex absentia expressi dissentus colligitur. Quo-  
admo-

admodum absens in salutarem negotiorum suorum  
 gestionem consentire præsumitur, & hinc ad in-  
 demnitatem negotiorum gestori præstandam obli-  
 gatur. Quo etiam pertinet obligatio, quæ ex ipse  
 se venire dicitur. Vid. *L. 46. ff. de O. & A.* *Fa-*  
*ultas* denique *imperans* est, per quam voluntas  
 post factam electionem atque decretum inferiori-  
 bus facultatibus injungit motum, ad producen-  
 dam actionem necessarium. Sedet enim volun-  
 tas tanquam potentissima regina, cujus ipsum nu-  
 tum observare inferiores facultates debent. Ne-  
 que vero hoc se imperium ad omnes inferiores fa-  
 cultates extendit. Ita non subjacent ipsi facultas  
 nutriendi, augmentandi, sentiendi, generandi &c.  
 cum voluntatis arbitrio non contineatur, quomo-  
 do ingestus cibus per tubum alimentosum ferri,  
 in ventriculo digeri, & inde in intestina effundi  
 debeat; neque efficere potest, ut per venas la-  
 teas collectæ alimenti nobiliores partes in sini-  
 strum prius, quam dextrum, cordis ventriculum  
 profluant, aut denique per circulum non agant  
 suum cursum. Neque impedire voluntas potest,  
 quo minus ab aëre tremulo, luce atque odorife-  
 ris halitibus organorum fibrillæ afficiantur, ejus-  
 que motus perceptio in mente existat. Nulla  
 ejus vis circa ovulorum per tubas Fallopianas ap-  
 prehensionem, atque in uterum effusionem, circa  
 fetus detentionem, & efformationem, convulsio-  
 nes & motiones membrorum, denique generaliter  
 circa sentientis & vegetantis animæ operationes.

Quo

Quo ipso tamen non perit libertas voluntatis in subtrahenda utrique animæ materia. Ita enim tum fames vellicat, aut sitis urit, abstinere tamen a cibo aut potu capiendo homo potest. Et ita denique actio moralis producit, siue convenientiam, siue disconvenientiam, cum præscripta Lege involvens.

§. XI. Sunt vero haud pauca, quæ, suffusa quasi caligine, intercipere genuinum intellectus iudicium solent, vel etiam tanquam pondere quodam voluntatem ad aliquam partem inclinant. Et quidem cum in intellectu non est simplex veritas, sed præterea positiva falsi apprehensio, tum isti errore hæere dicitur; quem vulgo dividunt in *vincibilem*, quem quis sua culpa contraxit, & *invincibilem*, in quo quis absque sua culpa versatur. Ita si quis ferrum alienum pro suo feriat; venator hominem pro fera sternat; patrem quis, eum hostem credens, occidat; Hi erroris vincii plerumque possunt, utut evenire quandoque circumstantiæ queant, quibus morali æstimatione sint invincibiles. Contra hominem ignotum, sed insontem tamen, nocte concubia, in suis adibus deprehensum, pro fure tractare; feminam honestam, in loco infami inter sceleratos homines repositam, pro meretrice in carcerem abstrahere; innocentem, quem acta & probata urgent, condemnare, ea plerumque ex errore invincibili contingunt; sed intellige, *moraliter*, ne in errore distinguentis erres. Quamvis enim nullus fore de legi

legari possit error, qui in se & sua natura absolute sit invincibilis; id tamen sæpe, uti memorata exempla ostendunt, accidit secundum æstimationem moralem, h. e. ut quis errorem, adhibita, quamvis ea cura, quam vitæ communis ratio & hominum consensus fert, evitare non possit. Error autem ejusmodi invincibilis circa præcepta morum generalia non solum iis non obrepit, quibus rationis lumen excolere & vitam ad honestatem componere cordi est; sed nulli omnino mortali; si enim præcepta illa morum generalia sint Leges Naturæ, siue positivæ; utroque casu debitam curam adhibenti sufficienter innotescunt; & consequenter invincibilis error in iis locum non habet. Nam, uti recte monet *Pufendorfius*, capita generalia Juris N. perspicua sunt, & obvia; Legem autem positivam qui sancit, siue DEUS, si sit, siue legislator humanus, id omni cura efficit, ut sufficienter ea promulgetur, & ad omnium, quos obligare debet, notitiam perveniat; unde vitæ cum sine crassa & lata negligentia, cum qua sine error invincibilis nequit, non facile erratur. Secus autem se longa res habet in factis singularibus, quo cum a certi individui merito arbitrio, & obligare non valente, proficiantur, inde in errorum cum, ut facilis est lapsus; dum quis, erat, vel firmus subiectum agens, vel tempus, vel modum, vel denique aliam circumstantiam,

§. XII. Absentiæ cognitionis simplex, h. e. esse oppositi apprehensione non conjuncta, vocatur



tur *ignorantia*. Potest autem ignorantia duplici modo considerari, vel intuitu *originis*, vel ratione *influxus in actionem*. Quo respectu ignorantia alia est *efficax*, alia *concomitans*. Illa est, a qua tanquam fonte suo processit actio, ut, si ignorantia abfuisset, actio non fuisset suscepta; ut si quis, arbore caesa, hominem, quem praeterire ignorabat, occidat, aut venator feram emissio jaculo verberaturus socium ex dumetis forte erumpentem trajiciat; utraque ignorantia efficax saltem praesumptive est, h. e. ita comparata, ut, si ea abfuisset, actio non fuisset regulariter patrata. *Concomitans* autem *ignorantia* audit, sine qua actio nihilominus fuisset suscepta, quaeve proinde nuda atque simpliciter actionem comitatur. Ut si quis, excusso ex sclopeto globo, ignorans feriat inimicum suum, cujus tamen occidendi cupiditate jamdudum aestuabat.

§. XIII. Pertinet praeterea ad intellectum, & in specie quidem ad facultatem ejus alteram, *compositivam*, consultatio, quae est *investigatio pervisionem mediorum latentium, quae ad nos pertinent, ac in nostram sunt potestate, ut portionem inveniamus pro consequendo fine*. Unde apparet, consultationem actum intellectus esse; quo nempe in idonea ad consequendum finem media inquirunt. Ubi praecipue rursus ea juvat, quae aptum consultationis objectum constituunt. Arcemus autem ab eorum numero primo *Res praeteritas*; Neque enim quod factum est, ullo consilio, aut ratio-

ratione fieri infectum potest. Et, recte monente *Cicer. de Fin.* quod semel amissum, coërceri, reprimique non potest. Et qui ejusmodi consilia meditantur, iis læsa phantasia, & cerebrum hellebori indigum. Neque secundo de iis deliberamus, *qua a casu aut fortuna ludibrio dependent.* Nam & hæc animi consilium respuunt, & eo obfirmato, mutabili relinquenda sorti. Quod si secus, quam existimaras, ceciderint; tu vero persuade tibi, aliter non potuisse ea evenire. Ita enim efficies, ut, cum ea numero impossibilium censebis, non magis ea desideres, quam alas, ad volandum, aut plures ad celerius currendum pedes. Vilia cogites esse, atque caduca; nec acrius eorum jactura angaris, quam naufragis mercator dolet, post vilissimarum mercium jacturam, salvum se cum gemmis thesaurisque ad portum appulisse. Quo loco non possum non cujusdam Philosophiam laudare, qui nihil magnopere ad sapientem pertinere judicat, nisi animum; neque in eorum, quæ extra eum sunt posita, quicquam laborandum esse. Quid ergo tu jam etiam in maximis lætiosissimorum temporum asperitatibus reperies, quo angis, quo affligi possis? Bonorum fortunarumque naufragia? Sed extra te sunt: Honorum auctoritatisque jacturam? Sed ea non in te ipso, verum in aliorum de te opinione sedem habent. Valetudinis amissionem, corporisque squalorem? Et vero id maximum, & miserrimum miseriarum omnium, *studeo*, sed tamen tale, quod purissima mens nondum

dum agnoscit suum. Detur venia; evagari hic parumper juvat, rei que gravissimæ, utilissimæque ad regendam vitam, rationem atque causam intimius rimari. Etenim cum ante corruptionem, peccato originali factam, animus purus, integer, incorruptus, & ab omni perturbatione liber fuerit, beatum statum illum in hoc veluti carcere, quantum potest, affectat. Quod quoniam affectus reculant, contrarii inimicique rationi; hinc illæ veluti pugnæ, & prælia; hinc motus, & perturbationes illæ, quibus animus, tanquam tot hostibus impati, plerumque vincitur, maxime, si nudus, & infirmus est, nullis præceptis, præsidii que sapientiæ, ceu armis, & clypeo, instructus. Hic vero nitendum contra, atque despicienda sunt, in quibus nullus rationi, consilii que locus. In quorum numero etiam habenda, quæ necessaria atque perpetua sunt; horum enim principium uti ab humano ingenio non dependet; ita nec tolli ab eo, aut mutari ullo modo queunt; quo pertinent motus, & conversiones stellarum; item tempestatum, varietates. Quamobrem consultatio, de iis solummodo suscipienda, quæ ad nos pertinent, in nostra potestate sunt, quæque per nos fiunt, ut ait *Aristoteles*. *Eth. Nic. 5.* Liqueat præterea, id, de quo deliberamus, medium adipiscendo fini intersvens esse debet. Ipsa enim finis sub consultationis objectam accedit, sed ei, tanquam fundamento, subternatur. Ubi tamen haud vana distinctio inter ea, quæ per se, & quæ de fine, fiunt. Quippe manuumque

adhuc incerti agitamus consilia, quem potissimum finem intendere debeamus. Tum vero *finis* respectus perit, & consideratur itidem ut medium, quod sternat viam ad consequendum finem, saltem ultimum. In dijudicandis vero mediis prudenter agendum. Examinanda, ponderanda, denique intime perspicienda sunt, ut, quæ cæteris præstant, anteferantur, & ne multitudo confusa cumulatione a recto tramite abducatur, pauciora præ pluribus amanda, ne in vulgatum illud peccetur, quo, quod per pauca fit, per plura fieri vetatur. Abhorrendum præterea ab illis, quæ & turpitudine aliqua & macula comitatur. Imo talia proorsus pro impossibilibus habenda; Nam quæ lædunt pietatem, existimationem & generaliter contra bonos mores fiunt, ne facere quidem nos posse, credendum. L. 15. ff. de Cond. Inst.

§. XIV. Ex parte *Voluntatis* illud præcipue notari meretur, quod, quamvis nulla vi, aut necessitate, ad suscipiendam actionem possit adigi; non tamen ea semper tam laxa libertate fruatur, ut quasi in æquilibrio posita ad alterutram se deinde partem determinet. Multa persæpe sunt, quæ veluti pondere quodam inflectunt animum atque ad certarum actionum vel exercitium, vel omissionem, stimulant. Eminent vero inter ea peculiaris ingenii habitus, quem regionis genius & circumfusæ aër, item ætas, alimenta; ratioque vivendi, alte ingenerant. Ita promptus & turbulentus animus ut plurimum veluti torrente quodam, ite

Q

in

in sermones propendet, nec facile intra illud loquendi tacendique confinium sese continet, in quo deliberandum, utrum ingratus sit futurus sermo, an fastidium creatura illa verborum profluentia. Quibus atram bilem copiose circa praeordia natura stipavit, ii fere tardi atque inutili langvore haerentes aegre se ad actionem applicant; eam praesertim, quam periculum aliquod comitari videatur. Equis nescit, etiam vulgo jactari, Italos praeter ceteris libidinum stimulis uri, ad potum proniores Germanos, Gallis insitam levitatem, tarditatem Hispanis? Hic vero omnino consule Nitidissimi *Barclaji Icon. Animor. Add. Lucan. L. 8. & Char. de la Sageffe L. 1. c. 42.* Neque tamen haec ingenii dispositio in eam vim evalescere potest, ut liberum voluntati arbitrium omnino eripiat. Licebit repugnare urgenti genio, & tanquam ruptis carceribus, in liberio rem se agendi campum asserere. Quod ni ita esset, nemo Jure criminis ageretur reus, cujus commissio ab inclinatione naturali profecta. Sapienter & recte *Socrates ap. Xenoph. Apomnem. L. 1. Πάντα μὲν ἐν ἔμοιργς δοκῆ τὰ καλὰ, καὶ τὰ ἀγαθὰ ἀσκητὰ εἶναι.* Add. *Pufend. d. 7. N. & G. L. I. cap. IV. §. 5. & Huartes Sem. Ingen. c. 5.*

§. XV. Non minus robur hominem ad certum actionum genus inclinandi affectibus inest, motibusque animi. Prout enim hi per objecta convenientibus organis recepta excitantur; ita liquetos veluti voluntati injiciunt, irretitumque ve-

rie trahunt ad volendum perficiendumque bonum, sub cujus specie exorti sunt. Sed nec horum potest esse tam durum jugum, quin, eo excusso, in diversam liceat partem tendere, & meliora sequi. Quod de actibus scilicet externis intelligendum, in quos poena in foro humano constituta est. Primi enim illi motus, qui & ipsi in foro Divino & conscientiae peccaminosi sunt, evitari non semper queunt; eorumque origo ab originali peccato praecipue dependet, quod ab homine sibi relicto ex solo naturae lumine cognosci non potest. Unde liquet, veritati non satis litare *Cartesium*, & quos invenit assensores, dum statuunt, *posse acquiri imperium absolutissimum in omnes passiones, si sat industria adhibeatur*. Cum enim fons obstrui, & radix evelli, nullo modo possint, nec propullulantes inde herbae queunt. Et haec involuntaria illa delicta sunt, quibus omnes homines, etiam renatos, obnoxios esse, fide Christiana scimus. Add. *Rich. Cumberl. d. LL. Nat. cap. 2. §. 26. 27.* Praeterea acriter hominem ad certas actiones assidua earum repetitio seu consuetudo stimulat; ita ut prona voluntate homo in actum, praesente objecto, erumpat. Qui actus si sint tales, ut sint vel praecipiti, vel prohibiti, habitus iis respondentes virtutum, vitiorumque nomen induunt, de quibus passim Ethicorum vulgus. Sed nec illi actus, qui ab ejusmodi habitibus proficiuntur, ejusmodi sunt, ut imputari non possint. Quamvis enim maxima in homines protervitas in homine detur, ea ta-

Q 2

men

men spontaneitatem non tollit; cum utique voluntati superiunt vires ad contrariam se partem, quamvis difficili opera, determinandi. Quod de ebrietate quoque sentiendum; nisi extrema ea sit, omneque animi lumen extinxerit. Quamvis hoc ipso non desinat quis poena dignus esse, cum proæretice atque sciens potu se nimio ingurgitavit, vid. *Pufend. c. l. §. 8.* Nobis hic claudere rivos, utut nondam exhaustos, libet, Divinoque Numini pro gratia, qua tenui labori adfuit, submissas grates decernere.

## DISSERTATIO IIX.

DE

### JURE PARENTVM ET LIBERORVM SECVNDVM LEGEM NATVRAE.

§. I.

**J**ura Parentum & Liberorum mutua excussuri, ne in tenebris cæci versemur, aut lubricam insistamus viam, certum fontem atque principium patriæ potestatis ante omnia investigabimus, ex quo deinceps, quatenus parentes liberis imperare, & hi illis obedire teneantur, concatenato nexu, præsertim Naturæ Lumine, demonstrabimus. Perplexæ vero est de origine Juris seu potestatis parentum in liberos quæstio. Mira enim circa hanc rem sententiarum divortia deprehendo; quorum præcipuas

EXCUS-

excussum hic ire libet, &, quam prope a veritate absint, inquirere. *Pufendorf. d. J. N. & G. VI. 2. 4. ac d. Off. II. 3. & 2.* pro duplici origine pugnat. Una ipsi est cura liberorum, a Lege Naturæ parentibus injuncta, quæ necessario quoque potestatem inferat; cum ille finis sine hoc medio obtineri non possit. Altera ipsi est tacitum atque præsumtum inter parentes & liberos pactum; quemadmodum enim parens hoc ipso, quod infantem tollit, declarat, sese obligationem, a natura injunctam, impleturum, infantemque, quantum in se, bene educaturum; ita contra infantem, etsi propter latentem adhuc rationis usum, reciproca officia, parentum obligationi ex adverso respondentia, expresse nequeat promittere, ex ipsa tamen parentum opera obligationem contrahere, non minus, quam si expressus ipsius consensus accessisset. Enim vero ut hæc speciose satis; tamen si rem attentius consideres, stare non videntur posse. Quamvis enim non eamus inficias; ex Lege Naturæ parentibus incumbere alimentationem atque educationem liberorum; & propterea etiam potestatem aliquam eadem Lege attribui; illa tamen, tanquam medium, ab educatione, utpote sine, mensuram capiet; adeoque non erit major, quam proli educandæ sufficit. Atqui multo excellentior & amplior est parentum in liberos potestas, quam necessitas educandi efflagitat. Nec sane majorem sibi potestatem jure parentes arrogarent, quam in alumnos educatores, vel in pupillos tutores. Utrisque enim idem officium,

Q 3

cium,



cium, pari omnino ratione, incumbit. Vid. *Kulpisii Colleg. Grot. Exercit. IV. n. 1. lit. c.* Ex tacito autem pacto quod eam derivat, in evidentem Juris rationem haud dubie impingit. Cum enim pactum, etiam tacitum, sit duorum pluriumve in idem placitum consensus, adeoque omnem substantiam suam a consensu capiat, quomodo id quæso ab infante iniri potest? Cum in hoc adeo cesset rationis usus, ut parum a furioso distare dicatur, in *§. 9. I. d. Inutilib. stipulæ.* Ais: Evincere hæc, expressum in infante consensum locum non habere, quo ipso tamen non tollatur præsumtus, qui in eum omnino cadat. Sed quæ præsumtus eo consensus potest, qui per naturam consentire non potest? Præsumtus enim consensus respicit expressum, ita, ut is naturaliter & proprie in nullo subiecto adesse queat, in quo hic locum non invenit. Dicis: Imo intelligitur sæpe tacitum a pupillis pactum iniri, propter consensum præsumtum, ut patet ex *L. 46. ff. d. O. & A.* Et exempli loco potest esse pactum tacitum inter pupillum & tutorem, in ejus res impensas facientem, vi cujus obstringitur pupillus tutori ad indemnitatem; &, qui in communione cum pupillo est, habet itidem cum extraneo sibi pacto obligatum, ad satisfaciendum sibi eorum intuitu. Veruntamen notandum, præsumtum hunc consensum non esse ex facto proprio, sed fingi ex æquitate; unde & hoc casu obligatio non tam ex contractu descendere, quam ex re ipsa; h. e. ex ipso hoc commodo, seu utilitate venire dicitur.

tur. c. l. Præterea illud quoque ex hac sententia sequitur, posse Jus parentum in liberos, dissensu & contradictione filii adulti, dissolvi; cum consensus præsumtus vel tacitus tollatur per expressum dissensum; quod tamen repugnat naturali vinculo inter parentes & liberos, utpote quod dissolvi nullo casu potest. Quo ipso etiam perit dubium, quod non nemo hic facit, liberos nimirum, modo tunc temporis potuissent, quantum ad hoc negotium, consensum suum exprimere, a quonam potissimum educari, & sibi prospici velint, suos parentes præ cæteris nominaturos fuisse. Hic enim nondum potest proprie dici præsumtus consensus, & saltem per dissensum subsequentem dissolveretur. Instas: Filium tamen per beneficia paterna ad gratitudinem obligari? Quod haud inviti largimur; sed ex eo inferri patria potestas nondum potest; Obligatio enim, quæ ex benefactis in eo, in quem ea conferantur, oritur, non nisi Jus imperfectum gignit, seu quod cum Jure exigendi conjunctum non est, quod tamen parentum potestas manifeste involvit. Id quod laudatus *Kulpis c. l.* per differentiam inter Jus benefactoris & patriæ potestatis exprimit. Neque hic *Pufendorfio* patrocinatur, allegata ab ipso *L. 2. ff. d. Neg. gest.* ubi hæc habentur: *Si quis absentis negotia gesserit, licet ignorantis; tamen quicquid utiliter in rem ejus impenderit, vel etiam ipse se in rem absentis alicui obligaverit, habeat eo nomine actionem. Itaque eo casu ulro citroque nascitur actio, quæ appellatur negotiorum ge-*

Q 4

storum

*storum &c.* Absens enim, cujus negotia geruntur, itidem non tam ex consensu, quam ex re, seu ipsa utilitate, quod res ejus bene gesta sint, obligatur.

§. II. Altera sententia est *Hobbesii Elem. d. Civ. IX. 2. seqq.* Is enim cum naturale statat omnium in omnes bellum; adeoque in statu naturali cuivis quidlibet licere existimet, inde & patriam potestatem ex eadem hypothese deductam cupit; ut adeo patria potestas Jure Naturæ ei competat, qui arbitrium in vitam & necem infantis primum habet. Unde concludit, Jus & potestatem in liberos originarie non patris, sed matris esse; quippe quæ primum infantem in potestate habeat; eumque sine dubio ea lege fervet, ut ne sibi aliquando hostis fiat; sed potius obtemperet. Dominium autem hoc ad alios transire diversis modis. Et quidem I. Si Jus summi dereliquerit, seu abjecerit, filium exponendo. Eum igitur, qui expositum educaverit, idem habere dominium, quod habuisset mater. II. Si mater bello capta sit, natum ex ea capientis esse, propterea quod qui dominium imperiumque habet, dominium habet in omnia, quæ sunt ejus, & hinc etiam in filium. III. Si mater civis sit alicujus civitatis, eum, qui in ea civitate habet summum imperium, dominium habere ejus, qui ab ea nascatur. IV. Si mulier se viro tradiderit in vitæ societatem, ea lege, ut imperium apud virum sit, & qui nascatur ex ambobus, Patris esse, propter potestatem in matrem. Sed nullus hæc sententia, evidenter falsæ, colorem allinet queunt.

queunt. Primo enim generaliter fundamentum illud, cui omnem suam doctrinam moralem *Hobbesius* superstruxit, de omnium in omnes bello, lubricum, imo aperte falsum atque absurdum est; cum potius socialitas, ad quam conditus homo, ingeneratum homini erga proximum amorem infuset. Inter matrem autem in specie, & infantem, que fingi pugna, & eam secuta victoria, potest? Cum per amorem parentes, quem in natos habent summum, nihil minus, quam bellum, facerent, uti *Alliarti in Compend. Jur. Nat. Orthod. c. XI. §. 7.* loquitur. Quod si eam a facultate occidendi infantem deducere velis, nihil ages; Facultas enim illa occidendi non moralis est, sed tantum physica, que tamen Jus nullum, utpote morale quid, producere apta est; Sed nec dici potest, in patrem derivare potestatem, originarie a se acquistam propterea, quod ipsi ascendum, atque formandum, tradat. Inde enim sequeretur, tutores in pupillos, quos itidem alunt & educant, educatores in alumnos, in quos eadem officia exercent, tam eximiam potestatem habere.

§. III. Illud Majestate Numinis indignum videtur, quod *Hornius Pol. L. 2. §. 3.* statuit, omnem parentum in liberos potestatem in ipsos a DEO per modum delegationis esse profectam; ut adeo hæc in liberos potestas non sit proprie patria, sed Divina; quam pater sibi commissam vice DEI in his terris exercoat. Potestas enim delegantis & delegati eadem est specie, adeo

Q 5

que

que æqualis virtutis; deinde concessio Divina est causa, neque inter utramque ulla differentia intercedit; nisi quod mandans & committens eam Jure proprio, Delegatus autem & Commissarius nomine alieno, exercet; quod ad vim tamen utriusque & effectum, vel augendum, vel minuendum, nihil quicquam facit. Quam id vero contumeliosum in DEUM, imo absurdum plane est, homini parem cum ipso potestatem in alios tribuere? Vid. *Puf.* d. *J. N. & G. VI. 2. 4.*

§. IV. Ad genuinum jam devenimus fundamentum, a *Grotio* ex parte defensum, quod & nostrum hic facere nulli dubitamus. Nimirum omne jus in liberos parentes acquirunt, voluntate Divina, per generationem, & ob eam presumptum ex æquitate in liberis consensum; hunc enim *Grotius* rationi addimus; nec sine ratione, ut ex infra dicendis apparebit. Triplicem ergo huic obligationi causam assignamus, unam proximam, alteram propinquam, tertiam remotam. Et remota quidem seu prima & universalis Voluntas Divina est, a qua tum cætera hominum in homines Jura; tum etiam hæc liberorum adversus parentes obligatio est. Causa proxima recte dicitur generatio, non recte hinc a *Pufendorffio* occasio solum officii paterni vocata, d. *J. N. & G. L. VI. c. II. §. 6.* quam dum peragunt parentes, DEUM quodammodo referunt, uti eleganter *Judæorum* doctissimus *Philo* ait; Verum generatio non constituit proximum hujus obligationis principium, neque

per

per se evidens est, quod a me genitum est, meum esse; non secus, atque in triangulo non statim apparet sine ulla ratiocinatione, angulos ejus esse æquales duobus rectis; uti non male loquitur *Hobbes de Cive o. IX. §. 1.* Et ibidem alio modo eadem exprimit, cum ait: *Socrates est homo, ergo & animal, recta argumentatio est, eademque evidentissima, propterea quod nihil opus est ad consequentia veritatem cognoscendam, nisi ut recte vox homo intelligatur, quia animal est in ipsa hominis definitione, suppletque unumquodque propositionem, que desiderabatur, nempe hæc* HOMO EST ANIMAL. Et hæc: SOPHRONISSUS SOCRATIS PATER EST, E. ET DOMINUS, *recta forte interpretatio est, ceterum non evidentissima, quia Dominus non est in definitione patris; itaque opus est ad evidentiam, ut patris & domini connexio explicetur.* Igitur inter generationem & obligationem intermedius est consensus liberorum, non quidem ex facto proprio, sed mera æquitate ob generationis beneficium in genitis præsumtum. Sane enim nulla obligatio intelligi potest sine consensu, saltem tali præsumto. Et hæc est obligatio illa, quam supra tetigimus, & quam *ex re Jcti* venire dicunt; h. e. ex ipso alterius facto, propter quod alterum obligari ad vicissim aliquid præstandum, æquitas naturalis jubet. Et hic consensus, cum non nisi ex æquitate præsumatur, in quemvis, etiam expresse aut tacite alias consentire non volentem, cadit. *Add. L. 46. ff. de O. & A.*

§. V.

§. V. Excutiamus jam breviter ea, quæ contra hoc, a generatione desumptum, fundamentum solent objici. Et *Pufendorfio* quidem *supra c. l.* ex hoc capite insufficientis hoc principium videtur, quod per generationem filius patri fiat similis, adeoque ab omnibus juribus, homini naturaliter competentibus, participet, & hinc eo respectu nullum imperium agnoscat. Æqualitas enim illa non est omnimoda & absoluta, sed respectiva, quæ nimirum restringenda ad ea, quæ pater in esse suo absoluto, seu ut homo, habet, sive physicum, sive morale quid sint, non autem ad ea extendenda, quæ ipsi quoad esse respectivum, seu ut patri, competunt, inter quæ hæc in liberos potestas est. Neque ad rem quicquam facit, quod ait, *generationem talē actu exerceri, quem ferè nostra delectationis causa suscipiamus.* Neque enim ex intentione hujus vel illius individui judicandum, sed finis primarius, qui generaliter & per se tali actui intenditur, vel saltem intendi debet, respiciendus. Objici præterea solet, quod, si pro fundamento hujus juris ponatur generatio, propter æqualem ad eam concursus, æqualis etiam matri cum patre potestas in liberos attribuenda foret. Sed primo audacter asseritur, pari virtute ad proles generationem concurrere patrem & matrem; cum potius illud sit veritati convenientius, quod & suffragio plerumque accuratiorum Philosophorum communi corroboratur, in generando spiritus seminis paterni habere

habere se per modum principii activi, quod actu-  
 et in foemina existentem materiam, seu ovula. Ut  
 adeo multum hic vires paternæ emineant. Quod  
 si autem, quia ejus rei veritas nondum satis expe-  
 dita est, vel maxime concederemus, æqualiter ut-  
 rumque in generatione concurrere, ex eo tamen  
 æqualis potestas in liberos neutiquam evinci pos-  
 set. Neque enim, cum pro fundamento patriæ  
 potestatis venditamus generationem, hanc pro nu-  
 do & mero actu physico acceptam volumus, sed  
 quatenus is actus a certis personis, quæ in dispa-  
 ram intuitu Juris societatem concesserunt, procre-  
 andæ sobolis causa suscipitur; cujus proinde ad-  
 mixtæ moralitatis intuitu æqualiter concurrere, pa-  
 ter & mater, dici non possunt. Quod accurate  
 deduxit sæpe laudatus *Kulp. in Coll. Grot. Exerc. IV. §. 1. I.* Qua responsione simul etiam satisfacit  
 novo dubio *Hobbesiano*, ab indivisibilitate imperii  
 desumpto. Nam & hic supponit, parem inesse in  
 generatione patris & matris virtutem. Quamvis  
 & illud sit satis absurdum, quod in hoc negotio  
 de summo imperio loquitur, cum tale in parentes  
 nullum cadat. Adduci etiam *Lactantii* quidam  
 locus solet in elevando Jure ex generatione na-  
 scente. Is enim *Div. Inst. L. Voc. 18.* *Qui fili-  
 um generat, inquit, non habet potestatem, ut  
 nascatur, vel ut vivat.* Unde appareat, non esse  
 illum patrem, sed tantummodo generandi mini-  
 strum. Veruntamen, quamvis in nostram hæc  
 verba sententiam essent, argumentum tamen hop-  
 parum



perum haberet roboris, utpote *ab autoritate* petitum; non vere autem ea repugnare nobis, facile apparebit, si attendamus, considerare ibi *Latantium* Jus patris in oppositione ad Jus Divinum in liberos, quo sensu illud tantum deprimi non potest, quin minus sit; Nos autem, cum de patrio imperio loquimur, id non Juri Divino, sed aliorum hominum opponimus.

§. VI. Evoluto jam potestatis parentalis fundamento, proximum est, ut indagemus, an ea patri sit propria, an vero cum matre, & quo cum temperamento, communis. Et hic quidem recte distinguit *Pufendorfius* inter statum in civitate, & extra eam. Hoc enim casu, si pactum intercessit, illo standum erit; sin minus, mater sine dubio originaliter omnem in suam prolem potestatem habet. Cum enim rem cum pluribus habere possit, de patre in eo statu, nisi indicio matris, constare non potest. Erit igitur tum ejus, quem mater voluerit, adeoque prius sine dubio matris fuit. In civitate autem cum matrimonium est initum, major in liberos potestas patri, quam matri, competit; cujus rei rationem non querimus, quod *Hugo Grotius* facit, in *sexus prestantia*, (Prestantia enim qualiscunque illa, per se non infert jus aliquod excellentius in tertium;) sed potius in potestate, quam maritus, etiam adversus uxorem, exercet; quæ, ut supra diximus, subjectio inæqualem facit utriusque in generatione concusum, unde

unde recte *Hobbesius de Cive c. IX. §. VII. In omnibus civitatibus, ait, constitutis a patribus, non a matribus familias, imperium domesticum viri esse.*

§. VII. Neque vero uno eodemque modo patria potestas se exerit; sed ejus exercitium, pro diversitate ætatis liberorum, variat. Recte vero triplex a *Grotio* tempus constituitur: 1.) *Imperfecti* judicii, sive τὸ βεβουλευτικὸν ἀτελὲς, ut exprimit *Arist. Nic. IV, 3.* 2.) *Perfecti* quidem; sed ubi tamen in familia adhuc filius, tanquam ejus portio, haberet. v. *Ephes. VI. & 1. Coloss. III, 20.* 3.) *Cum separatam instituit æconomiam, vel alio modo ex patris sui familia excessit.* In primo itaque casu, cum judicii vis & laxitas nondum se exerit, liberorum actiones regulariter omnes plenarie subsunt arbitrio & directioni paternæ. Quo *Eschyli* dictum, a *Grotio* adductum, pertinet:

*Ætas prima*

*ut educetur, mentis alienæ indiget.*

Illud vero non inutile videtur discussum hic ire, quod alias valde controversum est: *An scilicet tenera illa ætas sibi acquirit?* Et id recte negatur, quamvis contrarium cum aliis multis defendat *Grotius*; sed nulla solida ratione subnixus. Sane enim, si quid in illis annis, quod tamen plerumque parum, acquiratur, id Jure Naturali ob immensum laborem & infinitas curas, quas in prole educanda suscipit pater, sine dubio statim patri acquiritur, cum id eximie ingrætitudinis foret, velle sibi dominium hoc

hoc casu, etiam adversus patrem valiturum, arrogare. Si quid vero ea ætate liberis sine eorum industria aliunde adveniat, v. g. titulo legati, fideicommissi, donationis &c. Jus Naturæ favet, & intentioni eorum, qui res suas in eos translatas cupiunt, horumque commodo, & simul etiam patris, ob molestias, quas in alimentationis aliisque oneribus perfert, adeoque dividi illa bona inter patrem & filium, æquum videtur; ut pater quidem iis utatur fruaturque, salva eorum substantia, præcipue cum & acceptationem ejusdem nomine faciat; illi vero proprietas servetur. Conf. hic ea, quæ de *peculio*, ejusque divisione in *castrense*, *quasi castrense*, *adventitium regulare*, *irregulare*, & *profectivum* Jcti Romani habent.

§. II. Quod si ad maturiorem ætatem filius pervenerit, & in actionibus perfectior quædam vis judicii se ostendat, subjiciet se quidem adhuc plene arbitrio paterno, quoad illas actiones, quæ ad familiam aliquid momenti habent. Æquum enim est, quod ait *Grosius*, ut pars conveniat cum ratione integri. In aliis autem, & præcipue quidem eligendo vitæ genere, patre, non tanquam domino jubente, sed tanquam fidei consiliario, utetur; cum in iis, quæ perpetuam aut felicitatem, aut incommodum, secum trahere videntur, imprimis etiam propriæ inclinationis genius, in consilium adhibendus sit. Sed in his tamen omnibus solícite danda est opera, ut ne displiceat parentibus, cum, utut sibi consulere posse videatur, saltem me-

men

men pietas, & gratitudinis ratio quandam etiam hic omnium consiliorum submillionem svadeat; imprimis cum eo tempore adhuc vivat ex bonis parentum, & in ea post eorum mortem succedendi spem habeat. Vid. *Pufend. d. J. N. & G. VI. II. §. 12.* Coërcendi autem facultas quousque se utroque hoc tempore extendat, quærere etiam hic libet? Et distinctione quidem rursus utendum existimamus, inter statum scilicet extra civitatem, & intra eandem. In illo statu naturali ac extra Rempubl. tantum ei competere videtur imperium, quantum ad finem hujus societatis necessarium est. Vid. *Kulpis. Coll. Grot. Exerc. IV. §. 2.* In civitate autem distingvimus cum Jure Romano, quod hic penitus cum Naturali coincidere videtur, inter graviora & leviora delicta. Hæc coërcitione privata, quanta videtur opus, a patre castigari queunt, quod in gravioribus contra se; quæ, cum Rempubli- cam viciniore vulnere lædant, Magistratui denunciare, eorumque ipsi coërcitionem relinquere tenetur; neque hic a Judice pœna pro lubitu parentis dictanda videtur, quamvis id Jus Romanum velit, in *L. 3. C. de Patr. potest.* sed suomet ipsius arbitratu, cum affectus paternus nunc justo graviores, nunc leviores, pœnas desideret. Vid. *Carpz. Pr. Crim. q. 100. n. 35.*

§. IX. Non parvi momenti etiam illa Quaestio videtur: An pater in extrema inopia, cum ultima urget necessitas, neque ullum superest se aut filium servandi remedium, possit filium vel

R

oppi-

oppignorare, vel vendere? Et affirmativam quidem  
 tueri non dubito; imo asserere, peccaturum, nisi  
 id faciat, parentem. Sane enim cum Jus Naturæ  
 officium alendi & conservandi liberos parentibus  
 imponat, simul præcipit, uti ad eum finem con-  
 sequendum omnibus mediis, quibus citra iniqui-  
 tatem uti licet. Iniquitas autem huic negotio  
 nulla inest; cum ea liberorum in alios translatio  
 per se nihil mali involvat. Videntur autem hæc  
 pauca esse, quæ vim hujus sententiæ destructam  
 cant. Et quidem (1.) quod patris jus, quod in  
 liberos habet, ei soli per generationem sit qua-  
 situm, ejus personæ inhæreat, adeoque, quæ juri-  
 um personalium natura, in alium transferri non  
 possit. Distingvendum enim hic probe est inter  
 jus paternum adversus liberos, & juris illius esse-  
 ctum. Ipsum quidem jus in alium ob dictam ra-  
 tionem transferri non potest; potest tamen ejus  
 effectus. Ais: Hæc duo separari non posse, cum  
 effectus sequatur suam causam: Resp. Neg. Cum  
 contrarium pluribus instantiis liceat evictum dare.  
 Ita obligatio naturalis nullo Jure mutari potest.  
 Vid. §. II. I. d. J. N. G. & C. potest tamen ejus sus-  
 pendere effectus, pro Reipublicæ utilitate, cui  
 non repugnat Jus Naturale. Conf. *JCos Rom. ad  
 sit. ff. ad Scutum Macedon.* Item ususfructus  
 servitus personæ inhærens est, & quæ proinde et-  
 iam cum ipsa extinguitur; & tamen, quoad esse-  
 ctum, perceptionem nimirum fructuum, locari,  
 donari, vendi potest. *L. 12. §. 12. ff. d. Usufruct.*

Pari ratione, cum in ea extremitate pater ad filii venditionem pervenerit, non jus patrum, formaliter sibi per generationem acquisitum, transfert, sed solos effectus, ut etiam servitiis filii uti, & quamdiu licet, ex eo utilitatem percipere queat. Quo referri etiam potest Thebanorum Lex, quæ extat apud Ælianum: *Ne cui Thebanoliceat infantem exponere, neque in solitudinem abjicere, capitis supplicio constituto. Verum, si extrema mendicitate pater labores, sive mas sit, sive femina infans, jubet Lex, eam statim a materno partu ad Magistratum cum ipsis fasciis asferre; qui, accepto levi pretio, alicui tradit, cum quo pactum est, condiciones intercedunt, ut bona fide infantem alat, & adultum servi aut servæ loco habeat, receptis ejusdem operis, in mercedem educationis. Quem locum adducit Pufend. d. J. N. §. G. l. c. §. 9.*

§. X. Objiuntur autem præterea a *Bæclero*, *Osiandro*, aliisque *Grotii* Interpretibus, LL. Civiles nonnullorum populorum, quæ prohibitivæ sint; Et quidem primo *Edictum Regis Theodorici*; quod ita habet: *Parentes, qui cogente necessitate filios suos, alimentorum gratia vendiderint, ingenuitatis eorum non præjudicare. Homo enim liber pretio nullo æstimatur. Nec pro pignore filii a parentibus alicui dari possunt, & si sciens creditor ingenuos pro pignore a parentibus susceperit, in exilium mittetur. Operas enim tantum parentes filiorum, quos in potestate habuerint, locare possunt.*

R 2

Alter

Altera Lex est *Wisigothorum*, hujus tenoris: *Parentibus filios suos vendere non liceat, aut donare, vel oppignorare; perdit quoque pretium, qui a parentibus filium comparavit.* Utraque nempe Lex prohibet solum abusum hujus venditionis & oppignorationis, ne scilicet id agat pater, ut in plenaria servitute constituatur filius, ipseque potestate in eum omni excidat; & præterea loquuntur de eo, quod *regulariter & ordinarie* fieri debet, excipiunt autem sine dubio *extraordinarium & ultimæ necessitatis casum.* Romuli vero hac in parte institutum durum nimis & æquitati minus videtur conveniens, de quo vid. *Dionys. Halicarn. L. 2.* citante *Pufend. d. J. N. & G. p. m. 915.*

§. XI. In tertio tempore, quando e Patris familia excessit filius, suo arbitrio agit omnia, nisi quod honorem adhuc maximum & reverentiam per omnem vitam patri ob antegressa merita exhibere teneatur, & in majoris momenti negotiis eum consulere. Unde matrimonium, nisi & consilium, & consensus Patris præcesserit, non recte init. Sed hæc ita, ut suos tamen limites admittant. Nam quando Divinum præceptum cum paterno colliditur, sine dubio morem Divino oportebit gerere; cum Deus intuitu utriusque superior, & ipius Juris Naturalis Autor sit; quo pertinet illud Sp. S. *DEO magis obediendum est, quam hominibus.* Præclare de hoc *H. Grot. d. J. B. II. 16. Gell. II. 7.* Præterea etiam Civitati atque socialitati major debetur affectus, quam parentibus. Ex quo principi-

pio etiam fuit, hand iniquum esse, ut pater filio, in majore dignitate atque officio publico constituto, cedat illius intuitu. Quod *Fabius Cunctator* pater non ignoravit, cum probabat, quod filius Consul se, in equo ipsi obvium, descendere jussisset. *Vali Max. L. 2. c. 2. §. 4. Conf. Diff. Tauri apud. Gellii 22. Tac. 1. A. 4. §. A. XIII. 5. 3. A. XIV. 15.* Neque vero dignitas vel maxima tollere parentum auctoritatem & ei respondentem in liberis reverentiam atque timorem, scil. filialem, non servilem, de quo *Aristot. 1. Oecon. c. ult.* debet. vid. *Exod. XX, 12. Deut. V, 16.* Unde & plerarumque gentium jura particularia reverentiam hanc liberis solícite inculcant. *Conf. Plat. L. 9. §. u. d. LL.* Quo pertinet Imperatoris *Alberti* Constitutio, cujus hæc verba referuntur a *Schneidew. Tit. d. Patr. potest. n. 27.*

**Welcher Sohn aber seinen Vater an seinem Leibe muthwillig und freventlich angreiff, oder ihn verwundet, und fähet, derselbe soll Ehrloß und Rechtloß seyn ewiglich, und zu seinen Ehren oder Rechten nimmermehr kommen mögen.** Animum ipsorum continuo oberret maximorum, quæ accepere, beneficiorum memoria, & illius præcipue, quo per sui productionem affecti sunt. Quid enim? Pristinum nihil esses, nisi ut esses, per parentes effecisset supremus Pater. Et vero, te esse, tam parvi pendis? Ingrate & stolide, necis, quid sit, existere. Meditare & mirare. Sed nondum capis, aut vides? Merereris profecto, non essetis, nisi male tibi esse, tam prava & impia



stoliditate meruisses. Enimvero tunc ad oraculum sapientie divertis? Nam Regem tibi Salomonem advoco. Quanto is Te excellior & major, sed & prudentior? Maternam is auctoritatem reverentiam habet, & profequitur cultu, quam potest, maximo. I. Reg. II, 29. De more *Persarum* vid. *Curt. V. 2. 22.* Recte & pie ad *Epicurum Senec. d. Benef. IV. 29. DEUM VIS VIDERI colere, non aliter quam parentem, grato, ut opinor, animo.* Conf. *Arist. e. ult. Eth. 8.* Habere grates, hic fere fatis. Non referre, quam raro & parce licet? Et vides hoc, nec erubescis, cum offensos a Te parentes meministi? Adi *Aristot. Eth. VIII. 1. & Senec. 3. d. Benef. 29. sqq.* Horreo, cum in mentem venit versus *Ordiani*:

*Filius ante diem patris inquirat in annos.*

Sed ita tamen est. Magis descendit amor, quam ascendit; quod vel notissimum exemplum filii conditionem, ut manu sua patri seni caput abscindendo vitam sibi servaret, lubentissime accipientis, comprobat. Conf. hic *Senec. 5. de Benef. cap. 17.* Et hoc, si recte attendas, mirabile dictu videri possit. Quid enim liberis parentes debent? Et quid non contra his illi? Rationes tamen ejus rei vid. apud *Aristot. 8. Eth. 6. 12. add. ibid. e. 14. & 9. Eth. e. 7.* ubi ostendit, cur matrum in liberos ardentior sit amor, quam patrum. Quibus preceptis specialibus *Hebraei* honorem atque reverentiam liberorum erga parentes explicaverint, declarat *Seld. d. J. N. & G. juxta Discipl. Hebr. 1. 2*

& huc redeunt: *Ut ex reverentia filius non stet in loco patris, nec in loco ei assueto sedeat, nec sententia ejus refragetur, nec eam refutet, nec eum nomine suo appellet, sive superstitem, sive mortuum, sed ad hunc modum loquatur: Abba, seu Pater, Dominus meus. Item, non dicendum erat ei: Abba transgredieris verba legis; sed dicendum erat ei: Scriptum est in Lege sic, vel sic, idque perinde, ac si ea de re consuleret.* In quibus tamen consuetudinis, & aliarum circumstantiarum rationem non excludendam esse, existimem.

§. XII. Ad parentum etiam officia pertinet, *ut liberis alimenta præsent.* Neque enim bonum est, neque liberalis parentis, quem procreavit & educavit, eum non & vestire, & amare, præsertim eum locupletem se negare non possit. *Cic. d. Orat. lib. 2. & L. un. §. 5. C. d. R. ll. A.* Ipse naturalis stimulus parentes ad liberorum suorum educationem cohortatur. Et *JCti Romani pr. I. d. J. J. N. F. & C. ad Jus N.* referunt sobolis educationem, & necare illum videri asserunt, qui deneget alimenta. *Aristoteles quoque I. Polit. 7.* ex hoc fonte, natura, derivat; cui proprium est, non generare tantum, sed & victum necessarium præbere generati; cum quod superest post generationem, alimentum generato præstet. Est vero primum, quod educto partui exhibetur, alimentum, *lac*; quod regulariter, ubi valetudinis imbecillitas, vel alia justa causa non est impedimento, ab ipsa matre infanti exhiberi, par est; neque proinde excusari videntur pos-

se, quæ, sive fastu aliquo, sive mollitie animi, dignantur lacte infantes, partem viscerum suorum Merentur legi, quæ de eo disputat *Favorinus Philosophus* apud *Gell. XII, 1.* Conf. *Richter. Axiomaton. 47.* *Keckermann. Disp. Pract. 28. probl. 14.* Reliqua vero alimenta liberis pater, tanquam caput familiae, præstare tenetur; quod onus tamen ipsum quoque ad matrem, mortuo patre, devolvitur. Conf. *tot. tit. ff. d. Agnosc. vel. alend. lib.* Quo intuitu usumfructum ei ex bonis liberorum concedit Jus Saxonicum commune. Vid. *Carpz. 11. d. Jure fam. Richter. Dec. 18.* Quæritur vero: *An præstatio alimentorum, qua debentur liberis a parentibus, fluat ex debito perfectò, an imperfecto?* Ubi pro sententia priori veritatem militare, non dubito; & res definiri commodissime potest, si contemplemur ingenium humanum. Experimentis enim pluribus compertum est, quamvis ardentissimum in liberos affectum natura parentibus in-severit; haud paucos tamen quandoque, velut epurato, aut saltem seposito naturali amore, ipsos negligere, victumque necessarium malevole denegare. Quem in casum haud dubie J. N. liberis, utpote quos servari, atque ad usum Reip. educare cupit, ne hoc fine suo excidat, facultatem tribuit, alimenta suo quasi Jure a parentibus exigendi, & ubi repugnant, per Magistratum in statu civili extorquendi.

§. XIII. Debentur vero liberis alimenta usque eo, donec sibi ipsi præesse, & victum necessarium

rium proprio labore possint quærere. Conf. materiam hanc prolixè persequentem *Arnif. Relect. Polit. Lib. 1. c. 4. sect. 4.* An vero omnibus indistincte debeantur, quæritur? Et de legitimis quidem, ac naturalibus, res expedita est; sed an & illi alendi sint, qui ex peculiariter damnato & horrendo conebitu, velut incestuoso, nati, dubium per dispositionem Juris Civ. suboriri potest. Sed si rem juxta Naturalis Juris præcepta exigas, certum est, & eos alendos esse. Neque enim hos fame perire fas est, & quidem a parentibus regulariter debet fieri; cum omne, quod hic versatur, crimen, ipsis solis, non autem misero partui imputandum merito sit. Neque tamen propterea Jus Romanum ob specialem dispositionem suam alicujus injustitiæ arguendum est; cum aliunde suppeditari alimenta jubeat, eorumque præstationem non ideo parentibus denegat, quasi obligatio ad ea in iis deficiat, sed in eorum odium, ut hoc etiam, qualecunque sit, solatio careant; quamvis plerorumque hodie locorum consuetudines ab ista Juris Rom. dispositione rursus recesserint. Et hæc quidem alimentorum præstatio adeo patri incumbit, ut, si contingat, cum emori, & testamentum relinquere, non possit per contrariam dispositionem illos iis defraudare. Quo pertinent etiam ea, quæ de *legitima* necessario liberis relinquenda, *Jus Roman.* tradit. Ceterum vice versa, si egeant parentes, a liberis locupletibus ipsos alere, par est. *Arist. 9. Eth. c. 2.* Quasi recusent, naturali hoc officio defungi, gravior

ptena videntur digni, quam infamia, quam ipsis in-  
 uri, vult Solon apud Diog. Laërt.

§. XIV. Ex eo, quod parentes liberis nonni-  
 alimenta ex Jure Naturæ debent, apparet, *matrimo-  
 nium, ad morganaticam contractum, nihil invol-  
 vere J. N. adversum. Dicitur autem matrimon-  
 ium, ad morganaticam seu morgengablicam con-  
 tractum, quando quis secundum consuetudinem  
 Franco Gallorum (unde & matrimonium ad *Legem  
 Salicam* vocatur. Vid. 2. F. 29.) foeminae, quam sibi  
 uxorem adjungit, dotalitium constituit, quod li-  
 beri ex isto matrimonio nati, omiſſa hereditate pater-  
 na, post mortem matris, accipiunt. 2. F. 26. §. 5.  
 Add. Ziegl. in *Geot. L. II. C. VII. §. 8.* Vocat  
 hoc matrimonium communiter *Jur. lincken Spick*,  
 quæ tamen appellatio, si proprie capiatur, fieri non  
 potest; cum & dextra manu porrecta, fieri possit,  
 & saepe fiat. Contrahi autem tale matrimonium  
 solet, quando Vir Illustris foeminam inferioris con-  
 ditionis ducit; tum enim pacto tali septennario  
 nascituris ex ea jus succedendi in feudum pater-  
 num adimitur; idque ob conservationem illustri-  
 um familiarum, & in favorem liberorum, ex primo  
 matrimonio forte superstitem, vel etiam agnato-  
 rum existentiam, vel denique, ut sumptibus parce-  
 tur, quos forte ex civitatis consuetudine in iustis  
 uxores facere oportet. Conf. *Schwendendörf. An-  
 notat. in J. Rist. Jus Feud. C. VII. §. 26. verb. Jur.  
 fahgvinis. Struv. S. J. Feud. cap. 9. sp. 5. & 4.  
 Ruffend. d. J. N. & G. L. VI. c. 6. §. 36. ... Et sane  
 mirum**

mirum, esse, qui moralitatem talis pacti impugnent, idque J. N. repugnare, contendant. Vid. *Felmann. Tractat. de Impar. Matrim.* Quamvis enim æquitati valde sit conveniens, æqualitatem inter liberos quoad successionem servari, id tamen non est J. N. præceptivi; utpote quod liberis alimenta vult a parentibus tribui; in cætera autem bona succedendi modum in *αδιαφορία* relinquit; ut circa eum pactis libere disponi queat. *Struv. c. l. Ziegl. c. 6.* Et tale matrimonium fuisse *Abrahami* cum *Cethura*, *Gen. XXV, 1 & 6.* haud dubito asserere; idque tam ratione causæ, quam effectus. Et respectu effectus quidem tale fuisse, liquido ostendit *cit. n. 6.* ubi *Abrahamus*, jam senio confectus, mortique vicinus, *Cethura* liberos donis ditasse, & dimisisse dicitur. Nec obstat, quod *Osiander Obs. in Grot. L. II. c. VII. tb. 8.* excipit, non accepisse videlicet *Cethura* natos illa munera post mortem *Abrahami*. Neque enim id præcise ad essentiam matrimonii *ad morganaticam* requiritur. Et simplicia dona non fuisse, id ipsum ostendit, quod eos, in ultima senectute, cum brevi moriendum sibi cogitaret, dimisit. *Conf. Simon Not. ad Grot. Lib. II. c. 7. §. 8.* verb. *Abrahami cum Cethura.* *Ratione causæ* etiam id matrimonium *ad morganaticam* dici posse, asserui; Non quasi speciale pactum inter *Abrahamum* & *Cethuram* intercesserit, utpote cujus nulla fit in *Codice Sacro* mentio; sed, quod *Abrahamus*, cum sciret, DEUM velle, ut solus *Isaacus* esset hæres, vid. *Gen. XXI.* ducens *Cethuram*

*thuram* alium animum erga liberos, quos ex a  
 sperabat, habere non potuit, quam qui erga liberos  
 morganicos esse solet. Vid. *Sim. c. l. Conf. et  
 iam Strauch. Dissert. ad ff. II. tb. 30. & Osiander  
 c. l.* Cæterum quomodo ad talem filiorum mor-  
 ganaticorum a feudo paterno exclusionem, & ex-  
 clusionis revocationem, consensus Domini directi  
 desideretur, de eo licet consulere, cum Feudista  
 alios, tum inprimis *Swendendörf. Annotat. ad l.  
 R. J. Feud. l. c.*

§. XV. Ex parentum ad alendos liberos  
 obligatione sponte sua haud pauca fluunt. Ni-  
 mirum primo, quod *abortus procuratio* adversetur  
 Juri Naturali, qua proinde gravissimum parentes  
 peccatum committunt, &, si partus vivus fuerit,  
 qui eum elidit, proprie *homicida* est; si animu-  
 tus nondum, cum fieri posset, ab illo crimine  
 non longe abest. Vid. *L. 38. §. 5. ff. d. extraord.  
 Crim.*

§. XVI. Ulterius per se satis manifestum est,  
 maximum delictum *expositione infantum* com-  
 mitti, & quod cum homicidio quodammodo coin-  
 cidat. Et multiplici quidem hic ratione in ll.  
 Naturæ peccatur. Nam primo ingenerato para-  
 tibus affectui vis infertur; deinde præceptum Ju-  
 ris Naturalis de educandis & alendis liberis directe  
 violatur. Et, si vel maxime hæc omnia abessent,  
 tamen communito ipsa Jurium humanorum, in qua  
 etiam illi tenelli, tanquam homines, jam veniunt,  
 alicere parentes a tam nefando proposito debet  
 peccan-

peccantesque ejus criminis reos constituit, quo membrum societati humanæ auferitur, vel saltem auferri tentatur. Quamobrem *Pufend. d. 7. N. Et G. VI. II. §. 6.* merito damnat *Aristot. dogma*, quod habetur *Polit. L. 7. c. 16. De exponendis autem Et alendis fœtibus esto Lex, ut nihil alatur mancum Et c.* Similiter impius est & irrationalis *Formosanorum* mos, apud quos indecorum habetur, foeminam prius, quam 35. vel 36. annos habeat, parere; inde est, quod, si imprægnatæ ante illud tempus fuerint, foetum, tundendo, verberando & comprimendo, non sine maximis doloribus elidant. *Puf. l. c. vid. L. 4. ff. d. Agnoscendis Et alendis Lib.* Unde & patri, sobolem exponenti, recte patriæ potestatis effectus adimuntur *Jur. Civ. arg. L. 2. C. d. Infant. expos.* Quem impium morem olim in Regno *Sophitis Curtius L. IX. c. 1. p. m. 624.* & apud *Cætheos* observatum, *Strabo* memorat *L. 15.*

§. XVII. Et hinc rursus male & impie *Hobbesius*, cum *d. Cive IX. 2.* inquit: Manifestum est, eum, qui modo nascitur, prius esse in potestate matris, quam, cujusquam alterius, ita ut illum vel exponere suo arbitrio & jure possit. Atque hæc rursus ex sua hypothesi de omnium in omnes bello. Sed &, quid mirum hic, si, quod facit *Alberti Compend. Jur. Nat. XI. §. 7.* exclamemus: *O pestilens dogma, cujus consecraria tam venenata sint!* Nihil sane in Reipubl. ruinam magis, aut quod minus sit *Juri Naturali* conveniens.

Præter-



Præterea illud etiam hic meretur agitari: *An secundum Jus Naturale pater habeat Jus vitæ & necis in filium, quod saltem ob grave delictum commissum possit in eum exercere?* Et siquidem civitate vivat pater, nullo modo id ipsi licere, satis manifestum est; neque enim privata vindicta utendum, sed Magistratus potius implorandus, qui publica coërcitione facinus patratum notet. Neque, etiamsi vel maxime Lex aliqua eo nomine a Magistratu sit lata, approbari poterit; cum affectus illi in parentibus magnitudo non facile permittat, et in puniendis liberorum delictis justam æqualitatem observent. Conf. omnino *Theodosianam de Rep. XIV. 3. 8. seqq. & XV. 1. 18.* In contrariis partes iit præter *Frid. Hornium L. 1. c. 4. id. Civilis Bodinus d. Rep. L. 4.* sed sine ratione solida. Nam quod allegat Liberorum *ingratitudem atque impietatem*; ea coërceri satis a potestate civili potest; Parentibus autem eo minus hæc coërcitio committenda, quo magis rationem sub affectu, quo in liberos feruntur, condunt. Propria vindicta, quod adjungunt, cadit, cum præsidium errori suo querit in *Deut. XXXI, 18.* Eo enim loco DEUS manifestis verbis parentibus nonnisi modicam coërcitionem liberorum concedit; delicta autem, graviores punam promerentia, ita jubet a Magistratu civili coërceri, ut simul describat modum, quo id fieri a populo Israëlítico velit. Cum quo non incommode conferri potest locus, *Prov. XIX, 18. & qui extat in N. T. Coloss. III, 21. Conf. Libenthal. Exerc. IV.*

Colleg.

*Colleg. Polit. qu. 3. L. un. C. d. His, qui par. vel lib. occid. Arnif. Lib. 1. Polit. c. 5.* Improbandus igitur hic mos in veteribus Romanis, item Gallis, de quibus *Cæsar Lib. 6. d. B. G. c. 19.* & Indis, quos recenset sæpe nominatus *Bodin. L. 1. d. Rep. c. 4.* *Add. de hac materia cum Jctos ad Tit. de Patr. per est. tum Kelsten. Dec. III. quest. polit. 6.*

§. XIX. *Abdicandi quoque jus* (quod qua formula sit exercitum, vid. apud *Valer. Max. L. 5. c. 8.*) olim habebant Romani patres; cui tamen moti, sensim omisso, *exheredatio* successit, *fulmen parentum* a *Quintiliano* vocata. Quæ ob curam liberorum, parentibus injunctam, sine gravibus & justis causis fieri non debet. Quænam vero sat graves causæ sint, determinare, civilis potestatis est, penes quam omnis infligendarum, publicæ utilitatis causa, poenarum ratio haud dubie residet. Materia vero exheredationis hæctenus est J. N. indifferens, ut illius causæ eo non inveniatur sigillatim expressæ. Nam & ii, qui ingratitude pro causa adæquata afferunt, figura interpretandi potius, quam definiendi perspicuitate utuntur, uti recte judicat *Bæclerus Instit. Polit. L. 1. c. III. p. 49.* In eo enim præcipua difficultas hæret, ut, quid ingratitude, tam gravi poena castigandam inferat, determinetur. *Add. Arnif. Relect. Polit. Lib. 1. c. 4. sect. 4.* Magis vero perplexa moveri solet quæstio: *An pater filium arcere a successione in regnum possit?* Ubi: quamvis *Grotius d. J. B. & P. II. 7, 25.* recte alienabilia bona a non alienabilibus separet;

paret; & in illis quidem, non vero in his ex-  
 hæredationem locum habere contendat, sola ta-  
 men hæc divisio rem nondum omnino expedit. Quis  
 enim, si ab hæreditate excluderet filium testamento  
 Princeps? An regni simul successione excidet? Et  
 vero exhæredatio strictissimæ interpretationis est;  
 & hæreditas Principis a regno longe diversa est.  
 Conf. acute hic, ut alibi sæpe, philosophantem *Be-  
 clerum Commentar. ad Grot. c. l. Jus Primogenitu-  
 ra* quin introducere, cæterisque filium natu maxi-  
 mum in regni successione præferre ob publicam  
 utilitatem, atque ad splendorem familiis conser-  
 vandum liceat, nullum est dubium; qua de re con-  
 alios Scriptores Juris Biblici vide, tum præcipue  
*Limnaum J. P. V. 8. 112. sqq. Reinking. L. 1. Class. 4.  
 c. 17. Sinolt. Schütz. J. P. Colleg. tom. 1. disp. 7. th.  
 10. sqq. Grot. d. J. B. & P. 2. 7.* Sed unde primogeni-  
 tura hoc casu æltimanda? Hic vero nihil determi-  
 natum Jure N. invenio. Rationi tamen naturali  
 haud dubie convenientissimum, ex *πρωτογονία* seu  
 nativitatis, non acquisitæ dignitatis eam temporè  
 censerì. Conf. *Swed. Introd. in J. P. Part. Spec.  
 Sect. II. c. III.* Add. de universa hac materia præ-  
 ter *Systemata Jctorum & Politicorum Berlich. &  
 Jure Noverc. Aerod. d. P. J. B. Thomasi Dissert. &  
 Patr. pot. & Enencklium d. Privileg. parent. &  
 liber.*

§. XIX. Sequitur, ut excutiamus, quatenus  
 pater teneatur ex conventionè filii. Et apparet,  
 non posse eum ulterius obligari, quam quatenus ri-

res peculii, quod filius possidet, patiuntur. Pessime enim consultum socialitati foret, si ex omni contractu filii efficax in patre obligatio nasceretur. add. *L. 21. d. Damn. inf. & L. 44. d. Pec.* Pater autem cum filio an valide inibit contractum? Nullus dubito; cum omnia inducendæ obligationis requisita adsint. Nam, quod pater & filius ob vinculum patriæ potestatis pro eadem persona habentur, non ex Lege Naturali, sed Civili est. *L. 22. §. 1. C. de Agricol. & censit. §. 4. l. d. Inutil. stipul. L. 16. §. 7. d. Fidejuss. L. fin. C. d. Impub. substit. L. 15. §. 1. d. Castr. pecul. L. 11. d. Judic. L. 7. d. O. & A.* Unde filiusfam. secundum Jus N. agere quoque & conveniri potest, etiam tum, quando cum ipso patre res est, quamvis hunc effectum adimere Leges Civiles possint. vid. *L. 7. d. O. & A. L. 4. ff. d. Judic. Add. Struv. Exerc. IX. §. VI. Anton. Matth. de Judic. 3. tb. 20.*

§. XX. Et hætenus, qua licuit, brevitate explicavimus parentum & liberorum jura. Unde decidi jam facile potest quæstio: *Qualem formam Imperium paternum representet?* Nam quodammodo βασιλικῶς, seu more regio imperat pater liberis, quorum salus & utilitas præcipua ipsi cura. Sed ita tamen, ut ne ab hac potestate arceatur mater, *Aristot. 8. Eth. c. 11.* quæ non minores molestias, quam pater, perfert, dum utero gerit parvum, enititur, lactat & educat. Quod idem Jure Divino positivo, quarto videlicet Decalogi præcepto,

S

satis

fatis inculcatur. Add: *Thomafii Differtat. Polit. Oeconom. d. Societ. Patern. Quæst 3.* Præterea apparet, quomodo intelligenda sint *Justiniani & Caji* verba in §. 2. I. d. *Patr. pot. & L. 1. & 3. ff. d. Hu, qui sunt sui vel al jur.* ubi patria potestas propria esse civium Romanorum dicitur. Id enim intelligendum quoad effectus & qualitates speciales, quibus vestita & aucta in Rep. Rom. est. Absolute vero, & quoad effectus communiores spectata virtute Legis Naturalis, ut supra demonstratum, competit. Vid. *Molin. d. J. & J. tr. 2. D. 22. n. 5. 26. 28. Jac. Meftert. d. Justit. Rom. Leg. L. 1. dub. 27. & Jctos passim; Jung. laudatam Differt. Thomaf. d. Societ. patr.* Alia vero ratio est patriæ potestatis, per adoptionem vel arrogationem quaeritæ; quæ non ex natura, sed pacto atque consensu, descendit. Dependet utraque a dispositione Juris Civilis, quod quænam requisita hic concurrere velit, & quos effectus utrique tribuat, vid. in *System. Jurid. ad Tit. d. Adopt.* Et hæc de Jure Parentum & liberorum pro ratione instituti nostri dicta sufficiant, ubi coronidis loco ex principiis, hæcenus expositis, decisus fuerit

## CASUS:

*An Pater. injustus & violentus filii aggressor (ut puta si ebrius sit, aut furore laboret,) possit a filio, moderamen inculpate vitæ adhibente, etiam cum eade repelli?*


Anceps quæstio, & quæ perplexam mentem

in diversas meditationes rapiat. Nam & quis, aut qui audebis? Tune? Nihil vero agis; sed agis? Quæso te; an esse te meministi? Et esse hominem? Nam unde, quod manum movere potes, quod gladium evaginare, quod vitam tibi affectum ire? Et ipsa vita unde? Tolles, cui, quod es, debes, & tua manu tolles? Nec vero jam mori malis, quam brevi alienæ morti immori? Neque hæc in adversario quædam malitia. Infelicitatem agnoscis. Nam & sui impotens nunc est; nec tui meminit. Sed quid affectui hic indulgentus? Aniles animi, & nimis molles. Bene vero tibi, si aliud hic agis; h. e. evitas; aut, si id non licet, agere dediscis, & pateris constanter; Nam ego tecum. Sin autem vivendi dulcedo vicit, & succubuisti amori tui; nihil despera, nec moere graviter. Nam id nequicquam. Remedium propino; defendam te, & ab angote liberabo. Primo vero supponendum, in dijudicandis Naturæ Legibus affectum sequestrandum, cui parum aut nihil hic omnino tribuo. Igitur hic sufficit, nec tibi te necessarium cum natura humana & societatatis salute docere non posse, ad quem solum, tanquam Lydium aliquem lapidem, exigendas Naturæ Leges esse, jamdudum est evictum. Accedit vero teneerrimus sui amor, qui quæmvis, ut sollicitate sui curam agat, subigit; & quod non immerito sibi maximi quisque est. Unde, cum nullum patri te invadendi jus sit, tanquam potestate in vitam tuam destituto, quod supra est deductum, te

S 2

vero

vero ipsa tibi natura commendet, & ad tui defensionem agat, non apparet, cur postferre alienæ salutem tuam debeas. Vere dico: *Aliena*. Nam quamvis patris, tamen aliena est; nempe habito ad te respectu, qui proximus tibi ipse esse, nullo veteris Jure. Beneficia autem, quæ patri debet filius, tanta esse, ut vi præcepti naturalis ipsi necessitatem gratis excipiendi cædem, a patre intentatam, imponat, nemo evidenter demonstrare potest. Excipi hic possint quæstiones aliæ, utputa; *An filius patri deneganti esculenta licite eripiat? Item: An peccet filius, cum patre ob delictum captus, & ea conditione, veluti sorte ducta, dimittendus, ut patri caput loco carnificis ipse feriat, si hanc conditionem impleverit?* Sed chartæ angustia, quam vides, & brevitatis, quam nobis præfiximus, claudere hic rivos jubent. Facio id, Tibique, *Summe DEUS*, quas possum, grates persolvo.



## DISSERTATIO IX.

DE

# MORALITATE SIMVLATIO- NIS AVLICAE.

### PRAEFATIO.

**M**Iraberis haud dubie, Lector, & audaciam fortasse accusabis, quod ex umbra Academica in lucem prorumpam; & eam quidem lucem, quae est solis illius, qui Aulas illustrat, praecipua. Sed veniam dabis tenuitati meae, quae uti non est rerum sublimiorum capax; ita iis tamen nescio quomodo delectari solet. Sed delectari; neque enim sic est oblita imbecillitatis suae, aut tantum vana arrogantia imbibit, ut in iis aliquid a se prestari posse, sibi inaniter persuadere audeat. Innocens est hic ausus meus; & si non approbatione, saltem, cui ignoscas, quod spero, dignus. Cogita, nulla in re magnos profectus quenquam sperare posse, nisi qui in ea vires suas, quantumvis adhuc imbecilles, subinde tentet; & defuturos, qui periclitentur ingenium, si, ita se exercere, esset periclitari. Neque est hic praceps in tam splendidum argumentum lapsus. Admonuit me ejus Justus Lipsius; quem equidem auro contra carum majoris semper estimavi, quam aut ipse Politicorum Doctorem Tacitum, aut terrarum



rum ille Domitor Homerum suum. Nuper admodum cum incidissem in ejus Polit. L. IV. c. 14. ut me tenuit gravissimus Autor, ut ei diutius immorari, & materiam illam omnem secundum honestatis rationem breviter metiri, animum inducerem. Si quid a me, & juvene, & negotiorum non satis gnaro, peccatum est, tu ignosce, & corrige; neque rem ex elaborationis dignitate, que nulla omnino est, sed ipsius, & mente mea, aestima. Sed quid opus est plura? jam enim intelligo, apud te mihi paratam veniam; utar ea, & jam ad definita exequenda progrediar. Cumque sit haec gravis, ardua, & scriptorum tricis involuta, materia, ut eam bene feliciterque decurram, Te, vera Minerva mea, invoco, Omnipotentis Patris Omnipotens Protes!

## §. I.

**M**Ateriam Simulationis atque Dissimulationis Aulicae persecuturi operæ pretium haud fore existimamus, utriusque definitioni anxie immorari, cum vulgatissimæ hæc voces sint, & non facile ab ullo, etiam ex plebe, ignorentur. Sed tamen plene præterire, ne quid in Philosophorum leges peccare videamur, non libet. Est ergo Simulatio nobis mendacium, quo quis fingit esse, quæ non sunt. Dissimulatio est mendacium, quo quis negat ea, quæ sunt. Ant. Iter. Synops. Phil. Moral. Lib. III. c. 8. n. 5. & 6. ejus posterioris in titulo mentionem non fecimus explicite, sed tacite tamen; quippe

pe eam sub voce *Simulationis*, in laxiore significatione, usu loquendi præeunte, capta, comprehensam volumus. Præterea velim, haud offendaris vocabulo *mendacii*, a nobis loco generis positi, quippe quod hic non strictiore isto significato accipimus, quo præcise malignitatem seu *ανομιαν* involvit, vid. *Pufend. de Off. H. & C. L. 1. c. 10. §. 8.* sed abstractive, prout præscindit a licito atque illicito; quale omnino dari, quicquid alii in contrarium afferant, censemus, idque ex primæva libertate, rebus & actionibus quæcunque nomina imponendi, optime deduci posse credimus. Conf. cum ea, quæ ad hanc materiam apud *Moralistas* fere omnes, & præcipue *interpretes Grotianos* extant, tum ipsum *Grotium d. J. B. & P. Lib. III. c. 1. §. 6. sqq.* quem qui ob latam nimis, ut existimant, mendacii acceptionem exagitant, videntur mihi omnes præjudicio de acceptione ejus plebeja & communi, cui assueverunt, laborare. Quid *Simulatio*, strictè sc. accepta, a *Dissimulatione* differat, luculenter ex cæteris verbis, quæ in utriusque definitione posita, & quæ nihil obscuritatis involvunt, intelligere licet. Illud tamen observes, τὸ *esse & non esse* non ita interpretandum, ut relationem ad rem, quomodo extra intellectum existit, dicat, sed ad ipsum intellectum, seu cogitata nostra. Neque enim hic nobis sermo de veritate Logica, quæ convenientiam actuum cum re ipsa seu objecto desiderat, sed moralis, quæ respicit signorum externorum cum conceptibus internis nexum. Conf. *Pufend. c. 1. §. 7.*

Unum superest, quod videtur posse obscuritatem parere, nempe quid per *Moralitatem* velimus intellectum. *Est* autem ea nobis nihil aliud, quam *bonitas vel malitia, quæ dependet a lege, tanquam norma, secundum quam dijudicari debet.* Neque vero animus hic nobis est, *Moralitatem* cujuscunque Simulationis atque Dissimulationis excutere; sed solius *Aulicæ*; tum quod ea in *Aulis* præcipue regnat; *Plin. Paueg. c. 85.* tum quod in *Præfatione* memoratum caput *Lipsonianum* de iis in specie tractat. Libet autem hujus rei primum fundamentum a genio sermonis, cæterorumque conceptuum humanorum signis, deductum ire.

§. II. Nullum aptius humanæ societatis vinculum est, quam sermo; Plurimum ipsius rationis dignitati, vel saltem utilitati, decederet, nisi tam excellentis interpretis uteretur opera. Cogitationes enim in se ipsas sine aliorum fructu vertuntur; sermo autem complectitur eos, quibus cum communitate juncti sumus, in quem fere sensum loquitur *Cic. de Offic. Lib. 1. c. 44. p. m. 138.* Cum itaque voces in sermone signa sint conceptuum mentis; inde signorum in genere naturam investigare juvat. Duplicis autem illa sunt genera. Alia rem *naturaliter*, alia *ex impositione* significant. Et hæc rursus abeunt in *res & verba.* Inter *res*, quæ mentis conceptum denotant, eminent motus quidam corporis, *nutus* vocati; quos solum apud plerosque homines obligatio per impositionem ex conventionem factam nata comitatur.

Coof

Conf. *Gell. X. 3. & Quintil. II. Instit. 3.* Unde consequitur, rebus aliis, quæ extra impositionem sunt, uti quacunque ratione licere Aulicis; modo, uti recte animadvertit *Grotius*, nullum alter damnum inde patiatur; vel saltem damnum tale sit, quod alias est licitum. Evagari hîc paulisper ex aula libet, & excutere breviter exempla, quibus hanc rem illustrat *Grotius*; & quæ alii acriter quidem, sed, ut mihi videtur, sine sufficienti ratione impugnant. *Christus* sane cum se *Luc. XXIV. v. 28.* manifestare comitibus *Emauntinis* decrevisset, revera longius, si recte attendas, ire noluit; quamvis ergo sciret, discipulos id ita accepturos, quasi vere longius ire destinaret, liberum tamen ipsi erat, talem præ se ferre speciem; cum enim tanquam homo cum iis ageret, officium etiam humanitatis consuetum executus est, quo sæpenumero homines speciem abiturientium præ se ferunt, ut, gratine futuri sint, nec ne, ex alterius verbis motibusque intelligant. Conf. *Pufend. de J. N. & G. Lib. IV. c. 1. §. 12.* Idque libero alicujus arbitrio relictum est, cum in actum talem nulla determinatio aut impositio, cum obligatione conjuncta, facta sit, neque alter ex sinistro fortasse conceptu ullam detrimentum patiatur. Similiter *Paulus Act. XVI. v. 3.* reprehendi non potest, quod, sublata jam Legge Divina necessitatem circumcisionis imperante, tamen *Thimotheum* circumcidit. Circumcisio enim eo tempore ceremonia erat indifferens, & a quolibet pro lubitu, modo sine necessitatis opi-

none, fieri poterat. Neque inde *Judai* damnum, sed potius emolumentum, senserunt; cum *Paulus* propterea hunc actum susceperit, ut plures *Judaeos*, qui hominis non circumcisi commercium avefabantur, lucrifaceret, & eos, qui jam fidem Christianam amplexi erant, & ceremoniam hanc difficulter omittebant, in fide contineret. Quod accutate deduxit *Zieglerus ad Grot. Lib. III. c. 1. §. 1. n. 3. verb. In Paulo, qui Timotheum circumcidit, cum quibus etiam ex parte consentit Osiand: Observat. ad Grot. c. l. th. 8.* & hanc *εὐκονομίαν*, non vero *ἀπάτην* vocandam esse, recte observat *Chrysostomus Lib. 1. de Sacerdot. & 1. ad Corinth. IX. 21.* ait: *ἵνα γὰρ τὴς ἔντας ἀληθῶς εἰς ταῦτα μετασῆση ἐγένετο αὐτός, ἕκ ἀληθῶς ἐπιδεικνυμῆς μόνον ἕκ ἰόντε ἕδὲ ἐκ διανοίας ταῦτα πρᾶτῆν ἕτως ἐχέσης* (vid. *Simon ad Grot. p. 295.*) Hic commemorari etiam ex *1. Sam. 19. v. 16.* factum *Mebalis*, uxoris *Davidis*, potest, quo ab imminenti eum periculo liberavit. In ipsius enim hoc est arbitrio, effigiem & pellem caprinam in lecto reponere, quamvis sciret, id aliter acceptum iri; cum nullum inde damnum quisquam senserit. Tertium etiam exemplum adductum de fuga *Josue*, idem nullam difficultatem mihi habere videtur, quamvis altioris indaginis id vocet *Pufend. c. 1.* Præterquam enim, quod hostis in infinitum quasi nocendi sibi licentiam tacite permittat; ipsa fuga recte dicitur a *Grotio* actus indifferens, qui deponet a libertate huc vel illuc eundi, & magis minusve cele-

celeriter, & hoc, vel illo gestu, habituve; cum damnatum, quod alter inde incurrit, licite inferatur. Cæterum his, an his a *Grotio* citatis exemplis evinci queat, dolum positivum universaliter, & suapte natura, non esse illicitum, ad *λογωμαχίαν* meram recidere videtur. Conf. quæ in contrarium disputat *Ofiand. Obs. ad Grot. lib. III. c. 4. tb. 8.* Sed redeo, unde digressus sum.

§. III. Devenimus jam ad posterioris generis signa, nimirum *voces*, quæ itidem comitem in hominibus obligationem habent, de iis convenienter impositioni usurpandis. Cujus obligationis origo dependet ab ipsa determinatione vocum, de certis rebus significandis, facta in humanæ societatis utilitatem. *Pufendorfius de Offic. H. & C. Lib. 1. c. X. §. 2.* Nam cum alias inanis esset lingvæ usus, si quisque pro lubitu quamvis rem quocunque vocabulo appellaret, inde necessum est, inter eos, qui eadem lingua utuntur, tacita intercesserit conventio, de vocibus primævæ impositioni conformiter usurpandis. *Pufend. l. c.* In quod tacitum præinde pactum peccant in aulis, qui terminis, peculiariter inter aulicos receptis, alios ignorantes dolose eludunt. Ex eodem pacto fluit, quod, utat a mente verba divertere possint, in vita tamen humana id quisque sentire præsumatur, quod verbis expresserit. *Pufend. c. l.* Frustra igitur, qui verbis aut aliis externis signis præ se ferunt, se serio aliquid promittere, postmodum discrepantem animum allegant.

§. IV.

§. IV. Datur præterea circa sermonem obligatio alia, quæ est de sermone cogitatis conformiter adhibendo. Quam obligationem quando cum priori coincidere, autumat *Grotius de J. B. & P. Lib. III. c. 1. §. 2. n. 1. p. m. 1050.* ejus originem nimis obscuram & dubiam facit. Nam ut ei obligationis hujus periphrasin, quam ibi adhibet, non disputem, de qua inferius plura: at illud libet querere, quæ vis aut ratio, stante illa obligationis hujus origine, in casibus, quos loco citato promittit, judicandi istam libertatem sublatam velit? Aut quomodo semel ab initio, & generalissime quidem constitutam obligationem, una alterave circumstantia excludat. Quamvis enim & alias minima circumstantia rem variare soleat, Vid. *L. 1. §. 3. Ad. L. Corn. de Sicar. L. 51. §. 2. Ad. L. Aquil. L. 13. C. de Transact.* tamen cum de obligatione, quæ ex contractu, five expresso, five tacito, descendit, tollenda agitur, mutus utriusque partis consensus adesse debet; Neque enim jus, quod ab initio utriusque partis consensu acquisitum est, postea unius contraria voluntate dissolvi, par est. Vid. *L. 35. ff. d. R. 7.* Unde liquet, cum, ex ipsius *Grotii* mente, tacito pacto inter homines convenerit, ut oratio cogitatis respondere debeat; inde omnibus erga omnes jus esse quæsitum, quod iis invito auferrî non debet. Nec est, quod dixeris fortasse, ab illo pacto, in quod tacite consensere gentes, casus certos exceptos esse. Quis enim illos excepit? Nam id tacita omnium voluntate factum non esse, tanta

omnium

omnium circa horum casuum moralitatem dissensio ostendit. Neque etiam videtur tuto dici posse, obligationem hanc non intermitteri quidem, sed ejus tamen effectum certis casibus suspendi, pro necessitate, vel utilitate Reipubl.; in quas cogitationes & nos aliquando incidimus; eo præcipue inducti, quod & alias in *Jure Civ.* contingat, ut, ad quod quis naturaliter tenetur, ejus præstationem tamen absque injustitiæ aut iniquitatis nota omittere possit, propter obligationis naturalis effectum, a Legislatore in certis casibus suspensum. Vid. *JCor Rom. ad Tit. ff. de O. & A. Item ad SCtum Mac.* At enim, ut jam non disquiramus, quatenus hoc Legislatori humano liceat; illa hic præterea intercedit diversitatis ratio; quod Legislatoris peculiaris de suspensione tali voluntas certa semper est; id quod tamen de omnium communiter hominum voluntate liquido ostendi non potest.

§. V. Melius igitur rem expedivit *Pufendorfius*, dum obligationem eam quidem, qua quis vocabula impositioni primævæ convenienter adhibere tenetur, ex tacita hominum, qui eadem lingua utuntur, conventionione deducit; Ejus autem obligationis, qua quis tenetur, internis suis conceptibus respondentia verba proferre, triplicem fontem constituit, *pactum, Legem peculiarem Naturalem, & naturam negotii, id quod alias commode celebrari non posset.* Ex triplici hoc fundamento jus oritur hominibus, uti adversus cæteros omnes, ita & Aulicos, percipiendi internos eorum

CON-



conceptus; quod jus *judicandi libertatem Grotius*, ut supra innuimus, vocat; An satis apte, dubitari potest. Intricate sane, & subtilitatibus multum involutam doctrinam hanc a *Grotio* proponi, & hanc præcipue appellationem obscuram esse, judicat Vir summi judicii *Ziegl. Not. in Grot. c. l. §. 2. verb. præter repugnantiam cum jure*; ubi ita de ea mentem suam exponit: *Judicandi autem libertas, quid denotet Grotio, non satis capit. Et potest ille, quicum colloquium est, ex pravo affectu & dissidentia etiam perspicua proferentis verba in contrarium plane sensum accipere, idque jure, si jus istud in libertate judicandi consistit. Sed tamen existimem, rimantes aliquanto penitius mentem Grotianam eam talem deprehensuros: Ei, cui loquimur, jus esse questum; ut cujus obligati sumus ad conceptus nostros tali sermone ipsi exponendos, ut per nos ipsi integrum sit, sensa animi nostri assequi; in quo tum plerosque alios, tum expresse *Hennig.* assensorem invenio; quamvis fatendum sit, vocem libertatis omnino excusari non posse. *Conf. Pufend. de J. N. & G. L. IV. c. 1. §. 8.* ubi uberius *Grotii* mentem declarat. Atque hoc jus universale omnino est, & iis omnibus competit, qui apprehendere alterius conceptus, & de iis iudicium formare queunt. Quocirca furiosi quidem id non habent, cum & ratio sit in exilio, & voluntas ipsis desit. *Conf. L. 40. ff. de R. J.**

§. VI. Neque vero infantes ab hoc jure omnino excludendi sunt, quod facit *Grotius Lib.*

III.

III. c. 1. §. 12. Quia enim, qua sunt homines, ita loquitur Pufendorf. c. l. §. 15. id juris habent, ut ne ab aliis ledantur, utque humanitatis officia recipiant, & peculiariter a parentibus atque educatoribus potissimum bonis sententiis imbuantur. (Add. Matth. 18, 10.) & vero utique tenent facultatem apprehendendi saltem res faciles, omnino censendum est, illos eodem jure cum adultis hactenus frui, ut, quae indicari ipsis debent, ita proponantur, quo intelligi ab iisdem possint. Et profecto casus inveniri queunt, quibus, nisi infanti sensa animi tui recte exponas, haud minorem in eos injuriam committas, quam si adultæ ætatis foret. Finge enim, quod accidere sæpenumero potest, infantem a recta, quæ ad domum ipsius ducit, via deflexisse, & a te, vel verbis, vel nutu & gestibus, quos tamen intelligas, petere, ut, quo eundem sit, indices, sane celeri hic eum de veritate a sciente, haud levis in infantem injuria fuerit. Conf. Job. a Feld. Not. ad Grot. Lib. III. c. 1. §. 12. Illud tamen fatendum, plerumque veri occultationem, & narrationem falsi, quæ fit infantibus, extra iniquitatis notam esse; propterea, quod tenera illa ætas commodius per falsa terriculamenta contineri, & apologorum involucris, duci paulatim ad virtutem potest. Hinc de fabulis eleganter Strabo Lib. 1. Non modo Poëta, sed etiam civitates longe prius fabulas delegerunt, nec non ipsi LLatores publicæ utilitatis gratia, cum ratiocinantis animantis intuerentur ingenium. Homo enim cogitationis aviditate du-

ctur;

*citur; hujus autem via prima fabularum studium est; hinc pueri audire incipiunt, & ad communicanda studia ultro proficiunt; causa est, quia novum quoddam studium est fabulatio, quae non res consistentes, sed alia quaedam, exponit; dulcis quidem est novitas, & quod nemini prius est cognitum; hoc autem ipsum est, quod oblectationis aviditatem ingerit. Cum enim admiratio adsit; ad monstra intenditur oblectatio, quae discendi illecebra est.*

§. VII. A fundamento simulationis & dissimulationis haecenus a nobis exposito dependet, quod, quoties vita innocentis servari, aut aliud aliquod insigne bonum non alia via, quam per occultationem veri, procurari potest, ea nihil turpitudinis involvat; sed potius mereatur laudem, quam & propterea consecuta est *Hypermnestra* apud *Ovid. in Epist. Heroid.* dum servavit maritum, quem obtruncaturam se esse, apud patrem mentitur erat. De eadem ita *Horat. Lib. 3. Carm. 2.*

*Splendide mendax, & in omne virgo  
Nobilis ævum.*

Et sic feliciter hujus rei rationem assequi nos potamus, quam *Hennig. ad Grot.*, qui fundamentum quærit in *oppositione juris alterius, quod communi omnium judicio multo plus valeat; Dum enim jus unius plus valere contendit, eo ipso existentiam juris alterius etiam liquide confirmat; quam si concedit, inextricabili sane difficultate se involvit. Cum enim utrumque jus obligationem inferat,*

ferat, ita, ut ejus in obligato neglectus *avopiac* inferat; utrique etiam necessario satisfaciendum erit, vel incurrenda sceleris commissi nota. Dicendum igitur potius est, emergente tali casu, qui majorem & arctiorem obligationem inducat, prior obligationem cessare. Multo minus probatur nobis *Osiandri Observ. ad Grotium Lib. III. c. 1. 2b. 16.* durities, dum alterum in errorem alias innoxium, etiam ob conservationem vitæ innocentis induci posse negat, eoque nomine *Grotii* id permittentis sententiam damnat; sed, si verum amas, nullam rationem, quæ eum sufficienter stringat, adducit; Quod enim ait: *Non facienda esse mala, ut inde eveniant bona;* verum reticere, tali casu ob cessantem obligationem, malum esse, negamus. Leve praesidium est, quod petit ex *Job. VIII. v. 44.* ubi dicitur: *omne mendacium habere diabolum autorem.* Ibi enim mendacium infert factum obligationi dolose contraveniens. Nec majus robor testimonium *Augustini* conciliat, utpote quem in hoc argumento nimis durum absque applausu orbis Christiani esse, recte monet *Alberti Compend. Juris N.* Vanus; etiam est, quem præ se fert, metus, ne, si permittat hoc casu falsum dicere, ad leviora facile progrediantur homines, idemque sibi permissum esse, existiment, in iis, quæ nec vitam, nec illius paria, concernunt. Primo enim non id eo solum casu licitum esse contendimus, cum vita, vel aliud quid, huic æquipollens, non aliter servari potest; quod quidem vult *Grotius;* sed, ut ante di-

T

ximus,

ximus, quoties alius arctioris obligationis casus existit. Deinde timor, utut fundamentum in naturali hominum ad mala inclinatione habere videatur, rei ipsi tamen præjudicium nullum afferre potest. Confer hic *Pufend. de J. N. & G. Lib. IV. c. 2. §. 16.*

§. IIX. Cum vero obligatio, quæ sermonem comitatur, respiciat jus in eo, quicum colloquimur, existens, inde jam etiam apparet, extra culpam nos constitui, quamvis ex sermone ad alium directo tertius fortasse falsam opinionem concipiat; cum eo enim negotium non geritur, adeoque judicandi de meis cogitatis libertas ipsi non debetur; & hinc sibi imputet, si in alienis sermonibus captandis nimis curiosus in errorem aliquem, sinistra interpretatione sua, deductus fuerit. Sed hoc tamen ita; si nimirum præter intentionem tuam, in hunc errorem inciderit; alias enim, si ex proteresi per collisionem cum altero sermonem quis miscuerit, ut tertius inde decipiatur, mendacii stricte sic dicti, notam merito incurrit. Quod *Pufend. Lib. IV. c. 1. §. 8.* his verbis præclare persequitur: *Notandum est, non debere a duobus ex pacto captari tales occasiones, ut tertius aliquis hoc modo lubrico habeatur; nam si vel maxime tertius ille plenum jus non habeat, ne intelligendi; Lex tamen humanitatis & caritatis requirit, ut ne meus sermo occasionem præbeat ipsi, damnum præter meritum accipiendi; ut omnino distinguendum sit, utrum aliquis citra suam culpam aliorum sermonem percipiat,*

piat, an vero ex petulantia aut maligna cura aliorum secretis immineat.

§. IX. Formavimus regulam seu normam, juxta quam Aulicorum in simulando officia metienda sunt. Age nunc; ea in specie breviter commemoremus; & id distincte quidem. Primo Principem, deinde Ministros ejus videbimus. Integrum ergo est Principi, mentem suam gestibus aut verbis, tanquam velo quodam, contegere, quousque alter cogitata ipsius noscendi, neque perfectum, neque imperfectum jus, allegare potest. Atque hoc respectu suis se finibus continens simulatio & dissimulatio pro virtute potius, quam vitio, ducenda est; & hinc laudarem non laudabilem *Tiberium* Imperatorem, cui ex suis, quas existimabat, virtutibus nulla magis, quam dissimulatio, placebat, nisi eam in perniciem magis, quam utilitatem suae Reipubl. convertisset. *Tacit. Annal. 4. 11. 3.* Simples enim, & qui animam in fronte, ut loquitur *Ennius*, gerunt, prudentiae, quae in Imperante requiritur, capaces non sunt; cujus simulatio veluti nervus est, cum nunquam regete sciant, qui non sciunt tegere. *Lipsius Polit. IV. XIV. 31.* Quid enim? cum periculosi, & qui nulla vi aut armis compesci queunt, in populo tumultus existunt? Principi justissima ira ferventi, tamen reconciliati quasi animi larva vultum obducere non licebit, ut mitigata plebs promptius ad officium redeat? *Honeste enim, addo ego, & prudenter, cedit, qui temporari nonnunquam cedit, Lips. Polit. IV. III. 17. si-*

T 3

mula-

mulatioque contemptus sæpe omni bello efficacius animos ad pœnitentiam cogit. *Barclaj. Argen. Lib. II. c. 3.* Non igitur uret, non scabit, tali tempore Princeps, ne magis irretet; cum cautione aget, vulnerique remediis quam mitissimis mederi instituet, utque injurias primum ita patietur, ut videatur non sensitisse, quod faciendum his temporibus *Argenidem Melander* præclare monuit; *Id. c. 6. c.* qui nec decipi abnuat, cum timeri graviora possent. Ad laudem prudentiæ erit, hic indulgisse quiddam, quod præcipue generosis illis & altis animabus notandum, quæ plerumque obstinate nimis Majestatem defendunt; nec animadvertunt, quod dignitatis non est, sæpe fortunæ esse; neque res inclinatas impetu, sed sensim, sisti. Hinc Imperator aliquis, nescire eum recte regnare, dixit, qui nesciat dissimulare. Ipse *Cicero*, quamvis ex animi voto simulationem & dissimulationem sublatam velit, *Offic. c. 15. pr.* tamen in *Orat. pro Milon. c. 24.* necessariam eam esse iis, fatetur, quibus commissa sit Respubl. Magnum *Platonem*, sed sobrie & cum sale, audi. Is *V. de Republ. ουχὼν*, ait, *ψεύδεται ἀπᾶτη δέησεν κρηθῆναι τῆς ἀρχοντίας ἐπ' ὠφελίᾳ τῶν ἀρχομένων.* *Frequenti mendacio & fraude utendum Imperatoribus ob commodum subditorum.* Ut ad effectum consiliorum suorum veniant, multa simulent, oportet, inviti, & dissimulent cum dolore. *Cic. Lib. VII. Ep. Fam. 8.* Ut consilia vero sua eos, qui iis callide imminent, celent, quo tegmine, qua larva, opus? Non apti huic theatro

atro aperti & simplices; Involvendus multis simulationum involucris, & quasi velis quibusdam sermo, ut sciscitantium astutas ambages eludas. Fronti, oculis, toti corpori, in multiplices eundem species; claudendus primus est in interiora permeaturis aditus. Fingenda sunt diversa prorsus, quam quæ tu sentis, & sic incertis atque dubiis sciscitatoribus nonnunquam per ipsam veritatem imponendum. Callidis his igitur tu frontem semper explica, sed mentem tege; intimi recessus absconditi sint semper, & vel ipsius Argi oculos ecludant. Sed & rumores falsos disseminare, si Reipubl: tuæ utilitas id jubet, quid times? Nulla hic injuria populo; nec ille jus de tuis cogitatis judicandi hoc casu habet. Sed ut eo feliciter imponas, fama aliquid de vero trahat. Nam, qui immodice dissimulant, prudentiæ non satis litant. Cui enim bono tegmen, si translucet? Quin semel hoc in omni genere fraudum capiendum; *Doli non sunt doli, nisi eos astu colas.* Lips. IV. 14. 3.

§. X. Erga Ministros etiam, & cæteros, qui in aula vivunt, quam multa Principi simulanda, dissimulandaque sunt? Cum unus alterum accusat: & clandestinis delationibus se mutuo premunt, quo hic velo, qua frontis oculorumque nebula, utendum? Nam nec fidendum propere, nec negligendum temere; illud levitatis, hoc imprudentiæ; utrumque autem tuo fastigio periculosum; longe hinc aperta illa & sine fuce simplicitas; quæ capi



piti Imperantis, & per id plerumque Reipubl. saluti fatum maturat.

§. XI Ad hostes venio, cum quibus saepe numero res Principi. Hic, si mentem ei in lingua locabimus, omnemque detrahemus illius verbis & gestibus simulationis nebulam, pessimo loco erit Reipubl.; imo sane brevi ruet. Secretis enim illi consiliis, tanquam medicina, nutritur; atque exarcanorum fideli occultatione animam & vires habet. Obscurus igitur hic agat Princeps; recordat, quicquid celari videbit opus; Abditosque ipsius sensus exquirere volentes provida ratione eludat. Licebit enim hoc ei; cum & aperta vi hostem uti possit; tanquam cum, qui obligationem sibi in infinitum nocendi alteri concedit. Cave igitur, Princeps, sedulo cave; tum praesertim, cum ab hoste ad te legati. Saepe enim illis non tam pacis negotia curae, quam tuae mentis exploratio. Hinc tu iis quidem fide, sed fide cum diffidentia. Prædenter *Eurip. in Helena v. 133.*

--- -- αὐφ' ἑγὼ δ' ἀπίστας,  
 Οὐδ' ἔτιν' ἄλλο χρονομάτεσσι βροτοῖς,  
 Plerumque enim hostes, cum leonina non satistata, injiciunt vulpinam sibi. Non te jam in pristina tempora deducam. Nam quando redieris inde? Sed suscipe *Europe* arcem; filetet, qui nunc tam læte in ea cantat, & plaudit alas; fileret profecto, nisi robur lingvæ astutia dedisset. Qualis ex nupero discrimine? Nam deprehensus elabi non posse videbatur. Acerrime in eum omnes, & viri

ribus succincti. Sed exiit has tricas, & exiit cum fructu. Et quid jam illum brevi? Sitit; & sitim vicinis levabit aquis. Sed fileo. Neque vero yaga sit hæc licentia fallendi hostem, & sine terminis; en hic cancellos, quibus eam definitum imus. Quantumvis publica utilitas simulationem commendabit; nunquam ea tamen jure fiet, nisi ab hostibus tacite concessa. Quare exulat eo tempore, quo foedera ineuntur, ubi integra omnia, pura, atque ex animi sententia profecta esse debent. Inde judicari poterit, qua æquitate, qui centum dierum inducias erant pacti, hostes noctu invaserint; quod paciscentes de diebus, non noctibus, sensissent. Iniquissima est tam fraudulenta calliditas, nec Principis gravitate digna: quæque jus perfectum, quod hostes habent, malitiose violat. Tu, Princeps, recte hic omnia & sincere; atque ita habe: Nemini magis favere Numen & fortunam, quam qui fidem constanter servet; & si vel universus orbis ad fraudes inclinet, tamen Principem integram esse decere, quod in gravissimo negotio Magnus Imperator præclare dixit. Extra hoc tempus autem, sires cum hoste, nihil metue, Princeps, elude calliditatem ejus, prout res & occasio monebit.

§. XII. Cum enim, qui se pro hoste gerit, in infinitum quasi nocendi sibi licentiam tacite vicissim concedat; in aprico est, non solum aperta ipsum vi adoriri, sed multo etiam magis per calliditatem, & quæ vocant, stratagemata, citra nostram

periculum damnum ei inferre licere; nam & per ordinariam juris viam in ordinem redigi non potest, juris gentium violator. Conf. *Hulsem. Brev. c. 12. n. 24.* Nihil itaque prohibet, quo minus hosti, gestibus & signis, vel per falsa rumorem sparsum, imponere liceat. Vid. *Ziegler. Not. in Grot. Lib. II. c. 1.* Quantumvis contrarium multis videatur potius. Ita *Eurip.* ait in *Rheso v. 514*

Ουδεις ανηρ ευφυχς αξιον λαθρα  
κτειναι τον εχθρον.

*Vin nemo magnanimus clare velie  
Trucidare hostem.*

& facere pro hac sententia videtur *Flori L. 1. c. 18* *Eam vir sanctus & sapiens sciet, nec am esse videriam; qua salva fide & integra dignitate parabitur.* Eisdem etiam partes terror ille orbis terrarum Alexander M. tuctur, qui, cum *Parmenio* ipsi svaderet, in *Persas* belli furto uti, hostesque praesidio noctis opprimere, *katrunculorum*, dixit, & *furum ista solertia est, quam praecipitis mihi; quippe illorum votum unicum est, fallerel.* *Q. Curt. Lib. IV. c. 13. n. 4. & 8.* *Polybius Lib. 13. pr. Achaos*, populum *Graciae*, cujus tamen fluxa fides alias proverbio locum dedit, hoc nomine laudat, qui, ut scriptoris utar verbis: *ταστων απλητρευντο τη κακομηχανει, ως οδε τες εχθρας τοις περιλειοις ηρυντο δι απάτης υικαν.* Adeo *aversabantur* machinationes atque dolos, ut nec vincere hostes suos per fraudem vellent. Sed eant simplicesha, & nimis candidae, naturae; ego contra disputo, & recte

recte. Nec enim interest, quomodo noceatur hosti;  
*Virgilium* audi:

— Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?  
2. *Aeneid.* v. 29.

quem in sensum etiam *Homerus* hosti obesse per-  
mittit:

ἢ δόλῳ, ἢ βίῃ, ἢ ἀμφοτέρων, ἢ κρυφῶ-  
δῶν.

Sive fraude, sive aperta vi, clamve pa-  
lamve.

*Xenophon* *Cyr. Inst.* Lib. 1. nihil dixit in bello do-  
lis utilius. Et integrorum populorum meminisse  
licet, qui id quotidianis factis comprobare annisi  
sunt; inter eos *Spartani* eminent, ceteris *Græciæ*  
populis virtute & fortuna facile superiores; qui, te-  
ste *Plutarcho* *Marcelli* c. 36. Καίπερ ὄντες πο-  
λυμικῶτατοι, μείζονα καὶ μάλλον ἀνθρώπων πρέ-  
πεσαν ἢ γῆντο τῶν διὰ λόγον καὶ συνέσεως πρά-  
ξι, ἢ τὴν χεὶ βίαιε καὶ ἀνδρείας; *Quamvis ru-  
gnacissimi, tamen majorem magisque homini con-  
gruam putabant actionem ratione & mente insti-  
tutam, quam per vires & robur.* Hinc etiam idem  
scriptor c. 1. memorat, majorem minoremque a  
ducibus victimam immolatam fuisse, prout vel do-  
lo, vel prælio, rem confecissent. Consentiant etiam  
*Cri Rom.* dum eum dolum, quo in hostes uti-  
mur, bonum, seu justum & licitum appellant. Vid.  
*Lat.* §. 2. ff. d. *Dol. mal.* *Augustinum* ad i, tencissi-  
mum alias simplicis agendi viæ, & is tamen in  
*Quæst. super Josue Quæst. X. Tom. IV. fol. 288. ta-*

lia proferre verba non dubitat: *Cum justum bellum suscipitur, ut aperte pugnet quis, aut ex insidiis, nihil ad justitiam interest.* Nec dissentiunt a nobis, quos supra sententia diversa defensores extitimus. Nam quod Euripides humilis animi judicat, hostem occidere clanculum; id vero, si recte attendas, non judicat, si hostis publicus perstititiam evetti possit; sed sermo de privatis ipsi inimicis est, in quos idem licere, nemo facile assensurit; neque *Romanus ille* dolos in hostem improbat, sed salvam in iis cupit fidem & dignitatem. Recte enim distinguitur *Grot. d. J. B. & P. Lib. III. c. 1. §. 18.* inter sermonem afferentem & promittentem. Hunc enim etiam adversus hostem simplicem oportet esse, & rite conceptibus internis respondentem. Per promissiones enim & pacta is, cui promittimus, aut quicum paciscimur, jus speciale acquirit, quicumque etiam sit; quæ regula tam late patet, ut ne quidem hostilitas ab ejus obligatione exceptionem inducat. Cujus rationem profundius rimatur *Pufend. L. IV. c. 1. §. 19.* ubi hæc habet: *Quæ de fallendo hoste dicuntur, nequaquam ad illa pacta, cum hoste desollendo aut suspendendo bello in ta, sunt extendenda. Cum enim Lex N. pacem, quantum commode potest, servari aut abruptam servari jubeat, jubere quoque intelligitur, ut ea usurpatur media, sine quibus ista obtineri non potest. & qui in pacem coire hostes iterum queant, ni in vicem sit obligatio, sensa animi circa presens negotium liquido indicandi; adeoque ni dissident*

int

*invicem necessitas per obligationem vera dicenda circa compositiones pacis tollatur? An vero etiam crimina in hostem confingere, atque apud alios fallorum ipsum scelerum reum agere licebit? & videtur, sed falso; non tam, quod jus aliquod in hoste existens laedatur, quam quod violamus jus tertii, intuitu cujus obligatio sermone menti convenienter utendi, integra in nobis manet; convenimus autem ei, cum ipsi fallum, quid narramus de alio, qui utrum hostis, an amicus, meus sit, respectu tertii nihil quicquam interest.*

§. XIII. Vidimus, quatenus Principi simulationis larvam induere liceat; nunc Ministrorum, qui circa ipsum sunt, in simulando officium breviter considerabimus. Et duos quidem hujus officii partes constituere libet; unam, quæ respicit actiones cum Principe; alteram, quæ ipsos inter se, vel cum aliis. Cum Principe quando agunt, absit hoc officium omne, nisi cum in eo ipsius Principis & hinc Reipubl. commodum delitescit. Unde, si quida Principe peccatum, quod corrigi Reipubl. interest; longe tum simulatio mihi, quam tanta pernicietas secutura est. Audi communem Politicorum Doctorem *Tacitum*: *Longe illi, quibus omnia Principis, honesta atque inhonesta, laudare mos est. Annal. 11. 38. 1.* Sed hoc malum quam aulis familiare est? Quam in plerorumque animis altas radices egit? Capitalis est, & de quo, tanquam fatali morbo, desperandum. *Cic. Lib. 1. ad Q. Fr. 1. Vere, & eleganter de eo Seneca de Reip. nef.*

*ues. lib. 6. c. 30. Monstrabo tibi, cujus rei inopia  
 laborent magna fastigia; quid omnia possidentibus  
 desit, scilicet ille, qui verum dicat; & hominem  
 inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine  
 pro rectis blanda audientem ad ignorantiam veni  
 perductum vindicet a consensu, contentaque fab  
 forum. Vides, quomodo illum in preceps agat  
 extincta libertas, & fides in obsequium servile sub  
 missa; dum nemo ex animi sui sententia suadet,  
 dissuadetque; sed adulandi certamen est, & unum  
 omnium amicorum officium, una contentio, qui  
 fallat? Et id quidem jam sere consuetudine pro  
 nihilo habetur; imo ingenii iudicatur esse ad Res  
 publ. regendam apti, indulgentia atque adulatione  
 animum Principis solerter sibi conciliare. Sed o  
 fatale malum! Ausculta, quid Curtius insuleret  
 Regum opes sapius assentatio, quam hostis, evertit.  
 IIX. 5. 6. Et Capitolinus miserum Imperatorem vo  
 cat, apud quem vera reticantur. in Capitolino III.  
 e. 25. Igitur Principis amici hic libere & prompte;  
 cogitent & malum publicum, & ejus ultorem De  
 um. Morum hic Anglum laudo; qui nulli mo  
 ris suæ blanditiis, aut necessitudine, adduci possunt,  
 ut ne mori, quam Regi adulari, mallet. Recte sic,  
 & constanter; Quo enim splendor ille, quem ta  
 to conscientiae morso redimitis? Vani! Vani! Est  
 potior mihi hac vilis libertas mea, quam illa vestra  
 sublimis servitus. Sed tamen libertate ista cum  
 modo utendum. Non enim cuilibet eam Ministro  
 damus; Sed nec decorum id est, & periculosum  
 valde.*

valde. Si soli ea utentur, quibus tacite ab ipso Principe permissa, h. e. quos arctiori amicitiae suae familiarius admovit. Qualis in Aula *Alexandri M.* fuit *Hephaestion*, *Curt. L. III. v. 12.* *Olivarius tonsor* apud *Ludov. XI.* *Espernonius* apud *Henric. III.* *Reges Galliae.* *Mich. Piccart.* in *Obs. Hist. Pol. Dec. 15. c. 2.* & qui apud hujus aetatis Principes ad eam potestatem admitti, quos nominare nihil atinet; cum satis eos nobis ipsa fama commendet; & in hoc jure usurpando prudentiam ejusdem *Hephaestionis* sequentur, de qua *Curt. c. l. v. 16.* In actionibus a utem aliis, quas scire, neque Principis, neque Reipubl. interest, suo jure in simulando dissimulandoque utentur; promiscuam enim revelationem cogitationum, nulla justa causa est, ob quam Princeps desideret; cum neque pactum, neque Legem peculiarem Juris Naturalis allegare possit, vi cujus quaevis indistincte animi sui sensa ipsi pandere, Ministri adigantur.

§. XIV. Inter se ipsos nunc Ministros Principis, & cum aliis breviter consideremus. Exuere hic iis simplicem frontem licebit, quoties alicujus interest, verum occultari, & ex ea occultatione alter nullum detrimentum sentit. Nam si quis negotium clam mente agitet, quod ipsius interest celari, idque alius sine ullo jure suo captet; quis illi necessitatem imponet, ut rem, sicuti est, de simplici & plano narret? Recte igitur apud *Barclaj. Argen. lib. IV. c. 8.* *Arfidas*; qui, cum ab *Argenide* ad investigandum *Poliarchum* esset missus, captusque a Galli-



a Gallico Duce, *Gobrya*, in navim delatus esset; vultum in hilaritatis speciem ea arte coëgit, ut, quam summopere averfabatur, captivitatem, facillime pati videretur. Sed quid aggredior de exemplis? Pleni hic omnes libri; plena historiarum monumenta; quæ tu, si libet, adi, & quæ ad hoc argumentum, hauri. Neque vero necessum est, ut, qui de vero celatur, nullum omnino incurrat ænium; Nam leve interdum est, & quod ab alio majore, eoque publico commodo, æquitas vult absorberi. Arctiori vinculo Reipubl. obstricti sunt, quam singulis privatis; obligationi isti satisfieri, minorem autem sub publico commodo latere, par est; de quo minime dubium, si damnum aut periculum, quod subit, sua culpa meruit. Ita apud eundem elegantissimum Autorem *Argenid. L. II. c. X. Erymedes* quæstionem habiturus de *Erysthene*, vesficii reo, ita rem *Cleobali* consilio aggressus est. Simulavit apud eum, alterum, *Oloodemum*, eodem crimine accusatum, rem omnem confessum esse; qua ipse effecit arte, ut is, amota larva, scelus fateatur. *Polydamas* item ad occidendum *Parmionem*, confecto ipsius filio *Pbilota*, missus ab *Alexandro M.* ubi procul veniens, eum conspexit, vultu lætitiæ speciem præferente, ad complectendum eum cucurrit; & occidendi, quem habebat, animum solertissime texit; quæ simulatio profecto haud exiguæ artis in *Polydamanse* fuit; quod erga eum; cum quo ante amicissime viserat, ejusdem affectus, revera tamen in contrarium

verè,

versi, speciem tamen constanter servare potuit. Vid. *Q. Curt. Lib. VII. c. II. 24. seqq.*

§. XV. Sed quid de illis urbanitatis deliciis dicamus, quæ aulis tantopere familiares sunt? Cum se verbis infra dignitatem suam demittunt; cum se inferiorum etiam servos, atque subjectos profitentur? At enim innocentes sunt hi ludi; innoxia hæc humanitatis ludibria; Nihil enim alteri metuendum inde mali; nulla in eum injuria; cum interpretatio verborum ex consuetudine & usu facienda sit. Igitur & in loquentis animo dolus abest, & in audiente deceptio atque damnum. Sed tamen cum temperamento hæc, & ut inter gnaros illius moris fiat; In externos enim & inscientes cave; Vis enim ibi se exerit obligationis hæcenus a nobis traditæ. Dubium denique nullum est, licere Principi, vel ipsi, dissimulato habitu, vel per fidos homines emissos, subditorum explorare mentes. Quæ enim obligatio hic subigit, exuerè hanc larvæ? Cum ea inclinatum Imperantis auctoritatem frequenter sistat, & quid profit oblitve Reip. haud infeliciter nonnunquam doceat. Et meminerunt historiae Magnorum Principum, qui in gerendo Imperio hæc via usi; inter quos eminent in Armenia *Mitridates*, Syria *Antiochus*, Hungaria *Matthias I.* Conf. in *Polis. Richteris ax. 101.* Præterea *Galeatius Sforia*, Dux Mediolani, *Magni Francisci* filius, de quo consule *Jovium* in *Elog. Illustrium*; & *Noricorum Dux anonymus*, cujus vitam eleganti Epigrammate de-

te. descripsit *G. Sabinus*, in eoque eundem inter-  
alia sic etiam loqui facit:

*Me junat a rudibus cognoscere vera coloni,  
Servit adularix auribus aula meis.*

Sed hæc hæctenus. Et sic vides jam limites,  
quibus simulandi & dissimulandi in aulis viam, re-  
tione & æquitate duce, designavimus. Tu, si qui-  
a juvene, & in aulis ignoto, peccatum hic, saltem  
conatum in meliorem partem interpretaberis. Ce-  
terum, officia hæc in simulando dissimulandoque,  
hoc diligentius homini imprimenda, quo animus e-  
jus subdolos magis, & versipellis est. Miri in eo  
recessus, & veluti *Mæandri* quidam, quibus fraude  
artesque variz implicantur; quas quis eruet, & in-  
spertum educet omnes? Nullæ enim, quod *Me-  
mum* optare natio *Poëtarum* facit, Vid *Lucian. li-  
bro d. Sectis*. hic fenestraz, per quas introspicere in  
interiora possis. Accedit, quod absconditam hæc  
& tam cæcis penetrabilibus latentem astutiam apte  
callideque sequi didicere frons, oculi, supercilia, &  
frequentissime oratio. Conf. *Cic. Ep. ad Q. Frat.  
de Administr. Rep.* Jurares nonnunquam sancti,  
nil fieri magis genuine sincereque posse; tam sus-  
plex emicat ex vultu humanitas; tam innocens et  
oculis candor, tanta in sermone lacteo inest inte-  
gritas; cum interim pectus aculeatum sæpe, & ve-  
neno infectum, horrest. In densum adeo mentis  
velum ne *Argus* quidem, quem totum oculum  
fuisse ferunt, penetret; Sed quo remedio igitur in  
hydram tam pestilentem opus? Ut recte nimirum

tu,

tu, & sincere agas, & caveas de cætero a Proteis illis tibi, & Polypis mutabilibus. Promptus esto in negotiis expediendis, sed lentus in fide assensuque. Excellentes hic Doctores consule, *Cic. Epist. L. 10. 23. Sen. 2. d. Ira. c. 24. Lips. Polit. L. IV. c. XIV.* qui vallum munivit tibi, intra quod reducas Te; scutum, quo tutus ab insulsa sis. Suspensus tamen hic eas, nec nisi Codice salutari duce. *Machiavello* vero & *Hobbesio* ne fide. Lubrica, & in semitas varie periculoseque secta via est, qua te deducunt. Ad fontem ubique veritatis, *DEUM*, respice, a quo & hæc nostra, qualiacunque sint, promanarunt, quemque, ut te pariter, & me bene habere jubeat, prece ardenti veneror.

## DISSERTATIO X.

DE

# OBLIGATIONE MATRIMONIALI SECUNDUM LEGEM NATURAE.

### SUMMARIUM.

§. 1. Societatis definitio & divisio. 2. Refutatur Hornii de Origine maritalis potestatis sententia. 3. Recensetur atque refellitur aliarum opinio. 4. Genuinum ejus fundamentum exponitur. 5. Restrictio potestatis maritalis. Dos non

*non precise ad matrimonium necessaria. 6. Uxor tenetur domicilium mariti sequi, quod limitatur. 7. Regula, juxta quam jus mariti exigendum. Jus hoc dominium in sensu rigoroso non est. Ad potestatem vita & necis non extendendum. Aegyptiorum consuetudo vetus J. N. repugnat. 8. Conjugii definitio Grotiana rejicitur. Aristotelis, Justiniani, Modestini, & Osiandri definitiones recensentur. Mutuum adjutorium ad essentiam matrimonii quomodo pertineat, excutitur. Libido omnis J. N. adversatur. 9. Πολυγαμία J. N. repugnat; non vero polygamia virilis. Argumenta sententiae contraria adducuntur, & resolvuntur. Denique evincitur, prohibitam esse hanc polygamiam J. Div. Universalis. 10. Matrimonium, in lineam rectam contractum, est contra J. N. Deducitur praeterea, quinam gradus sint J. Div. Universalis prohibiti. 11. Omne matrimonium contra prohibitionem J. N. atque Div. Universalis irritum pro irritum declaratur. 12. Quenam aetas ad hanc societatem apta sit, excutitur. 13. De libertate matrimonium ambiendi agitur. 14. De Forma Matrimonii. 15. Qualis error id vitiet, ostenditur. 16. Exhibet ejus effectum. 17. Divorrium definitur, ejusque permissio ex natura partium conjugialium deducitur. 18. Sterilitas non est justa divortii causa, sed ineptitudo ad copulam. 19. Morum importunitas in conjugee sola non est sufficiens ad dissolvendum matrimoniale vinculum. 20. Pufendorffii sententia recensetur & refut-*

refellitur. 21. Uti ob certas causas maritus ab uxore, ita haec ob easdem ab illo distcedere potest. In statu civitatis dissolutio matrimonii non est privata autoritate faciendā. 22. Grotii sententia de divortio f. N. licito refutatur. 23. Judaeorum quaedam consuetudines improbantur. Sensus verborum Christi de divortio ob solum adulterium licito eruitur. 24. Miltoni sententia de divortiiis refellitur.

§. I.

**I**Nter officia hominis, quae vim suam in relatione ad alios exerunt, maximi momenti sunt illa, quae dirigunt Imperantes & parentes. Imperium autem in alios varios agnoscit gradus, pro diversitate scilicet originis, a qua promanant; & commodissime quidem intuitu societatum officia haec dividuntur posse. Est autem societas nihil aliud, quam status personarum, ad minimam duarum, cum ordine & juribus, quae illum dirigunt. Dispersae Societates communiter, nec incongrue, solent in primas, & secundas, sive simplices & compositas. *Simplices* & *Primae* vocantur non illae, quarum constitutionem non plures, quam duae personae, ingrediuntur, uti vult Hornius d. Civitate, L. 1. cap. 1. §. 2. sed quas aliae minores societates non componunt, quemadmodum contra compositae sive secundae au-  
 iunt, quibus essentiam largitur aliarum minorum compositio. Conf. Aristot. 1. Polit. 2. Pufend. d. N. & G. L. VI. c. 1. n. 1. *Simpliciam societatum*

divisio abit in *nuptialem*, *herilem*, atque *paternam*. *Arist. c. l.* Nuptialem nos hoc loco consideramus, tanquam fundamentum & seminarium reliquarum. *Pufend. l. c. n. 2.*

§. II. In hac societate imperium penes maritum videmus esse; quod unde descendat, controversum est. *Hornius Polit. L. 1. 6.* ut pleraque & *lia Jura, ex Divina concessione* derivat. Cum quæ etiam alii faciunt; & haud obscure *Ostender Obj. in Grot. L. II. c. 5. tb. 8.* Et pie fortasse quidem, sed minus, ut mihi quidem videtur, philosophice. Neque enim causam remotam, qualis est *Divina Voluntas*, quærimus; sed propinquam, ex qua immediate, prona consequentia, imperium hoc fluit. Constitutio enim *DEI* respicit haud dubie *simul pacta*, quibus intervenientibus, jus ab ipso concessum, in certis se individuis exerit. Quamobrem cum *DEUS* mulierem maritali potestati subijcit, exinde non hoc sequitur, quod quævis indistincte *foemina* alicui viro debeat subjecta esse; Sed illa *domum*, quæ in uxoris nomen transierit; quod nomen non simplex est, sed involvit etiam pactum, quo mediante certum se *foeminae individuum* certo viro adjunxerit, adeoque vim constitutionis *Divinae* jam in actu secundo in ipsam exercerit.

§. III. Alii sunt, qui *maritalem potestatem a sexus masculini præstantia* deductum esse. Sed non possunt evidenter ostendere, in quo *sexus præstantia* ponenda sit. Utrum in eo, quod  
uoci

uxori maritus in generationis actu prævaleat, an in hoc, quod mares ad bella, aliasque imperii partes obeundas magis idonei sint foeminis. Conf. *Prasch. d. Bono Cive, §. 6. it. Arnif. d. Jure Connubii, cap. 1. sect. 1.* Sed & prior præstantia adhuc dubia, ob Medicorum hac in parte dissensum, & posterior, si conceditur, tanta tamen, quod ex se manifestum non est, quæ propterea marito imperium in uxorem conciliare possit.

§. IV. Potior autem his est, & maxime veritati conformis sententia, quod deducenda potestas hæc omnis sit a *consensu cohabitationis seu consociationis*, quo mediante foemina sibi eligit maritum, portionemque se familiæ ipsius constituit; hocque ipso non solum ei in corpus suum arbitrium committit; sed etiam se quasi obligat; quod ipsum tanquam familiæ caput in comparandis dispensandisque vitæ subsidiis, sequi velit. Neque vero, uti supra jam monitum, hoc maritalis potestatis a consensu desumptum fundamentum impedit, quo minus etiam dispositioni Divinæ, sed tanquam causæ remotæ, adscribatur. Quin potius illud certum, quod non solum uxor in statu corruptionis vi *Gen. III. v. 16.* (ubi simul hoc imperium onerosum factum) maritali potestati sublit, sed & in statu integritatis subjecta fuerit, idque ob naturalem foeminæ a viro dependentiam, undè *1. Cor. XI. v. 8.* dicitur: Οὐ γὰρ ἐστὶν ἀνὴρ ἐκ γυναικὸς, ἀλλὰ γυνὴ ἐξ ἀνδρός. Non mas a famina, sed famina a viro est; & *v. 9.* ὅτι ἐκτίθη ἀνὴρ διὰ τὴν γυναῖ-



*ναῖνα; ἀλλὰ γυνὴ διὰ τὸν ἄνδρα. Non conditus est vir propter uxorem, sed uxor propter virum. Male autem hoc dictum applicat Pererius in Genes. p. 157. ubi dicit; Mosi & Pauli doctrinæ valde congruere & consentire Aristotelis & Peripateticorum sententiam, appellantium foeminam animal occasionatum. Recte enim monet ALBERTI, Comp. J. N. Orthodox. P. II. cap. X. §. 31. Aliud esse, generationem foemina per occasionem missum ex imbecillitate seminis virilis, si hoc potum non sit, producere marem, prout sentit Philosophus, aliud, creationem ejus a sapientissimo, ac benignissimo DEO, in subsidium viri, qui est sensus. Spiritus Sancti.*

§. V. Hinc ergo jam descendit, quod in rebus conjugii atque familiae maritus pro lubitu disponere queat, nisi vel Lege positiva, qua restricta hæc potestas potest, aliud determinatum sit; vel saltem pacto conventum. Quo etiam dotis institutio referenda, utpote quæ non ex Jure Naturali est; cum etiam sine bonis ab uxore illatis matrimonium consistere possit. Unde apud Japonios indotatae uxores sunt; & quamvis ipso nuptiarum certam pecuniæ summam sponsæ parentes sponso mittant; istamen eam non accipit, sed iis remittit; & ejus rei hanc jactitant causam, quod noluit ullam uxoribus superbia occasionem subministrare. *Varen. descr. Japon. 6. 12.*

§. VI. Similiter jus constituendi domicilium penes maritum est, & uxor id tenetur sequi, tanquam

quam pars seu portio familiarum; nisi scilicet justam dissentiendi alleget causam. Atque hinc *Japopiorum* proverbium: *Feminam per omnem vitam, propria habitatione carere; puellam enim in parentum adibus, nupsam in mariti, viduam in liberorum domibus agere. Varen. c. l.*

§. VII. Quæritur autem, juxta quam regulam metiri potestatem maritalem oporteat, ut constet, quousque se illa extendat? Æstimanda vero ea sine dubio est ex *hujus societatis fine*. Ex quo jam primum liquet, jus hoc mariti in uxorem dominium, in sensu rigoroso vocari non posse. Cum enim una fiat caro cum uxore, qui dominari ipsi poterit? Effectus enim dominii regulariter est, quod quis re sua etiam abuti possit, quod rationi conjugii repugnat. Unde *Aristoteles* modum regiminis circa uxorem cum *Politico* confert. Quemadmodum imperium in liberos cum *Regio*, & in servos cum *Despotico*, comparat. Ex quibus illud etiam jam fluit, non competere marito qua tali in uxorem *jus vitæ & necis*, cum ad finem matrimonii hoc medio opus non sit. Quamobrem id non satis convenienter Juri Naturali olim obtinuisse videtur apud *Gallos*, de quibus *Cæsar* B. G. VI. c. 9. tem *Germanos*, de quibus videri potest *Tacitus* *German. XIX.* Apud alios quoque populos eundem morem viguisse, testatur *Bodin. d. Republ. L. 3.* & *Arniseus de Jure Connubii, cap. 7. Sect. 4.* Vice versa autem haud dubie etiam *Ægyptii* in generositatem viros decentem peccarunt, cum ipsi

muliebria munia obiere, dum interea foemina (teste *Herodoto*) virilibus officiis defungerentur. Idem quoque de *Lyciis* memoratur, quos utrosque propterea in rationem contumaces haud incongrue vocat *Praschius Diss. de Bona Cive*, §. 6. Conf. *Gröf d. J. B. & P. p. m. 451.*

§. IIX. Devenimus jam ad matrimonii definitionem. Hic vero haud dubie lapsus est *Grotius*, cum id definivit per *cohabitationem nam cum femina talem, quae feminam quasi custodiat sub oculis & custodia maris, conjuncta cum fide, qua se mari femina obstringat.* Multo enim haec laxior definitio est, quam natura defini potitur; quamvis nec *Lege Naturali*, nec *Divina positiva* quicquam praeterea ad matrimonii essentiam desiderari, velit *Simon Gr. Erotem. L. II. c. 5. §. 23 seq.* Quod enim ait, per hanc cohabitationem constitui foeminam *sub oculis & custodia maris*, id eadem ad alias potestates pertinet. Nam & eadem ratione filia & pupilla sunt sub oculis & custodia patris & tutoris. Illud vero multo pejus, quod promissionem fidei conjugalis ad solam uxorem restringi, non autem esse reciprocam; Cum contra naturalis ratio dicat, mutuas hic intermaritum & uxorem obligationem esse, cum quod potestatem in corpus, tam quod reciprocam a se fidei. Quo pertinent ea, quae *Apostolus I. Cor. VII, 4.* asserit, ubi dicitur, neque virum, neque foeminam, habere potestatem corporis sui, sed reciprocam in ipsis obligationem esse; cum *Grotius*

antem definitione & divortiorum licentia, & polygamia simultanea, stare queunt, cum potius reciproca fides ad formalem essentiam matrimonii pertineat. Conferri hic queunt, quæ habet *Lactantius Lib. Instit. XL. cap. XXIII. Exemplo continentie docenda est uxor, ut se caste gerat; iniquum est enim, ut id exigas, quod ipse prestare non possis.* Accedit denique, quod consensus, qui sane principaliter ad conjugium desideratur, plane mentionem non facit, quod bene animadvertit *Ostander Observat. ad Grot. L. II. c. 5. tb. 9. obs. 1.* Non satis apte igitur defendere hanc Grotii sententiam elaborat memoratus *Simon ad Gvil. Grot. c. 9. §. 5.* Quin potius approbamus definitionem *Aristot. I. Polit. 3. & 12.* quæ ita habet: *Κοινωνία γαμικὴ εὐξενεῖς τῆ ἀνδρός, καὶ τῆς γυναικὸς φυσικῆ, καὶ ἀρχαίης, ὑπὸ τῆ Θεῆ, τῆς τεκνοποιίας καὶ συνεργίας ἕνεκα.* Sive: *Societas nuptialis est conjunctio maris & femina naturalis & indivisibilis, a DEO, ob sobalis procreationem & mutuum adiutorium.* Nec male *Justinianus* definit §. 1. *I. de Patr. potest.* quod nempe matrimonium sit *viri & mulieris conjunctio, individuum vite consuetudinem continens, cum qua quodammodo coincidit illa Modestini in L. 2. ff. de R. N. Nuptia sunt conjunctio maris & femine, consortium omnia vite, divini & humani Juris communicatio.* *Ostander Observat. ad Grot. L. II. c. 5. tb. 8.* sic describit: *Matrimonium est legitima, solennis, & per totam vitam ligans conjunctio unius maris & femina*

*mina in unam carnem, instituta a DEO ad procreationem sobolis, mutuam adiutorium, & eversionem libidinis.* Quamvis fatendum sit, habere eam quaedam sibi admixta, quæ ad essentiam matrimonii præcise non requiruntur. An autem inter ea *mutuum* etiam *adiutorium*? Affirmandum nonnullis ex ea ratione videtur, quod sæpe in matrimonio, & regulariter quidem illustrium personarum, nullum plane adiutorium, præter illud, quod in actu procreandæ sobolis desideratur, intercedat. Sed enim id nondum sufficiens mihi quidem videtur, ut a recepta communiter definitione recedatur. Confundi enim hic existimem intentionem cum actu, seu effectu. Nam & sobolis procreatio actualis non semper in matrimonio obtinetur. Neque vero dubitem, nullum dicere matrimonium, in quo ab initio certum est, nullum, præter sobolis procreationem, adiutorium intervenire. Probabilitati autem nihil tribuo; Nam & de senibus probabile, eos generare non posse. Sufficit, nullum concipi posse matrimonium, in quo non uterque conjux ad mutuam adiutorium aptus sit, & simul evenire queant casus, quibus unus alterius adiutorio opus habeat. Adversatur J. N. omnis vega libido, & stuprum, cum & raro sobolis procreationem pro scopo habeat, & inducat plerumque incertitudinem prolis, hincque confundat officia, quæ inter patrem & filium naturaliter intercedunt. Multo magis autem damnatur J. N. ille concubitus, atque forditas, qua vesana prorsus & execranda

da libidine in parem nonnulli sexum, vel brutorum etiam corpora, feruntur; item adversatur J. N. libido omnis solius voluptatis & titillationis ergo suscepta, ut a masturbatoribus & tribadibus fieri solet.

§. IX. Cum autem definitur matrimonium per unius maris & foeminae conjunctionem, oritur quaestio, in utramque partem omni fere aetate acriter disputata: *An Polygamia* (simultanea scilicet,) *Juri N. adversetur, nec ve?* Duplex autem polygamia est, *muliebria*, seu *πολυανδρία*, & *virilis*. Illa dicitur, cum pluribus viris una foemina jungitur. Et quamvis hanc J. N. non repugnare, contendat *Thomas. Jurisprud. Divin. Lib. III. c. 2. n. 206. seqq.* affirmativa tamen verior mihi omnino videtur, idque ob hanc solam rationem, quod ea ob prolis incertitudinem parentum liberorumque officia, quibus tanquam fundamentum generatio substernitur, confundat, ac turbet. Quod prolixè, & accurate executus est *Pufend. d. J. N. & G. L. VI. t. 1. §. 17. seq.* De *polygamia* autem *Virorum* major est eruditorum dissensus. Mihi firmiter robur negativae inesse persuasum est. Facit enim hoc unius cum pluribus foeminis matrimonium ad multiplicationem humani generis, nec eam officiorum confusionem inducit, quam oriri ex polygamia muliebri diximus. Nec probo *Baehlerii* hic praesidium, quod sententiae contrariae invenisse sibi in *sexto precepto* videtur, quo prohibetur adulterium. Nam illud quaeritur, an secundum

J. N. cum aliis, itidem in thorum matrimonialis adscita, concubitus vocari adulterium queat; cuius de cætero principium recte habet, *quod in J. N. explicando, quoties dubitatio oritur, nemo S. Libri præsidium certius demonstrat*, propterea, quod repunt J. N. & explicant. Quamvis autem polygamia hæc virilis J. N. non repugnet; tamen cum vix plures fœminæ cum uno cohabitare sine rixâ & discordia queant, inde dicendum, quod non quidem imperet monogamiam Jus N. sed tamen rationibus naturalibus ea svadeatur. Quo pertinet ea, quibus Euripides in *Adrom. Hermionem* loqui eleganter facit. Vid. *Simon ad Grot. p. 205.* Nec est, quod urgeas, ob intemperantiæ vitium, a quo polygamia libera non manet, eam Jus N. adversari. Ne enim ex unius fortasse, alteriusve individui, accidentali intentione universalitatem inferre licet; & impium sane fuerit, originem polygamie Patriarcharum a DEO dispensante permissæ, ut infra videbitur, libidini aut intemperantiæ adscribere. *Augustinum audi Lib. 22. contra Faustum Lib. 47. inscribentem: Peccata alia sunt contra naturam, alia contra præceptum; quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus uxoribus mul habitis obijciatur sancto viro Jacobo, si naturam consulas, non lasciviendi; sed generandi causa illis mulieribus utebantur; si morem, illo tempore in illis locis hoc factitabatur, si præceptum, nulla Legge prohibebatur.* Quod postremam tamen quo minus consistat, primaeva; ut deinde de

• ceteris,

cemus, matrimonii institutio facit. In eundem fere sensum *Menzerus* ratiocinatur, cum Tom. 4. Disp. Marp. 15. th 72. ita ait: *Non turpis libidinis explenda, sed augenda familie gratia Patriarcha sibi plures uxores adjunxerunt*; Debile etiam argumentum est, quod ansam rixis atque dissensionibus polygamia præbeat. Neque enim id, repugnare eandem J. N. evincit, sed id solum, svaviorem *μωνογαμίαν* esse; quod consilium tamen nullam obligationem inducit. Regeris: Imo ob hanc causam non svavius solummodo est, sed præcipitur unius cum una consortium; cum societatis humanæ vinculum nihil facilius, quam animorum dissensio, rumpat, ad ejus conservationem tamen universum Jus N. dirigitur. At enim consortium tale non per se lites disseminat, sed id ex accidenti, & hinc non semper & ubique fit. Unde non evenire in *Asiaticis* fere regionibus solet, sed metuentium solum in *Europa*, aut locis aliis, ubi liberior est mulieribus spiritus, uti recte judicat *Osiander ad Grot. p. m. 749. seq.* Non premit denique, quod aliqui objiciunt, J. N. imponere marito recipiam & se uxori addicentem fidem, quemadmodum hæc fidem det marito. Fatemur, subesse hic quandam equitatis rationem, sed quæ tamen Juris N. præceptivi non sit, cum ex fide, ab uxore data, non nisi us imperfectum oriatur. Atque hanc sententiam maxima pars Theologorum pariter & Jurisconsultorum unquam quasi ore approbat. Dantur etiam adhuc hodie gentes, in quibus imprimis Turcæ, qui cum pluribus



bus fœminis matrimonium ineunt, apud quos tamen experientia compertum, minorem, nescio quomodo, hominum multitudinem, quam alibi, dari. Olim autem nonnisi Germanos fere inter gentes barbaras simplici conjugio contentos fuisse, Tacitus de Moribus Germ. tradit. De Græcis, Persis, Indis, Ægyptiis idem manifestum est ex Diod. Lib. I. Gell. XV. cap. 20. Athenæo, aliisque scriptoribus. Sed tamen, quicquid sit, fatendum, non magnam esse hujus controversiæ utilitatem hodie, uti Kulpæ Coll. Grot. Ex. IV. §. 6. recte monet; Quia Jure Divino Voluntario universalis (quod dari, ex collatione Gen. IX. v. 6. & Num. III. v. 31. seq. item Levit. XIX. & XX. v. 22. seq. liquido apparet,) hæc polygamia est prohibita. Gen. II. v. 24. j. Matth. XIX. v. 4. & 9. adeoque tum respectu primæ institutionis, tum a Christo factæ confirmationis. Nam Genes. II. DEUS unam Evam uni Adamo conjunxit. Et Christus ad eam institutionem provocat. c. 1. & v. quidem 4. disertis verbis asserit; quod sub initium constituerit DEUS, ut *unus esset vir & una uxor*, & v. 9. habetur, quod, qui divortium fecerit ab uxore, & duxerit aliam, adulterium committat. Quod si igitur adulter est, quando separatus saltem de facto cum alia concumbit, multo magis tum erit, quando adhuc sibi junctæ aliam superinducit. Et hinc errat Grotius, & cum ipso Simon ejus interpret, Grot. Erotem. L. II. c. 5. v. 42. cum ait: *Christum dixisse quidem, unum virum, unam uxorem habuisse, sed non addere ipsum nefas*

*nefas fuisse, plures ducere.* Ut enim præcise hæc verba non extent, mentem tamen hanc Spir. S. esse, satis inculcatur. Nec est, cur *Patriarchas* in V. T. alleges. Vel enim in Scriptura inter alia eorum peccata & hoc refertur, quod polygami fuerint, vel (quod probabilius, cum cæterorum fere peccatorum explicite facta sit mentio,) supremi Legislatoris, DEI, dispensatio intervenit, quæ expresse quidem in sacra Scriptura non habetur, intervenisse tamen credenda videtur, cum alias in mortali peccato continuo hæssissent, quod pugnat cum ipsorum in sacra Scriptura elogiis, & præcipue Abrahami, qui *Pater credentium* vocatur, & *justificatus esse* dicitur. Objici autem præterea solet, quòd in sacra Scriptura præcepta quædam dantur his, qui plures una uxores habent. e. gr. Levit. XXI, 15. Neque vero hic placet, cum aliis dicere, legem hanc hypothetice, posita nimirum conditione, polygamiam obtinere, accipiendam esse, adeoque disponere textum, præsupposita polygamia, de aliquo consequente illam, non autem probare antecedens. Valde enim & nimis manifeste contraria hæc & incongrua videtur responsio. Cui enim DEUS in illum casum, quem ipse existere mollet, disponderet? Nec magis probatur eorum sententia, qui dicunt, non loqui citatum textum de polygamia simultanea, sed successiva, adeoque disponere de eo casu, quo altera uxor vel defuncta, vel repudiata sit. Probabilissimum autem est, supponere Legem illam Divinam dispensationem circa

ca polygamiam. Et hinc inconvenienter satis dicta mihi videntur, quæ, citante *Osiandro, Draſius* hunc locum scribit: *Si polygamia erat vetita per deos, quorsum ista Lex? Nam si non licebat eis habere uxores, nec Lex ponenda erat eis, quæ habebant, sed consuetudine ita invaluerat. Sed ad consuetudine, aliud Lege. Quod Lex prohibet, permittit. Videtur autem permisisse, cum DEUS dicat per Nathan Prophetam Davidi: Dedit tibi uxores Domini tui in sinum tuum &c. Davi autem sex habuit. Sed pugnabat cum primæ institutione matrimonii. Concedo, si mihi concesseris, DEUM tolerasse in populo pluralitatem uxorum. Nunquam enim quenquam eo nomine reprehendit, quod sciam, ne Davidem quidem, qui erat vir juxta cor ejus. Sapientes dixerunt: qui multiplicat uxores, multiplicat veneficas. Nam utebantur veneficiis ad demerendum maritum, & odium ab eo conciliandum, unde illud: Quot uxores, tot venefice. Non igitur multum laudanda veteris illius consuetudo, & Christiani bene fecerunt, quod eam aboleverint. Similiter de dispensatione accipiendum est, quod DEUS 2. Samuel. XII, & inter beneficia in Davidem collata numerat, quod uxores Saulis dedit in sinum ipsi. Difficile est enim illa, quæ multis placet, explicatio, quod hæc phrasis, *in sinum dare*, æquipollet tibi potestati subdicere. Manifestum potius est ex Genes. XV. v. 5. quod ista locutio coincidat cum tibi *in conjugium dare*, quam explicationem etiam desiderant*

nis per parabolam intentus; Ut enim pauperis vis notat uxorem Uriæ, sic oves divitis respondent uxoribus Saulis, Davidi in conjugium datis. Jam absolute primum, uti bene *Osiander ad Grot. m. 149.* observat, dicit: *Dedi tibi donum Domini tui*; deinde per exaggerationem & novi beneficii occasionem determinate, *& uxores Domini tui in vinum tuum*, ut adeo his peculiatis traditionis molus denotetur.

§. X. Posteaquam ergo hactenus evicimus, non quidem Jure N. sed tamen Lege Divina omni- us interdictam polygamiam esse, proximum jam est, ut disquiramus: *Utrum uxorem sibi eligere feminam quamcunque liceat, an vero matrimonium in certis gradibus sit Jure N. prohibitum?* Et id quidem de linea recta in infinitum asserere, nullus omnino dubito. Scio equidem, multos hodiernum Juros eruditissimos in ea hærere sententia, quod nullum certum & firmum Juris Naturalis fundamentum ostendi queat, Matrimonium inter ascendentes & descendentes contractum J. N. repugnare. Atque hinc etiam haud pauci eo delapsi sunt, ut crederent, in lineæ rectæ gradibus vel omnibus, vel saltem remotioribus, licitum esse matrimonium, de quorum numero *Covarruvias est Tom. I. P. 2. c. 6. §. 6. n. 13.* ubi evincere conatur, *prohibitionem in linea recta non nisi ad vigesimum gradum extendendam esse.* Alii autem evidentem se rationem reddere non posse, confessi, præsidium in insita in nobis affectibus fuga quadam talis conjunctionis

X

que-

quærent. Vid. *Grot. de J. B. & P. Libr. II. c. V. §. 12.* & *Kulpis Coll. Grot. Exercit. IV. §. 7. L. 2.* ubi hac de re ita edifferit: *Sicuti in naturalibus dantur principia prima indemonstrabilia a priori, quæ suapte sponte in sensus incurrunt; ita in moribus quoque dantur, quorum veritas absque ratione intellectu recte conformato se innuat; tale est hoc: ANUPTIIS PARENTUM ET LIBERORUM ABSTINENTIA EST.* Et in ipso §. VII. dubitat, an determinari possit, quinam gradus speciatione re Nat. sint prohibiti. Et sane quod *Plutarchus* citante *Grotio*, & eum secutus *Augustinus de Civitate DEI Lib. XV. c. 16.* de latius spargendis amicis per diffusas affinitates affert, valde infirmum argumentum est; Cum, uti recte judicat *Grotius*, quod minus utile, non statim sit illicitum; qua responsione dissolvi etiam potest argumentum illud, a similitudine arborum, desumptum, quæ tam fecundè propagari non videntur, si præcisi ab iis sulculis ipsi denuo, non arboribus aliis, inserantur. Illud tamen omnino arbitror satius esse, & socialitati valde conveniens, alienas sibi per matrimonium familiam arctius devincire. Quo respiciunt, quæ *Corystus* ad I. Corinth. XIII, 13. habet: τὴν ἀγάπην τὸ πλάττειν; τὴν περιττῶς ὑπόκειν ἀναλίσκεται εἰς αὐτὴν Φιλίας, εἰ ἦν δύνασαι εἰς ἑτέραν παρίσταναι Φιλίας ἀφαιρῆν ἐξωθεῖν γυναικα ἀγαγόν. *Quid in arctum compellat amoris laxitatem? Quid amicis causa superstitio*

mittis, per quam poteris aliam amicitiae paran-  
 e occasionem acquirere, extraneam ducendo uxo-  
 rem? Ex his igitur pluribus, ut diximus, ex Eru-  
 itis pronunciare placet, nullum evidens & adæqua-  
 tum universalis hujus in linea recta prohibitionis  
 fundamentum ostendi posse. Sed, fateor, ut eor-  
 um sententiæ, quod in aliis plerisque soleo, etiam  
 hoc argumento accederem, persuaderi mihi ha-  
 renus non potuit. Quid enim obstat, quo minus  
 pro generali fundamento ponamus *reverentiam*  
*signem*, quam ob generationis beneficium ascen-  
 dentibus descendentes in infinitum debent, quæ ita  
 ne magna & excellens est, ut stare cum societate  
 matrimonii non possit. Quamvis enim ob con-  
 sensum Confociationis uxor etiam marito, tanquam  
 domino, reverentiam debeat; hæc tamen cum illa  
 utriusquam comparari potest, cum ex longe dispa-  
 rantur fonte. Omnis enim, ut supra vidimus,  
 reverentia, quæ maritis ab uxoribus debetur, a pa-  
 tro ortum ducit, quo mediante foemina fit familiæ,  
 cuius maritus est caput, portio; & mensura hu-  
 jus reverentiæ sunt onera matrimonialia, quæ a ma-  
 ro feruntur; Quod si jam ex altera parte confi-  
 remus reverentiam, quam geniti generantibus  
 debent, quanta, quæso, differentia se hic ostendit?  
 Quæ enim summa eorum, quæ ab hominibus pro-  
 sci queunt, beneficiorum quasi sit, mediante  
 incursu Divino alicui existentiam & essentiam tar-  
 ti; hinc summa erit & maxima, quam liberi  
 parentibus debent, reverentia. Qui vero ea stare

queat, cum uxoris, vel etiam mariti, nomine? cum  
 & uxorem parere marito, & hunc eam humaniter  
 habere, tanquam sociam, Jus Naturale velit. Fre-  
 stra objicitur, quod pater filiam matrimonio sibi  
 conjungens relaxet quasi arctius illud vinculum,  
 quo eam prius sibi obstrictam habuit. Neque e-  
 nim hoc vinculum ab ipsa natura constitutum vo-  
 luntas paterna dissolvere potest aut rumpere. De  
 matrimonio autem inter filium & matrem res ma-  
 to adhuc magis expedita; in hoc enim oriri potest  
 inextricabilis pugna officiorum utriusque con-  
 jgis; quod ita ostendo. Suppono, Liberos debere  
 parentibus reverentiam, saltem catenus, ut in acti-  
 bus, in suum præjudiciam non tendentibus, par-  
 tum voluntati se subjiciant. Præterea uxor vi pe-  
 cti consociationis sese obligare censetur, ut, cum in  
 aliis, tum illis præcipue actibus, unde nullum ip-  
 sè damnus metuendum est, sese ad mariti Volun-  
 tem accommodare velit. Jam pono casum, que-  
 lis evenire potest, esse nimirum servum in fami-  
 lia, quem, exacto conductionis tempore, remota  
 ab officio velit mater uxor, retinere autem cupit  
 maritus filius; Mater cedere non vult; urget pater  
 maritus; quis litis hujus finis? qui ea decidat?  
 Hinc recte *Socrates* apud *Xenoph. Lib. 4. mem.*  
*Hæc Lex, inquit, in natura a Diis est condita, &*  
*nec parentes liberis, nec liberi parentibus jungun-*  
*tur; quo & vulgatum illud, sed verum tamen, p-*  
*radoxum pertinet: Si Adam & Eva viverent, non*  
*invenirent in posteris, cum quibus matrimonium*  
con-

contraherent. Et majus adhuc robur huic argu-  
 mento accedet, si jungatur cum pudore natu-  
 rali, qui in gignentibus & genitis deprehenditur,  
 utique post lapsum; ubi cum pudenda libidine a-  
 ctus generationis est conjunctus; unde eleganter  
 Augustinus de Civit. DEI Lib. XV. c. 16. Nescio,  
 ut, quomodo uest humana verecundia quiddam  
 naturale & laudabile, ut, cui debeat causa propin-  
 quitatis verecundiam, ab ea absteineat, quamvis  
 generationem, tamen libidinem, de qua videmus  
 rubescere ipsam pudicitiam conjugalem. Prae-  
 lare etiam de hoc Philo de speciali L. L. edisserit,  
 tam esse ait, Μέγιστον ἀνοσιβρήμα, πατρός εὐνήν  
 καταλυτικῆς, ἢν ἄφραυτον ὡς ἱεράν ἔχρην Φι-  
 λάτρεσθαι, καταρχύνειν, γήρως δὲ καὶ μητρός αἰδῶ  
 καὶ λαμβάνειν τὸν αὐτὸν τῆς αὐτῆς υἱὸν καὶ ἀνδρα  
 γένεσθαι, καὶ πάλιν τὴν αὐτὴν νῦν μητέρα, γυ-  
 αῖκα. Summum nefas, defuncti patris cubile,  
 mod, tanquam res sacra, intactum fini oportuit,  
 contaminare, neque senectutis, neque materni no-  
 minis, verecundia tangi; eundem ejusdem esse fili-  
 um & matrem, eandem ejusdem matrem & uxo-  
 rem. Inde etiam Paulus Ictus contra pudorem,  
 it, naturalem esse, filiam uxorem ducere. Et  
 pud Ovid. ita Mirrb.

Nec quod confundas & jura & nomina  
 sentis?

Tunc eris & matris pellex & adultera Pa-  
 tris?

Tunc Soror nam, genitrixque vocabere  
 Fratris?



*Theodoretus Q. 24. in Levit.* tales concubitus ponit inter ea, quæ unanimi consensu homines cruciantur; adeo ut nonnullos querere ibidem faciat, cur prohibuerit DEUS ea, quæ nunquam contingere soleant? Sed contigit hoc, proh dolor! Apud Persas sane olim consuevisse parentes liberi se miscere, accepimus. Unde hoc nomine in ipsos acriter invehitur *Philo de Special. LL. & sub finem hæc, citante Pufend. VI. §. 52. addit: Quod nihil excogitari potest magis impium, conspuere defuncti parentis thalamum, cui maxima debetur Religio, matri exhibere nullam reverentiam, filium eundem & maritum fieri, matrem & uxoris nomen assumere, communes liberos patris quidem, fratres matris nepotes censer.* Et que hoc ita in linea recta obtinet. In limite autem transverso, quod nuptiarum prohibitionem concernit, merito distinguimus inter Jus Naturæ & positivum. Illo enim, naturali minime jus nullus in collateralis linea gradus prohibitus. Quævis haud paucos secus existimare sciam, sed non solida ratione nituntur; quod vel ex hoc solo facte evidenter liquet, quod sub initium generis humani etiam in primo lineæ collateralis gradu matrimonium fuerit necessario initum; quod fieri non potuisset, ne quidem per dispensationem Divinam, nisi secundum Jus Nat. tales conjunctiones in numero indifferentium forent, utut aliquantam ad alteram moralitatis partem inclinantes. Unde potest quodammodo liquere potest, quid sentiendum est

orum opinione sit, qui statuunt, dispositionem, quæ habetur *Levit. XIIII.* esse Juris Divini universalis moralis, seu eandem graduum prohibitionem, quæ ibi traditur, etiam J.N. obtinere, quod concedi potest per ea, quæ diximus, nullo sane modo potest. Quicumque enim in transverso limite gradus citato loco prohibentur, neutiquam Jur. Nat. repugnant, nisi genus humanum per plures incestus multiplicatum absurde & impie velis asserere. vid. *Alberti Compend. Jur. N. Orthod. P. II. c. X. §. 14.* Neque solido fundamento nititur, quam hic nonnulli afferunt, distinctio, inter *Jus N. primæum & secundarium*; nullam enim, quæ distinctionem hanc roborat, rationem video; & si qua esset, in utriusque objecto haud dubie quærenda esset; nullum autem tale discrimen hic locum invenite, non evinco. Aut Objectum Juris Naturæ, quod vocant, secundarii sunt res necessariae seu morales, si res quæ, præciso omni ad Legem intuitu, convenientiam vel inconvenientiam cum creatura rationali involvunt, aut indifferentes sunt; si hoc, impetro, quod volo; sin autem prius, unum idemque erit Jur. Nat. primævi & secundarii objectum, adeoque citra necessitatem distinguntur. Vanum est, quod ex aliorum mente objeceris, differre hæc duo in eo, quod actionum, quæ Juris Nat. primævi objectum constituunt, moralitas sub initium statim generis humani plenum vigorem obtinuerit, cum contra moralitas earum actionum, circa quas Jur. Nat. secundarium versetur, demum se post mul-

tiplicatum genus humanum exierit. Quaslo enim  
 te, quo tempore, aut in quibus primum se exer-  
 re coepit, hæc, quam dicis, moralitas? An ergo  
 actiones eadem primis temporibus, cum multipli-  
 candus esset mundus, indifferentes erant? Quomo-  
 do vero postmodum sine nova Lege aut dispositio-  
 ne interveniente e numero indifferentium exorta  
 sunt? Quamobrem recte negat *Boeslerus Comment.*  
*ad Grot. L. II. c. 5. §. 13. Probatum adhuc est,*  
*humano generi aliam legem naturalem, quam il-*  
*lam mentibus (Et uniformiter quidem) inscriptam*  
*Et a Mose repetitam, DELLM de disse. Ex quo*  
*apparet, approbari illa Osiandri non posse, cum*  
*eandem Jur. Nat. in primævum & secundarium di-*  
*stinctionem implicate hunc in modum tractat: Pro-*  
*be distingvendum inter ea, qua sunt Juris Natu-*  
*ralis stricte sic dicti, cujus oppositum habet intrin-*  
*secam turpitudinem divinitus indispensabilem; Et*  
*inter ea, qua sunt Juris Nat. laxiori modo sic dic-*  
*ti; illa prohibitio graduum non est priori modo,*  
*Juris Naturalis, sed posteriori modo, Et consequen-*  
*ter humanicus quidem indispensabilis, omnes ho-*  
*mines obligantis, non tamen divinitus indispen-*  
*sabilis, aut absolute immutabilis. Est Juris Na-*  
*turalis non absoluti, sed hypothetici, quod regum*  
*supposita multiplicatione generis humani, de quo*  
*in libro primo. Est Juris Naturalis, non promul-*  
*gata per prima principia Et naturalia subsistit, sed ad*  
*moralem positionem se porrigit. Hypothetici-*  
*cum tale Jur. Nat. divinitus dispensabile agnosceret*

nullum possumus; quicquid enim ex convenien-  
 tia vel disconvenientia cum natura humana per Vo-  
 luntatem Divinam moralitatem nactum est, id so-  
 lum Juris Nat. est, & circa id DEUS dispensare non  
 potest. Et idem tamen *Observas. ad Gros. Lib. 11.  
 c. 5. th. 13.* ita scribit: *non probabile, datas illas Le-  
 ges, ut demum exercerent vim suam post multipli-  
 catum genus humanum, sed potius, si talis Lex fu-  
 isset data, increfcente multiplicatione, videretur  
 demum lata esse.* In sequentibus autem a se rur-  
 sus dissentit, & contrariæ sententiæ favet. Verba  
 enim ejus hæc sunt. *Aut si Adamo data, tamen  
 vim suam exeruisse, diffuso sanguine humani gene-  
 ris; cum in precedentibus, id non probabile esse,  
 pronunciasset.* Quamobrem dicendum potius vi-  
 detur, prohibitiones graduum in linea collateralis,  
 quæ extant Lev. XIII. quia Juris N. non sunt, ut  
 ostendimus, & omnes tamen in universum homi-  
 nes obligant, quod liquet ex Lev. XX. v. 22. 23. it.  
 c. XVIII. v. 24. 25. 27. propterea Juris Divini univer-  
 salis in specie talis, seu voluntarii, ut aliis loqui pla-  
 cet, esse, seu nuptias tales non nisi præcepto Divi-  
 nae Voluntatis in vetitum ivisse. Ais: Qui vero Gen-  
 tes, ob eas neglectas, excisæ & sedibus suis, c. l. di-  
 motæ sunt, cum eo tempore, quo eversæ sunt, non-  
 dum Lex prohibitiva extiterit; Lex autem non lata,  
 aut promulgata, nullam obligationem producere  
 apta sit? Verum respondeo negando, prohibiti-  
 onem istarum nuptiarum demum Lev. XVIII. fa-  
 ctam; quia potius a posteriori ex eo ipso, quod

ob talia matrimonia everte dicuntur gentes, antequam prohibitio Levit. XVIII. fieret, manifeste liquet, necessario jam ante olim a DEO Legem prohibitivam, & probabiliter quidem Patriarcharum tempore, propositam fuisse, quæ, mediante traditione, postmodum a posteris cognita, a multis attem gentibus violata est; quæ proinde hoc ipso gravissimi se peccati reas constituerunt. Dixi attem, Patriarcharum *probabiliter* tempore hoc voluntatis divinæ præceptum datum esse; neque enim id certo determinari potest. Hebræorum sane sententiam non probo, cum harum Legum aliquas v. gr. *ne fratribus Sorores misceantur*, censent ipsi Adamo datas esse, simul cum *Lege de DEO colendo, jure dicendo, non fundendo sanguine, non colendis Diis falsis, non rapienda re aliena*, ita tamen, ut Leges conjugales vim suam non exerceant, nisi post multiplicatum jam satis humanum genus, quod ipso initio sine fratrum & sororum nuptiis fieri nequiverit. vid. *Grot. de J. B. & P. L. II. c. V. §. 13. n. 5.* Neque enim probabile, DEUM promulgasse hominibus legem expresse, quam tamen nonnisi post aliquod intervallum obligare vellet. Et fuisset, ut supra diximus, incertum, in quibus præcise personis vim suam primum deberet exercere. Placent nobis potius Michaëlis Episcopi ad Quintum Nicomachiorum verba, quæ ex Capetano in Matth. c. XIX. adducta, vide apud *Gravium L. II. c. V. §. 13. n. 6. p. m. 465.* Τὸν ἀδελφῶν μίγνυσθαι τῇ ἀδελφῇ, ἐξ ἀρχῆς μὴ ἀναίφορον ἐστίν

νόμος δὲ τῆς ἐνότητος, μὴ μίγνυσθαι πολὺ τὸ διάφο-  
 ρον, *Fratrem cum sorore concumbere, ab initio res*  
*media erat. At lege adversus tales concubitus*  
*posita, multum refert, observetur lex, nec ne. Nec*  
*vero metuendum, quod veretur Alberti Compend.*  
*J. N. Orthod. Theol. conform. p. 11. c. X. §. 11. ne*  
*pudor naturalis, quo humaniores gentes post mul-*  
*tiplicatum genus humanum hujusmodi nuptias*  
*(fratrum imprimis cum sororibus) respuerunt, e-*  
*levetur, si a non naturali causa derivetur. Vi-*  
*detur enim ambiguitas latere in vocibus, natura-*  
*tis causa; vel enim per eam notatur naturae quae-*  
*dam inclinatio, & sic pudorem illum morationum*  
*gentium utique etiam nos causae naturali adscribitur*  
*mus; vel significat Juris Naturae, proprie sic dicti,*  
*praecipuum, & vi haecenus dictorum recte negatur,*  
*tale aliquod praecipuum pudoris illius in gentibus*  
*fontem esse, qui propterea tamen non elevatur, sed*  
*potius confirmatur, dum a Lege Divina positiva ro-*  
*bur accipit. Leve quoque est, quod ad evincen-*  
*dum, interdictis, quae habentur Levit. XVIII. a me-*  
*ro J. N. venire, eradicationem gentium, de qua c. l.*  
*urgent, quasi ea sit supplicium maledicti contra*  
*ipsum Jus terrae, & naturalem instinctum, peccan-*  
*tis. Vid. Ziegl. Not. ad Grot. 2. 11. c. V. §. 13. Quis*  
*enim poenam hanc ad eos solos, qui in Jus Naturae*  
*impingunt, restrinxit? Aut, qui non eos etiam e-*  
*vomuisse dici queat terra, qui in Legem positivam*  
*Divinam malitiose peccarunt? Sunt autem foeminae,*  
*cum quibus Jure Divino positivo universali ma-*  
*trimon*

trimonium est prohibitum, hæ: Mater, filia, so-  
 bor, avia, neptis, amita, matertera, noverca, so-  
 crus, uxor patris, uxor avunculi, uxor fratris,  
 soror uxoris, privigna, filia privigna, neptis pri-  
 vigne, nurus. Add. Pomer. ad Instit. Tit. X. L. l.  
 de Nupt. Ubi observandum, quod non personæ,  
 sed gradus respiciendi sunt, & sic prohibitum sit ma-  
 trimonium, v. gr. cum sororis filia, quia, jungi ma-  
 terteræ, quæ cum avunculo in eodem gradu con-  
 sistit, expresse sit vetitum. Ubi enim eadem ratio,  
 ibi eadem quoque Juris dispositio valere debet.  
 Improbanda igitur opinio Grotii, qui cum aliis  
 nonnullis statuit, L. II. c. 5. §. 14. vetitum non esse,  
 cum fratris filia conjungi; propterea, quod is gra-  
 dus non sit expressis verbis prohibitus, putatque,  
 rationem prohibitionis applicari congrue non posse.  
 Causam enim, cur matrimonium cum amita vetere  
 DEUS, videri fuisse, *ne familiaris ejusmodi perso-  
 narum conversatio stupris daret ansem, quod men-  
 endum non fuerit inter patruos & fratrum filia,*  
*utpote inter quas personas rarum fuisset connec-  
 tum, cum contra viri juvenes domos avorum &  
 aviarum assidue frequentare assuevissent.* Quan-  
 vis enim concurrisse (de quo tamen adhuc dubitan-  
 ticet) hanc rationem largiamur, neutiquam tamen  
 pro principali, multo minus pro unica, & soluta  
 haberi potest; Sed præcipua haud dubie fuit nimis  
 propinquitas sanguinis, quæ facit, ut amita par-  
 tis quasi locum obtineat. Quod idem cum & in  
 patruo eadem plane ratione dependatur, cum eo  
 quo-

quoque nuptias esse vetitas, recte diximus. Et mirari hic subit *Gronovium*, qui *matrimonium inter amitam, & fratris filium, esse tanquam inter matrem, & filium, matrimonium autem inter patruum, & fratris filiam, velut inter fratrem & sororem esse*, contendit; quæ assertio nullo sane fundamento nititur, cum patruus, intuitu fratris filie, non secus rationem patris obtineat, atque amita, respectu fratris filii, rationem matris. Videtur autem in hunc errorem delapsus, dum priori casu pro una personâ habuit patrem & amitam, ceu fratrem & sororem; posteriori autem patrem & filium. In eo etiam *Hugo Grotius* gravissimum errat errorem, quod *L. II. c. 5. §. 14. n. 1. statuit, nonnisi illud voluntatis divina præceptum, quod prohibet matrimonium inter fratres & sorores, propriis tale esse, seu vim legi obtinere; Cætera autem non tam præcepta & Leges esse, quam cautionem solum continere. Impia & periculosa sententia, & profecto, si verum amas, in perniciosam honestatis nata! Ita enim saltem Principes, qui nulli Legi Civili parent, licentiam sibi in illos gradus sument, quibus tamen hac in parte non secus, atque privatis, obsequii gloria relicta est; uti recte judicat *Kulpis. Coll. Grot. Exerc. 4. §. 6.* Quid vero? Annon ubique DEUS pari severitate prohibet? Annon in transgressores par ubique iræ Divinæ fervor? Audi, quæ præcedunt prohibitiones illas & quæ sequuntur, & sedulo attende! *Ego, inquit sub initium, sum Dominus DEUS vester; juxta consue-**



consuetudinem Egypti, in qua habitastis, non facietis &c. Item: Sed observabitis meas; Quicumque enim hominum (adverte ad generalitatem) eas servat, per eas vivet. Ego enim sum Dominus. Sucedunt postmodum prohibitiones, quæ excipit denique sanctio generalis, & invariato sensu, aliis aliisque verbis, concepta: *Ne polluamini in omnibus his*, (nota generalitatem, & crudelce) *quibus contaminata sunt universæ gentes, &c: Non facietis ex omnibus abominationibus istis. Omnis anima, quæ fecerit de his abominationibus quippiam, peribit.* Quare pudeat Grotium; locutiones tam manifeste generales, & toties expresse repetitas, restringere non nisi ad aliqua prohibitionis capita. Unum est, quod sententiæ suæ querit præsidium; nempe, quod eodem capite matrimonium simultaneum cum duabus sororibus sit vetitum; Cum tamen Jacobi, sanctissimi Viri, exemplum satis ostendat, non adeo grave illud peccatum inferre. Neque enim per hoc Jacobi exemplum id evinci potest, cum eo casu dispensatio divina haud dubie intervenerit, vel error aliquis condonatus ipsi, fide in Christum, uti vult Gerhard. *Loc. de Conjugio, pag. 456. & Ziegl. Not. in Grot. L. 2. c. V. §. 11. Seld. L. V. c. 9. Baxtorf. de Sponsal. p. 1. §. 19. Canones, quos Grotius de J. & S. P. pag. 468. in testimonium arcessit, Apostaticeos, quos vocant, supposititios esse, oculatiorem jam dudum omnes confessi sunt. Dictum est, prohiberi, uxoris sororem duci. Quod si capiat de*

conjugio simultaneo, res est extra dubium, ob expressa verba, in *Levit. XVIII. v. 18.* Gravior autem est quaestio, & nostris praesertim temporibus acerrime agitata: *An liceat ducere uxoris suae defunctae sororem?* Ratio negandi, quod *ib. v. 16.* expresse vetitum, ducere demortui sui fratris uxorem. Ratio autem affirmandi est, quod *v. 18.* prohibitio expresse eum in casum restricta videatur, quo uxor adhuc vivit. Atque hanc affirmativam publico scripto defendit *Christophor. Bucholtz*, in Academia Rintelensi olim Pand. Prof. quod inscripsit: *De matrimonio principis cum defunctae uxoris sorore contracto, Responsum Juris.* Refutavit eum *Hagemannus* Theol. sed is se denuo defendit, & tertia etiam vice contra *Aegidium Strauchium* Prof. Witteberg. ipsum in eodem argumento oppugnantem. Sed negativa verior omnino est. Prohibitio enim, quae *v. 16.* habetur, etiam ad hunc casum haud dubie applicanda est, ob paritatem gradus, & rationis omnimodam identitatem. Unde est, quod & *Facultas Theol. Jenens.* adversus *Jadæum*, nomine *Nathan*, pronunciavit, qui, mortua uxore sororem ejus matrimonio sibi junxerat. Vid. *Ossander Observat. ad Grot. L. II. c. 5. tb. 14. §. 1. p. 180.* Adde *Dedekenn. Consil. Theol. Vol. 3. Sect. 2. T. 2. n. 6. 9. seqq.* Idem argumentum jam ante *Bucholtz* tempora ventilavit *Hoffmann.* Theolog. Helmstadiensis, cum *Heshusio*, Superintendente, & Ministerio *Hildesienfi*; *Ziegl. Not. in Grot. pag. 281. conf. Phil. Matthaei ad L. 144. de R. L. n.*

14. Ubi & illud notare licet, non approbarem  
 quæ *Simon ad Gros. L. II. c. V. §. 14. n. 4. Notare*  
*vere vinculum matrimonii*, annotavit, *confirma-*  
*te. a memoratis scriptoribus questionem: Utrum*  
*Princeps, salva conscientia sua, tale matrimo-*  
*nium contrahere possit, cum illa: Utrum Princip*  
*in tali matrimonio, de facto contracto, salva*  
*scientia, persistere possit?* Has enim quæstiones  
 subordinatis habemus. Quod si enim evictus  
 Principem Jure Divino prohiberi tale matrimo-  
 nium inire, simul illud largiendum erit, de facti  
 contractum rescindendum esse, utpote quod in  
 sequenti §. ostendemus, in omni prohibitione  
 quæ habetur *Lev. XVIII.* obtinet. Et hæc de  
 de prohibitionem Divina sufficient.

§. XI. In quibus gradibus matrimonium  
 re Naturæ & Divino universali sit prohibitum, &  
 dictis constat. Expedienda autem jam est quæstio  
*Si contra prohibitionem Juris Naturæ, vel Divini*  
*persona vetita nuptias de facto celebraverim, &*  
*erum matrimonium irritum dicendum sit, &*  
*subsistat?* Ubi multi non simpliciter responde-  
 audent, sed graduum distinctionem adhibent, ut  
 ter fratres & sorores, vel personas, quæ sunt ab  
 nea recta, initum matrimonium nullum fit, ob  
 nalis arctum, quo eas natura ligat, vinculum, con-  
 ris autem casibus vires habeat. Item pro validi-  
 tate omnis matrimonii, ubi parentalis tantum  
 spectus concurrat, pugnat *Carpz. L. II. c. l. 99.* Se-  
 cundum Canones certe Apostolicos, quorum supra  
 mem-

et, ut seminum, qui cum duabus sororibus matrimo-  
 nium inierit, aut duxerit fratris filiam, salvo matri-  
 monio, non nisi a clero arceatur. *Grot. L. II. c. V.*  
*§. 14. n. 4.* Sed nobis, nec sine ratione, contraria  
 sententia magis arridet. Nitimur regula, quam  
 nullo adhuc argumento labefactatam vidimus:  
*Actus contra Legem susceptus regulariter est nul-*  
*lus.* Dico *regulariter.* Aliud enim obtinet, si  
 Lex in casum violationis sui poenam adjecerit. Ta-  
 lis enim sanctio validitatem ipsius actus indicat;  
 hanc illo etiam casu obtinet, cum Lex proponit re-  
 medium, quo ex postfacto actus rescindi queat,  
 tale in Jure Civili illud est, quod ad rescinden-  
 dum contractum emtionis venditionis ab initio va-  
 dum ob factam ultra dimidium laesionem datur,  
*Id. L. 2. C. de Rescind. vendit.* Prioris casus e-  
 xemplum suppeditare potest foemina intra annum  
 actus nubens, quae contra Legem quidem facit,  
 validum tamen matrimonium contrahit, nisi quod  
 infami am aliasque poenas incurrat. Vide *L. 1. C. de*  
*Ec. nupt. Conf. Ziegl. Not. ad Grot. L. II. cap. V.*  
*§. 16.* & ipsum *Grotium cit. l.* Qua regula posita,  
 non dubito asserere, omne matrimonium, contra  
 prohibitionem Juris Naturalis & Divini *Levit. XIX.*  
*§. 10.* situm, esse nullum. Nec obst. quod eadem pro-  
 hibitiones sibi adjunctam poenam habeant. Nam  
*x totius Cap.* contextu liquet, adjectionem poe-  
 nae & comminationem non propterea factam, ut  
*elictam* quasi exhaurire deberet morali aestimatio-  
 e poena, sed ut atrocitas illorum criminum, divi-

Y naque

naque eorum detestatio eo liquidius & certius appareret, quod quo magis credam, ipsa supplicii in eum casum dictati magnitudo facit. Excisio enim & everio, quam DEUS indicat, continuam, que in tali matrimonio contingit, sceleris reiterationem, & proinde in DEO displicentiam significat. Et sane manifestum puto, in nullum crimen, quod successivum est, capitalem statui posse poenam, nisi illum actum invalidum Lex prohibitiva vel expresse velit, vel saltem tacite. Argumenta, quibus hæ contrariæ sententiæ defensores utuntur, nuperius erudite resolvit *Beyerus Dissert. Jurid. de Dissertatione circa matrimonium intra gradus consanguinitatis & affinitatis prohibitos*, §. 60. & 61. *Conf. Ziegl. Not. ad Grot. L. II. c. V. §. 14. & 4. Havemannus Gamolog. Synops. L. 2. tit. §. pos. 9. & 10. Brunemann. de Jure Eccles. L. 2. c. 16. §. 67.*

§. XII. Neque vero sufficit, consanguinitatem aut affinitatem nuptiis nullum obicem potest, sed præterea subjecti societatis conjugalis habitus iusta ætate metienda est. Certum autem ætatem, vel tempus, quo matrimonium inire licet, J. N. non determinat, sed id metiri ex fine conjugii primario jubet. Quodcumque ergo generandi se facultas exerere incipit, a natura quasi capax matrimonii quis declaratur. Unde J. N. non animorum solummodo, sed etiam habitus corporum rationem omnino vult haberi. Quod & apud Romanos observatum. *pr. I. Quibus mod. int. fa.*  
 Coss.

Conf. *Aristot. L. 5. Hist. Anim. 14.* At enim hic  
 modus impudicus Imperatori *Justiniano* visus; un-  
 de statuit, ut mas expleto anno 14. pro pubere;  
 femina anno 12. exacto pro viripotente haberetur.  
 Unde dicuntur a *JCtis*, qui infra hos annos  
 sunt, *impediri*, quæ minus matrimonium contra-  
 hant. Vid. *Syst. Jur.* Neque tamen statim, cum  
 facultas generandi adest, societas hæc ineunda; sed  
 alevior judicii maturitas, quæ negotiis administran-  
 tis, familiarique regendæ par sit, eamque honeste su-  
 berstandi facultas expectanda. Conf. *Carpzov.*  
*Jurisprud. Conf. L. 2. d. 12. n. 18. seqq.* Atque  
 hinc non inepta est distinctio, *inter pubertatem, &*  
*abilem ad matrimonium ætatem*, cujus initium ta-  
 men nimis longe & remote ab *Aristotele* ponitur.  
 Quæri solet: *An elambis senex cum vegeta puella*  
*matrimonium inire queat?* Et affirmandum o-  
 mnino est. Nam nec certum, conjugii finem prin-  
 cipalem hic deficere, & eo deficiente, fortasse ta-  
 men alter, mutuum nimirum adjutorium, locum  
 habet. Quamvis, si nimis effectæ ætatis sint, qui  
 cohabitationem cum vix pubere puella affectant,  
 quadrat in eos illud *Quintiliani*: *Est quadam &*  
*subendi impudicitia; &* in *decl. 2. Senem*  
*maritum genus infirmissima servitutis vocat;* Et,  
 quia in tam diversa ætate multum etiam, utriusque  
 generandi facultas discrepat, inde plerumque lites-  
 enter conjuges nasci solent. Conf. *Arist. 7. Polit.*  
*. 6.* Idem ob rationis paritatem de conjugio *ve-*  
*ula cum asacri juvene* pronuntiandum est. Sed:

quid de *Senis cum vetula* matrimonio dicendum est? An repugnabit Juri Nat.? Id vero vel propterea dici non potest, quod generandi facultate non semper, neque simpliciter dici queunt destituti proVectæ ætatis homines. Finitis autem minus principalis, mutuum nimirum adjutorium, inter personam paræ ætatis, utut senes, suaviter exerceri potest; & talia matrimonia honoraria dici posse videntur. *Pufendorfius d. J. N. & G., L. VI. C. 1. §. 25.* Ob defectum facultatis generandi absolutum meretoria iam castrata matrimonio arcentur, utpote quorum impotentia perpetua est, & incurabilis, & experientia docet, in consuetudine conjugali plus ipsos veneris stimulos incendi, quam sedare; quod placido jungendorum commercio repugnat, & variarum itidem litium origo est. Aliud dicendum de Spadonibus, quibus ob spem recuperandæ generandi virtutis matrimonium contrahere, integrum omnino est. *Conf. Stryk. ad Brunnem. Jus Eccl. L. 2. c. 17. §. 2.*

§. XIII. Competit autem ex Jure Naturæ cuique libertas matrimonium ubicunque ambire & contrahendi; sed obvenire justæ ratione queunt, ob quas a Jure Civili libertas hæc restringatur. Ita, ne illustribus familiis paulatim splendendor detrahatur, cum plebejis & vilioribus matrimonium interdici potest. Cum exteris etiam conjugium sæpenter prohibetur, & quidem vel hæc modo, ut non permittatur, feminam externam uxorem ducere, ne nostris, quarum magna copia  
nubet

subendi conditio pereat, aut saltem difficilis red-  
 datur; vel ut maritum peregrinum querere inter-  
 dicatur, ne cum affectu opes regionis nostræ ad ali-  
 os devolvantur. Interdum etiam permittitur qui-  
 tem tale matrimonium, sed certis effectibus civili-  
 bus carere jubetur. Quæritur autem: *An ita cir-  
 umscripti libertas hac possit, ut cætui alterutrius  
 exus, vel expulso, vel ampliores sedes sibi libere  
 parenti, matrimonium a certo populo cum ipsius  
 vel feminis vel viris interdici queat?* Ut si virorum  
 vel Amazonum populus certo loco consedisset, vi-  
 vorumque conjugium ambiret? Distingvendum  
 ero hic omnino puto, an aliunde matrimonium  
 impetrare possit, an vero ab hac spe omnino ex-  
 clusus sit? Priori casu, interveniente earum causa-  
 rum, quas supra indicavimus, aliqua, vel justa alia,  
 negari matrimonium potest; Cum ex affectu &  
 intuitu amicitia regulariter iniri debeat. Postero-  
 rum autem verius existimem, arceri ipsum ab hac li-  
 bertate non posse. Cogeret enim sic una gens al-  
 teram in coelibatu vivere, h. e. naturæ adversari. Is  
 enim plerorumque hominum naturæ repugnat,  
*rot. de J. B. & P. L. II. cap. II. §. 21. &*, cum vi-  
 tis sunt integræ, non nisi excellentibus animabus con-  
 sistent. *Pufend. d. J. N. & G. L. III. c. III. §. 13.*  
 379. Qui autem alterum adigit, ut vim naturæ  
 inferat, is in Jus Naturæ utique manifeste pugnat.  
 Nec efficit quicquam, quod consuetudo conjuga-  
 tis ex amicitia & affectu proficisci debeat. Id enim  
 ordinariè & regulariter, cum mariti vel uxores



aliunde haberi queunt. At enim aliud hoc nostro casu supponimus. Et profecto insigne crudelitatis atque invidiæ specimen foret, mediante tali prohibitione efficere, ut brevi tempore integer populus extingvatur. Quid vero, si conjugium de facto denegetur? Si interposita querela nihil proficiat; licebit jus hoc bello vindicare. Neque hic ad ejus justitiam cum *Pufendorffio* requirimus, et contumelia repulsæ adjecta fuerit, sed sola matrimonii denegatio facit per se, ob rationes ante expofitas, licitum hoc bellum. Neque in hoc necessitatis casu intereſt, velint ultro, an nolint, feminae illis viris & vice versa conjugii; Salus enim Reipublicæ non patitur, ex solo affectu semper matrimonia contrahi, sed utilitatis etiam communis sapienter rationem haberi desiderat. Conf. *Racl. ad Grm. l. II. c. II. §. 21.*

§. XIV. Forma, quæ conjugio essentialis legitur, est consensus matrimonialis mutuus. Quæ primam ergo mas. & femina in individuum adptorium, cum voto procreandi liberos conjunctum, consenserant, matrimonium plene constitutum est. Corporum igitur conjunctio, ad prolem directa, non est matrimonii essentialis, sed illud constitutum sequitur; quamvis in ipso consensu potentialiter requiratur, cum perpetuæ castitatis votum substantia conjugii repugnet. Conf. *Selden. d. J. N. & G. juris disciplinam Ebraeorum. l. c. 1. 2. 3.* Quo potest etiam tritum illud Jctorum, quod habetur in *L. 3. ff. L. 15. ff. de Condit. & demonstr. & L. 30. ff.*

*De R. 7. Consensus, non concubitus, facit matrimonium.* Quod axioma dum falsitatis quodammodo arguere conatur *Pufendorf. d. 7. N. & G. L. VI. cap. I. §. 14.* confundere videtur *essentiam & substantiam matrimonii* cum ejusdem *perfecti-  
one & completionem*, ad quam utique requiritur, quemadmodum ipse censet, ut foemina ita in manus viri convenerit, ut cum ea corpore etiam conjugungi possit. Falsum interim, ab hac foeminae sub-  
potestate viri constitutione dependere mariti & uxoris appellationem, utpote quae potius essentiae matrimonii constitutae adheret. Nec mentem memorati axiomatis adaequate proponere. Idem videtur, cum duplicem ejus sensum affert. Primum, *quod non statim, qui inter se conspexerunt, conjuges sint, nisi in matrimonium consenserint;* alterum, *quod statim, atque utrinque consensum fuerit, contractus matrimonialis perfectus censeatur, etiam ante concubitum.* Datur enim sane tertius sensus, quem ipsa etiam verba innuunt, nempe, quod solus consensus absque concubitu faciat, h. e. constituat & absolvat matrimonii essentiam; Qui quidem etiam priorem *Pufendorffii*, neutiquam autem posteriorem, infert, nisi perfectionem quoad substantiam indiget, ad quam vero postmodum non requirimus constitutionem foeminae sub potestate mariti, quod tamen ipse facit. Atque hinc dubitandum non esse existimo, quin adultera vocari possit, quae constituto inter ipsam & absentem; virum matrimonio, concubitum, priusquam

deduceretur domum, cum tertio celebravit. In  
 & Isaac uxor *Rebecca* fuit, quamprimum mutui  
 consensus ipsos, utut absentes, copulaverat. *Gen.*  
*XXV.* non secus atque *Sara*, *Tobia junioris* uxor,  
 primo etiam trinoctio fuit. *Tob. VI. v. 19.* Apud  
 Ebraeos olim, antequam Lex Mosaica ferretur,  
 matrimonium sine corporali conjunctione non sub-  
 sistebat, quod Lege forensi deinde sublatum est, re-  
 que ad rationem Jur. Nat. reducta. *Deuteron. XXII.*  
*23. 24.* Add. *Seld. d. 7. N. & G. L. V. c. 4.* Præter-  
 ea nihil interest, quomodocunque exprimatür con-  
 sensus, seu verbis expressis, seu signis, modo hæc  
 liquido, non obscure mentem significant. Atque  
 propterea muti & surdi a matrimoniis contrahendi  
 regulariter arcendi non sunt.

§. XV. Dum contractus matrimonialis for-  
 male constituimus consensum, apparet, intervenien-  
 te illud errore vitari, atque nullum reddi. Error  
 enim glaucoma quasi objicit intellectui, quo impe-  
 ditur, quo minus rem, uti est, voluntati repræsen-  
 tet, & hinc, decepta voluntas revera non conser-  
 tiat. Neque vero hæc laxè nimis aut indistinctè  
 capiendâ. Non enim, quivis error conjugium ir-  
 ritum reddit, sed is solus, qui committitur circa  
 le objectum, cui directo superstructus consensus  
 est. Talis error est, qui committitur circa potes-  
 nam, vel circa qualitates, quæ essentiam matrimo-  
 nii quodammodo, concernunt, e. g. generandi fa-  
 cultatem. An & virginittis defectus in ea, quæ  
 virginem se venditabat, irritum conjugium reddat?

Dubis

Dubio res caret. Evidens enim est, cum ad matrimonium usque illibata virginitas durare debeat, in ejus tacita conditione contrahentis viri consensum radicari, ita ut eam ab alio violatam sub initium statim videatur nolle. Deficiente igitur præsupposita hac conditione, contractus matrimonialis nullitas apparet. Quod tamen ita capiendum, nisi scilicet concubuerit, aut alia ratione animum de condonanda hac culpa declaraverit. Eo enim casu contractus per se nullus ob ratihabitionem talem velut ex postfacto conualescit. Frustranea autem hac quaestio apud eas gentes est, quibus virginitatis flos non in tanto est, quanto apud nos, pretio, quarum catalogum contexit *Pufend. de J. N. & G. L. Vl. c. 1. §. 26. p. 882.* Quid vero, si appareat, viro non constituisse pudorem integrum ante initum matrimoniale foedus? An is defectus eundem producet nullitatis effectum? Ego censeo. Par enim est utriusque personæ ante matrimonium obligatio ad virginitatem, & de ea contractum matrimonialem ineuntes tacite reciprocam invicem sibi dant fidem; pariter ergo etiam conditione hac deficiente, nullitate contractus laborabit. Si quis pacto connubiali conditionem certæ dotis inferendæ apponat, eoque se nisi sub ista conditione matrimonium haud initurum declaret, pari ratione non obligabitur, non impleta conditione illa, cum in ejus existentiam consensum conjugalem contulerit atque suspendarit. Quod secus est, si eo tempore, quo matrimonialem consensum interponit, existi-

met, foeminam divitiis abundare, postea artem hanc ipsi spes, decollet. Credulæ enim facilitati suæ imputet, quod non diligentius antea in veritatem inquisivit. Id autem debebat facere propterea, quod de locuplete dote fidem non censetur dare fornicaria, nec ipse de conditione tali contra communem consuetudinem cogitare præsumitur. Idem etiam dicendum, si expresserit quidem conditionem de certa dote inferenda, sed, antequam de ea ipsi satis cautum sit, matrimonium consummet. Tum enim, quamvis spem suam se fefellisse deprehendat, tamen repudiare uxorem, quam semel duxit, propterea non potest, quod in casum deficientis conditionis non de ea repudianda, sed non ducenda egit. Conf. *Pufend. d. J. N. & G. d. l.* Nec videtur matrimonium errore circa nomen, formam, aut qualitates tales alias commissio. Nam si tunc hæc ipsi fuerant, ut eorum conditioni superstruere consensum matrimonialem vellet, differre eum debebat usque eo, donec de eorum veritate satis ipse constitisset. Cæterum Jure Civili libera hic circumstantiarum atque certarum solemnitatum determinatio est relicta; potestque illud, clausula prædicto matrimoniali adjectis, vim suspendendi constitutionem conjugii adimere. De metu quaeritur, an, si is causam matrimonio dederit, ejus virtus vertat? Nego; Nam metus electionem, ac proinde consensum, non excludit, ut ad validitatem conjugum consensum, omnino liberum, desiderare Jure Civile queat.

§. XVI. Effectus matrimonii est obligatio mariti & uxoris ad officia conjugalia, quae mutuo sibi invicem praestare debent. Atque haec jam supra a nobis explicata sunt.

§. XVII. Contrarium matrimonii est *divortium*. Est autem *divortium* nihil aliud, quam *vinculi conjugalis inter maritum & uxorem dissolutio*; quod quatenus J. N. permissum sit, magna est & intricata quaestio; ex qua, ut rite nos expediamus, pactorum, quae, cum matrimonium contrahitur, tacite interveniunt, ratio probe evolenda est. Duo autem pacta sunt, quae in quolibet conjugio a viro, & foemina, iniiri intelliguntur. Unum principale, & quod matrimonii constitutionem atque essentiam ingreditur; alterum secundarium, & quod objectum extra matrimonii essentiam positum agnoscit. Illud, principale nimirum pactum, concernit sobolis procreationem. Hunc enim finem primario conjugium respicit. Huius nos innatus nobis isque tam vehemens, societatis matrimonialis appetitus, admonet. Hoc autem, secundarium videlicet, pactum, versatur circa *syvum conversationem*, mutuumque *adjutorium*. Neque enim per se, directo ac principaliter, hoc intenditur per matrimonium, sed indirecte solum, quatenus nimirum fini principali subordinatur, seu *inservit*, ita, ut, si ille obtineri sine hoc secundario possit, huius absentia matrimonii existentiam haud tollat. Duo vero sunt prioris pacti capita; Unum, *ut corpora sibi invicem conjuges praebent ad generationem*

*nerationem peragenda*; alterum, *ut ne cum ab  
 is concumbant.* Utrumque læsum divortio præ-  
 stam causam præbet, quod & aliis pactis est propo-  
 sum, ut, iis ab una parte læsis, alteri parti a negotio re-  
 cedere liceat. Quod si igitur vel malitiose con-  
 gem deferat, vel sine justa causa sui copiam  
 non faciat, vel adulterium committat; alteri con-  
 jugi integrum ex J. N. est, rescisso contractu ma-  
 trimoniali, alii personæ se jungere. Et sane si  
 conjux conjugii cohabitare nolit, insignem ipsi  
 cit injuriam; dum eum cogit aliud appetere, qui  
 factio castitatis gloriam non teneret. Conf. *Græc.*  
*6. 33. quest. 5. c. 1. seqq. Joseph. Archæol. III. l. 6.*  
*quos præterea in hoc argumento citat Pufend.*  
*L. VI. c. 1. §. 21.* Quo etiam pertinent, quæ de sol-  
 ne debiti conjugalis, apud Judæos olim frequentata,  
 habet *Selden. de Uxore Ebræa, L. 3. c. 6. 7.* Re-  
 quiritur autem, ut hæc corporis denegatio malitio-  
 sa sit, & pertinax, non quæ a morbo, vel alia justâ  
 causa, proficiscatur. Casus enim talis, qui impo-  
 ri conjugii non potest, æquo animo ab altero fer-  
 dus, & nihilo secius tamen castitatis gloria stren-  
 honesta vita tuenda est. Adulterium autem  
 sit justa & legitima dissociandi conjugii causa, re-  
 quiritur, ut a volente, non invito, corporis copula  
 facta. Per nudam enim & speram corporis  
 ram, alteri invito concessam, conjugii non infer-  
 injuriam, utpote in ejus formali ratione animi  
 stinatio & voluntas involvitur. Sine injuria  
 tem intelligi non potest læsum jus apud alterum  
 conj-

CONJUGEM existens, ut adeo tali casu injuriam a  
 vim adhibente patiatur, non faciat marito. Confer.  
*Liv. L. 38. c. 24. Valer. Max. L. VI. c. 1. §. 2. inter  
 externa.*

§. XIX. Ex dictis etiam apparet, ob so-  
 lam sterilitatem altetius conjugis; cum quo ta-  
 men consuetudo conjugalis potest suscipi, dissolu-  
 tionem matrimonii fieri non posse. Primo enim  
 plerumque non recte constat, uter conjugum pro  
 sterili habendus sit. Deinde fecunditas a facto  
 humano non dependet, adeoque nec ab homine  
 praestanda est. Conf. *Gen. XXX. v. 2. & Pufend. L.  
 VI. c. 1. §. 21.* Quid vero, si plane ad copulam car-  
 nalem conjux non sit idoneus, ita ut nulla supersit  
 spes, cum ipso cohabitandi? Distingvendum hic e-  
 go puto, an id a morbo aliquo fontico, an vero  
 a naturali impedimento perpetuo, v. gr. membro-  
 rum genitalium dispositione, dependeat; Hoc casu  
 dubium non est, quin fieri divortium possit. Illo  
 autem disting. an hoc morbo conjux jam ante ma-  
 trimonium laborarit, alterque defectum hunc igno-  
 rans se ipsi sociaverit, & tum ob fraudem vitium  
 hoc silentis, & earentis adeo facultate pacto princi-  
 pali matrimonii satisfaciendi, recedere a matrimo-  
 nio pars altera omnino potest. Secus autem vide-  
 tur dicendum, si matrimonio morbus supervene-  
 rit. Tum enim, quod fortuito evenit, imputari  
 conjugi non potest; & proinde tales casus aequo a-  
 nimo ferri, & solatio ab altero conjuge adhibito le-  
 vari, pat. est; Cum de pacto principali laso rursus



conqueri non possit. Confer. *Paul. Zach quæst. Medicoleg. L. 3. qu. 6. n. 4. Kitzel. de Matrim. cap. 8. th. 7. Carpzov. Jurispr. Consistor. L. 2. def. 202.*

§. XIX. Quid vero, si violatum sit pactum alterum, quod secundarium diximus? Distingvendum puto, an cum læsione illa finis principalis matrimonii, sobolis procreatio, consistere quest, ut ne. Priori casu dissolvere matrimonium læsa pars non poterit, posteriori autem poterit. Uti enim rebellem, & emendationis impatientem, filium abdicare pater potest; ita etiam familia sua expellere uxorem, quæ contumacia sua, & in maritum odio, secundarium matrimoniale pactum malitiosè lædit, & ad standum conventis primariis inidoneam atque ineptam reddit. Sola autem morum importunitas atque sævitia sufficiens ad solvendum matrimoniale vinculum non est, sed illud efficit, ut consuetudinem quotidianam atque familiarem intermittere ad tempus, dum reliqua interim officia conjugalia continuantur, possint. Et plerumque est, quod sibi imputet, si antequam uxorem duceret, mores feminae non diligentius explorasset. Quavis ob hanc negligentiam non judicemus, tum pœna dignum, cum *Spartanis*, ut quorum *Lex*, memorante *Stobæo, serm. 65. nullam statuit primam non ducenti uxorem, alteram sero ducenti, tertiam & gravissimam illi, qui malam duxerit.*

§. XX. Diversus autem ab hisce abit *Puseud.*  
d. J.

— d. 7. N. & G. L. VI. c. 1. §. 22. negans, salvo pacto primario atque essentiali matrimonii, secundarium violari posse, propterea, quod non sit probabile ad hocce debitum (procreationem sobolis) sese sat commodam prabituram, cujus conversatio fuit intolerabilis, aut aliquem non penitus adversaturum corpus, in quo tam tetricus hospes stabulatur, cum nemo optet prolem tollere ex ea, quam odit. Atque hinc negat, duplex pactum in matrimonio subesse; & potius uno eodemque pacto, & de procreatione sobolis, & facili svavique consuetudine, conveniri; hæcque duo ita in se velut implicita esse, ut cum uno alterum quoque sibi abrumpi videatur. Nullum autem *Pufendorfus* assertionis hujus suæ rationem sufficientem affert. Utut enim facile largiar, probabile esse, non satis svavem futuram esse copulam cum ea, cujus mores alias difficiles & importuni sunt; tamen cum peragi nihilominus copula, adeoque liberorum procreatio obtineri, queat, certissimum est, deficere hic justam divortii causam. Voluptas enim & commoditas in producenda sobole ad essentialiam matrimonii non pertinet. Ex quo liquet, separationem conjugum quoad thorum & mensam, manente vinculo matrimoniali, fieri in perpetuum non posse; quia matrimonium sine morali facultate, corporibus ad sobolis procreationem utriusque utendi, intelligi non potest. Dixi autem notanter: *in perpetuum*. Nam ad modicum tempus, quod veluti sit resipiscendi & ad saniores mores redeundi spatium,

um, fori omnino potest. Neque enim ad quavis impotentem præcipitis animi impetum, ut consuetudinem conjugalem aliquantum impediat, conjugium continuo dissolvendum est, sed mitior via vulnere remedium quærendum. Atque hæc ad expediendam divortiorum materiam secundum Jus N. sufficient. Contra quæ objici quæ possunt, facili negotio discutiantur. Nimirum primo videtur conjugis consensu dissolvi posse, propterea, quod & per solam consensum constituitur; Nihil autem tam naturale, quam eodem genere quibus dissolvi, quo colligatum est. Vid. *L. 35. ff. d. R. J.* Id enim ad tale negotium non extendendum, quod arctissimam vitæ consuetudinem concernit, & quo recedendi promiscua licentia familiis & decori publ. est noxia. Conf. *Valer. Max. L. II. c. 1. §. 2.* Unde prudenter *Romulus*, post conditam urbem Romam, Lege cavet, ut matrimonium per coarsationem contractum perpetuum & indivisum esset; Id enim utrumque conjugem ad officium suum adigebat, quod uberius exequitur *Dion. Halicarn. L. II.* Nec est, quod ex natura societatis facilitatem solvendi matrimonii evincere poteris, quasi, quemadmodum socio, dummodo sine alterius præjudicio fiat, a societate recedere, quædocunque velit, licet, Vid. *L. 14. ff. pro soc.* ita etiam conjugibus integrum sit, a societate conjugum pro arbitrio recedere. Non enim bene hæc cohererent. Si enim id inferas, posse conjugem se ab altero invito separare, nexum desidero; cum sit

alteri

alterius, illius nempe partis, quæ renititur, præjudicio, suscipi separatio hæc non possit. Sini autem utriusque consensu dissolutionem fieri posse, existimas; non animadvertis, disparem, ut supra dixi, esse societatis matrimonialis ab aliis societatibus naturam, utpotè quæ divitiarum comparandarum gratia iniri solent; cum illa e contrario ad arctissimam vitæ consuetudinem & reciprocam corporum conjunctionem faciendam dirigatur, cujus denegante, ut diximus, promiscua licentia cum familiarum, tum Reipubl. etiam decorem convellit. Unde inter depravatorum Romanorum morum rationes recte *Pufendorfus d. J. N. & G. L. VI. c. 1. §. 20. pag. 869.* hæc præcipuo loco ponit, quod pro arbitrio fere, levi aut nulla de causa, divortium facere licuerit, quod, si utriusque consensu contingeret, bona gratia fieri dicebatur; De quo *Seneca de Benef. Lib. III. c. 6. Numquid jam ulla repudii habes sit; postquam illustres quadam atque nobilitate femina non consulum numero, sed maritorum, viros suos computant, & exeunt matrimonii causa, nubunt repudii.* Et idem Autor integritate barbarie Saracenorum hoc etiam recte nuntiat, quod uxores illis mercenaria conductæ ad tempus ex pacto; atque ut sit species matrimonii, deus nomine futura conjux tabernaculum offert marito, post statum diem, si id elegerit, discessura; ut habet *Amnian. Marcellin. Libr. XIX. c. 3. Eadem de Belgis in Japonia ex Bern. Varen. Japon. 13. Persis, ex Olear. Itiner. Pers. Libr. 5. cap. 22. &*

*Petro de Valle, Itin. part. 2. epist. 17. aliisque idem Pufend. l. c. memorat.*

§. XXI. Apparet autem ex dictis, quod ob memoratas causas non solum ἀποκομῆ, sed etiam ἀπόλειψις possit fieri, h. e. non solum maritus uxorem possit dimittere, sed etiam uxor marito discedere; ita enim vocabant Græci, vid. *Puf. loc. cit. §. 22.* Utrunque enim fidem conjugalem promittunt; & pari ratione pacta matrimonialia inveniunt; par itaque etiam utriusque erit conditio, & proinde easdem quoque utriusque divortium causas agnoscat. Recte *Plutarcho* in *Romulo* Lex illa dura audit, quæ marito licentiam concedit, uxorem repudiandi, non autem uxori potestatem derelinquendi maritum tribuit. Et *Esquius* *Andromach.* Idem jus habet vir & mulier injuria affecta a viro; sic etiam vir, cum habet in adibus uxorem impudicam. Et huic quidem viro magnum robur est in manibus. Huic vero mulieri in parentibus & amicis res sunt posita. *Gregorius Nazianzenus* ait: ὡς ἀπειτεῖς, ἢ ἀντιφίσεις; Quomodo exigit & non rependis? *Le Etant. Lib. Institut. XI. c. XXIII.* Non sola mulier adultera est, quæ habet alium; maritus autem etiam si plures habeat, a crimine adulterii solvens est. *Conf. Pufend. c. 1. Selden. de J. N. & G. L. & Charron. de la Sagesse L. 1. c. 46. n. 12.* Recte autem monet *Pufendorsius* memorato loco, quod cum in statu civitatis maritus vel uxor divortium suscipere cupit, non id privata, sed publica auctoritate,

titate, causa Judici denunciata, ejusque cognitioni & sententiæ relicta, facere debeat; nec sine ratione invalidum pronunciat argumentum, quod pro negativa *Bodin. de Rep. L. 1. c. 3.* adducit, quod nimirum hoc modo alterutrius conjugum æstimatio minuatur. Nam si intelligit conjugem, cujus culpa locum fecit divortio, jure diminutionem suæ factæ patitur; eamque incurrit, etiamsi, nulla prævia Judicis cognitione, separatio fieret. Sin autem sermo ipsi de parte læsa est; non capio, quomodo magis ipsius æstimatio lædatur, si, Magistratu causam divortii approbante, se a conjugē separet, quam si id suo arbitrato faciat; cum hoc casu de justitia causæ dubitari, conjugisque proinde divortium facientis fama magis periclitari possit.

§. XXII. Atque hæc circa divortia Jure Naturali ita obtinent. Unde manifestum est, concedi *Grotio* simpliciter non posse, quod asserit *de J. B. & P. L. 1. c. 11. §. VI. n. 3. Divortium tale quid non esse, ut absque Lege Divina nefas in eo appareret.* Falsum enim hoc esse, ea, quæ hæctenus disputavimus, satis ostendunt; cum Jus N. virum & fœminam, matrimonium ineuntes, in individua consuetudinem conspirare velit. Et sane, si quid adeo, *Grotius* proptio se gladio jugulat; fatetur nim, divortium ejusmodi quid esse, *ut, eo abstineat, honestius esse dicter ipsa ratio.* Opinor enim, vicquid honestum esse recta, h. e. Eegum Naturarum cognitione imbuta, ratio dicitat, id Juris Natura-

ralis esse. Nec erat, cur rem comparative, *beneficius*, exprimeret. Absurdum enim est, eorum, quæ sibi contrariantur, unum honestum, alterum honestius pronunciare.

§. XXIII. Similiter valde errarunt Judæi, dum nescio quam necessitatem sibi impositam fuerunt, ob sterilitatem dimittendi uxorem; quod hanc obscure indicat *Pbilo Jud. de Special. LL.* cum ita loquitur: *Qui puellas duxerunt incerti de futura fecunditate, si sterilitate tandem deprehensa, non eis renuntiant, & res suas sibi habere agere sinunt, merentur veniam, quia victi diuturnæ consuetudine amoreque mutuo non valeant vim inferre suis defectibus, impressis jamdudum in animo. Qui autem comperta sterilitatis expetunt ad conjugium suum hircorumque more quærentes solam uxorem, in impiorum album adscribantur, ut DEO repugnantes, cui hominum genitura cura est. Scilicet id naturæ matrimonii repugnat, quod Judæorum consuetudine maritus quidem habeat licentiam dimittendi uxorem; hæc autem ab ipso irrita divertere non possit; unico casu excepto, si quis nimirum calumniatus esset, se in primo congressu uxorem non invenisse virginem. Vid. *Pufend. h. J. N. & G. L. VI. c. 4. §. 23.* Ineptum profecto morem! Quid enim? Annon pactis, quæ matrimonio tacite insunt, æquale jus mutuo conjugibus in corpora quæsitum est? Ut taceam, lepidos homines nullum certum & infallibile virginis signum scire potuisse. His ergo, ita expostis, con-*

cludimus, nec additum, neque detractum quicquam in hoc argumento esse dispositioni Juris Nat. Lege Divina, pari modo in veteri & novo fœdere se exerente. Nec obstat, quod Christus passim in N. T. solum adulterium pro legitima dissolvendi matrimonium causa agnoscat. Cum enim de hoc argumento loquitur, semper eum supponit casum, quo constitutum & validum matrimonium conjux turbare possit; quo ipso tamen vinculum non inducit vel eo casu, quo non tam facit, quam patitur divortium conjux, v. gr. ab altero malitiose desertus, vel quo matrimonium per se defectus aliquis, ut ineptitudo ad copulam, vitiat.

§. XXV. Illud etiam firmum manet, solam horum perversitatem in conjuge & animorum introque disparitatem, justam divortii causam, uti non Jure Naturæ, quod supra ostendimus, ita nec Lege Divina esse; & proinde hodiernum eam ad dissolvendum matrimoniale vinculum neutiquam sufficere, utut quoad thorum & mensam salvo manente vinculo matrimoniali, separatio suscipi, circumstantiis ita ferentibus, possit. *Dedek. V. 3. Conf. L. 4. Sect. 2. p. 442. Reusn. L. 1. Consult. § 16. Carpz. Jurispr. Eccles. p. 2. d. 210. 215.*

§. XXVI. Igitur mirari subit grandem laborem, quem ad contrarium deducendum peculiari ætatu suscepit *Johannes Miltonus*; nisi fortasse, quod *Pufendorfius* suspicatur, domesticæ ipsam mittæ ad operam talem tam anxie navandam im-



pulerunt. In recensendis ejus præcipuis argumētis, quibus figmentum hoc suum tueri nititur, industrium se exhibet *Pufend. c. l. §. 24.* Quæ singula nos, id enim is, in plerisque generaliter quædam respondisse contentus, haud fecit, dissolvere conabimur. Primum itaque sententiæ suæ tanquam fundamentum subternit, *ex verbis injurii divinitus matrimonii apparere, nobilissimum scriptum, quem DEUS ob oculos habuerit, fuisse commodam & amicabilem conversationem viri cum muliere medendis vitæ molestiis: propagationem generis, cujus in sequentibus demum verbis mentio fit, finem esse matrimonii, quæ priori dignitate cedat.* Recte vero *Pufendorffius* hypotheseos hujus veritatem negat, quæritque rationem, cur DEUS, si per societatem conjugalem non primario sobolis procreationem intenderet, non virum viro potius, quam foemina, conjunxerit, multo minorem sane, si a voluptate, quæ sobolis procreandæ negotium comitatur, recesseris, viro jucunditatem allaturæ, quam si cum paræ sexus persona in vitæ societate coisset; quam rem manifesto puerorum & lenum exemplo *Pufendorffius c. l.* illustrat. Ad locum *Gen. II. 18.* respondemus primo in genere, solummodum, nisi firma sublit simul ratio, præstantia rei præ alia largiri non posse. Deinde verba *Parabimus ei auxilium,* non respiciunt determinate alterutrum conjugii finem, sed generalia sunt, & ab utroque præscindunt, ita, ut & utrumque commode applicari possint; & auxilium illud adjumentum, cum in producenda

bole, tum in molliendis vitæ molestiis, significet. In specie urget primo perversitatem morum, contumacemque & emendationis impatientem indolem, graviolem abruptendi causam esse, quam morbum fonticum, aut sceditatem & aliam quamcunque, ob quam tamen olim Judæis *Deuter. XXIV.* divortia permilla fuerint. Separanda autem & distingvenda hic sunt, quæ cum longe diversa sint, ipse tamen miscet. Nam si de morbo ipsi fontico, & matrimonium præcedente, sermo sit, ob quem conjugum ad copulam ineptus plane est, nego disparitatem animorum, renitensque & pervicax alterutrius conjugis ingenium, graviolem divortii causam esse; cum nonnisi pactum conjugis secundarium lædat, morumque in melius iturorum saltem spes supersit, priori illo nunquam, quod præsupponitur, removendo, atque inhabilem reddente conjugem ad standum pacto principali. Porro ait, *nullam societatem obstringere socios, contra instituta societatis principalem finem, aut contra intentionem & spem utriusque aut alterutrius in societatem coeuntium; jam autem voluisse DEUM adjungere viro auxilium familiare & domesticum, non autem mortorem &c.* Sed jam supra diximus, aliam esse injus conjugalis, quam alterius alicujus societatis, rationem. Cum enim ex rerum communiõne perpetuæ soleant lites enasci; Inde ad concedendum ab ea discessum procliviores solent LL. esse, quod secus in arctissima hac vitæ societate & consuetudine. Præterea hypothefi falsæ innititur, quod

ait, *præcipuum conjugii finem esse adiutorium mutuum*; Contrarium enim jam supra a nobis demonstratum est. Accusat etiam absurditatis Jus Canonicum, quod frigiditatis, non morum acerbitalis, rationem in dissociando matrimonio habuerit; cum illa confestim se prodat; hi autem sæpe numero primum mollissimæ & humanissimæ consuetudinis specie imponant. At enim est hæc valde infirma ratio. Sive enim ab initio statim manifestum sit, sive ex intervallo se prodat, modo sit vitium substantiale, matrimonium vitiat. *Pugnare item cum Lege caritatis*, putat, cogere hominem, ut in perpetua calamitate hæreat, in eaque sciat, nullum nisi mortis remedium superesse. Ficta vero hæc pugna est. Neque enim caritatem ledit, petere, ut individua sit cum illa persona consuetudo, quam quis semel honorum malorumque sociam delegit; cui consuetudini si quæ adhaeret calamitas, & æquo illa animo ferenda, & evitare eam conjux maximam partem potest, si manentibus, ut inuimus supra, cæteris conjugii officiis, a cohabitatione quotidiana & familiari tamdiu se abstineat, quoad ipsius mores in melius haud uerint. Præsidium etiam sententiæ suæ querit in eo, quod *Sacra Scriptura matrimonium ad evitandas tentationes suadeat, quæ comitari celibatam soleant*. Nullas autem majores tentationes esse posse, quam si pervicax immorigeri ingenii sociæ quæ cui contingat. Cujusmodi autem hæc tentationes, de quibus loquitur, sunt, satis intelligere non possum;

sum; Nam præterquam, quod non semper hoc casu necessario tentationes suboriuntur, removeri ea, & evitari per consuetudinem matrimonialem, quam morum perversitas non semper tollit, possunt. Maimonidis & Rodini testimonia, quæ adducit, nullum veritati præjudicium afferre possunt; neque sententiæ ipsius favet locus, ad quem sæpius confugit, *Deut. XXIV*. Falso enim existimat ibi, ob qualemcunque corporis sceditatem, permissum fuisse Judæis, divortium cum conjuge facere, cum, quod in superioribus ostendimus, Mosaica ista convenientia licitum non fecerit divortium in foro Divino, sed a poena solum in foro externo & hominum propterea sustinenda, liberaverit. Nec quicquam premit, quod ait, matrimonium consensione animorum constitui; adeoque, deficiente illa voluntatum combinatione, divortio merito locum esse. Disting. enim probe est id, quod essentiam matrimonio largitur, seu illud constituit, ab eo, in quo constitutum jam subsistit. Prius conjunctio animorum est, sine qua existere matrimonium non potest, subsistentiæ autem ejusdem non desiderat præcisè hujus voluntatis non interruptam continuationem; quæ & multorum contractuum natura est, ut a consensu mutuo substantiam accipiant. Subsistunt autem, ut pars altera ex postfacto supervenientem dissensum alleget. Nam hic valet illud vulgare: *Quod ab initio est voluntatis, ex postfacto fit necessitatis.* Et hæc præcipua præsidia sunt, quæ *Miltonus* pro tuenda sententiæ suæ promit. De

quibus confer omnino *Pufend. de J. N. & G. L. VI. c. 7. §. 24.* Ego de diffusa hac & utilissima materia præcipua secundum Jus N. exegisse satishabens, hic fontes claudo, Tibique, **ÆTERNI PATRIS ÆTERNA PROLES**, pro præstito hæctenus auxilio grates submitte ago.

---

## DISSERTATIO XI.

DE

# ACTIONVM MORALIVM MATERIALI ATQVE FOR- MALI.

---

## PROOEMIUM.

**M**agna & nota lis est de Juris Naturalis objecto. Et ea quidem non tam pristinis temporibus, quam hoc seculo, a Summis viris agitata. Quamvis autem veritas ab illa parte militare vulgo credatur, quæ pro rebus per se honestis, vel per se turpibus contendit; altera tamen etiam tanti, si verum amas, acuminis tela jacet, ut, nisi quis circumspicere agat, haud difficulter sane in devia deduci possit. Ego certe, cum nuper admodum eandem controversiam paulo  
 attea-

attentius mecum perpenderem, iis me difficultatum laqueis irretitum sensi, quibus non facile me expedivissem, nisi, quæ torte in manus devenerat, hic Lipsiæ habita eruditissima Disputatio auxilium tulisset. Quo factum, ut ad liberandum me omni dubio, præcipua deinde in chartam conjicerem; in quorum veritate ut magis confirmarer, super iisdem cum Celeberrimis Academiæ hujus Philosophis conferre visum. Cujus consilii exequendi cum aliam rationem non viderem, publice id facere institui. Quamobrem hoc animo illa in Disputationis redegit formam; quem laborem, cum non tui, sed mei exercendi gratia a me susceptus sit, in æquiore, confido, partem interpretaberis.

*Actio<sup>n</sup>um moralium materiale atque formale, quantum per harum pagellarum paucitatem licebit, excussuri, nihil existimamus potius, quam ut in fronte statim, quid per actionem moralem velimus intellectum, breviter exponamus. Neque vero ambigimus, omnium moralistarum, quamvis in diversissimas circa hanc materiam partes abscedentium, sententias saltem in hoc convenire, quod actio moralis sit actio humana cum honesta*

*te vel turpitudine conjuncta. Ex quo actio moralis conceptu etiam aliquo modo liquere potest, quidnam vocemus actionis moralis materialem & formalem. Nempe materiale actionis moralis est omne id, quod est in ea physicum, & quod a potentiis humanis, tanquam effectus, procedit, qualis est membrorum corporis humani motus, quatenus is a facultatibus animae, intellectu & voluntate, suo modo venit. Per formalem autem intelligitur qualitas seu affectio moralis, secundum quam actio honesta vel turpis est. De utroque uberius nunc consideratio instituenda.*

§. I. Materiale alias etiam formalis subiectum appellari solet. Ubi probe cavendum, ut per subiectum intelligamus hominis animam, non ipsum hominem, qui alias suarum actionum subiectum audit. Hoc loco enim subiecti vox cum materiali coincidit, & est illud, quod cum honestate vel turpitudine conjunctum, actionem moralem constituit, quod neque de homine, neque de ipsius anima, asseri potest. De hoc vero materiali actionum moralium celebris hoc seculo agitata inter sapientissimos Viros est quaestio, an illud, sine respectu ad bonum & malum, moralitatem in nonnullis actionibus involvat, an vero sit indifferens? Pro utraque parte magna ingenia pugnarunt. Et videor mihi operae pretium facturum, si eam uberius nunc & elegantius excutiam; & nova quidem hac vice, ut quae alias in disputationibus inusitata, via procedam.

et duos veluti adversarios introducere, & utrumque, quam fieri potest, infensissimis argumentationum telis armare, experimentumque facere, uter validius causam suam comprobaturus sit. Prior ejactuletur tela sua, scilicet qui Indifferentissimum defendit; Ea deinde singulatim removeri faciam ab altero, ab cujus imagine, quisquis voluerit, pugnabit. Sed istum jam loquentem certantemque audiamus: materiale actionum moralium, in se & solitarie consideratum, quatenus ab omni ad legem respectu abstrahimus, indifferens esse, & neque bonitatem, neque malitiam moralem, involvere, haud difficile probatu est. Indifferentia enim hæc clarissime, vix solo actionis moralis in nobis conceptu, demonstrari potest. Cum enim concipimus actionem moralem, id non fit uno aliquo & simplici mentis intuitu, sed evidenter quidem in ea cognoscimus physicum aliquid, cujus causa statim mentis est obvia; procedere nempe intelligimus a potentia activa in subjecto agente, quatenus ea terminatur ad subjectum recipiens. Sed & præterea aliquid concipimus, per quod actio moralis ab aliis actionibus differt. Quid vero id est? Tu moralitatem vocas? Sed quid concipis sub moralitatis voce? Honestatem, ais, vel turpitudinem actus; Nondum quiesco; neque enim ex eo adhuc tuum conceptum intelligo: Quid enim, quæso, honestatis vel turpitudinis vox in mente tibi repræsentat? Deveniamus tandem ad relationem, de qua nunc dispendendum, qualis ea sit, & quem agnoscat terminum.

Nam



Nam si relationem ad Legem intelligis, largis, quod volo. Sed dices, moralitatem te concipere per relationem ad subjectum agens, quod ista actio vel decet, vel dedecet, propter usum genuinum vel abusum rationis, qua præceteris animalibus homo gaudet. Sed quid est, uti vel abuti ratione? An non utrumque respectum dicit ad Legem socialitatis, homini a Deo libere impressam. Moralitas ergo omni actioni humanæ est extrinseca. Et sane, quo quis attentius adhuc de actione moralis conceptum attendit, eo clarius talem illius, quod in ea actione est materiale, indifferentium apprehendit. Luculentum enim est, moralitatem sine respectu ad Legem concipi non posse, ut adeo dicere, moralitatem citra Legis determinationem dici contradictio videatur in adjecto esse.

§. II. Et hanc actionum moralium quoad materiale indifferentiam illud etiam confirmat, quod multæ actiones materiale commune habent, quæ tamen quoad moralitatem toto cælo a se invicem differunt. Ita v. g. extensio manuum constituit materiale diversissimarum actionum, quæ vel conveniunt cum Lege, ut, si illa extensio fiat, cum preces ad Deum funduntur; panis mendico porrigitur, aut miser in terram delapsus sublevatur; vel disconveniunt, ut si illa extensio fiat ad surripendam rem alienam, ad occidendum innocentem &c. In quibus profecto actionibus clare animadvertitur identitas quoad materiale, ut adeo extensio manuum in iis sit indifferens; quodque a se

differunt, id a convenientia, vel disconvenientia cum Lege est, quæ materiali extrinsecus advenit, & actionem vel bonam vel malam in genere morum efficit. Evidens enim est, ideo nefas esse, rem proximo auferre, quia ipse in eam jus aliquod per Legem habet, quod si jam igitur illam Legem mente removeas, proximo etiam nullum jus in eam amplius constabit; utpote quod omne per legem habuerat, & sic nulla ratio est, cur non eam tollere, mihi que habere liceat. Eodem modo peccatum occisionis proximi a sola legis prohibitionededucitur, a qua si abstrahamus, nihil obstat, quominus ipsi vitam adimere, non sit indifferens.

§. III. Inde etiam est, quod multi actus, humano generi cum brutis, communes, ab homine quidem, sine gravissimæ culpæ poenæque reatu, non perpetrantur, a brutis vero sine ullo scelere fiunt. Quod sane discrimen non a materiali istarum actionum est, utpote quod utrobique plane idem, sed ex eo solo, quod lex materiale hoc in se indifferens ex parte brutorum quidem tale, qualem sua natura est, reliquit, ex parte hominum vero, imposita moralitate, ad alteram partem determinavit. Quamvis enim homo ratione gaudeat, qua bruta destituuntur, ea tamen solitarie spectata, sibi que relicta, prout nullam legis notitiam habere concipitur, nullam actionibus moralitatem imponere potest. Sed illud sedum ortasse ipsi supererit, ut distinguere sciat actiones humano generi proficuas ab iis, unde ipsum detrimentum capit, quod tamen actiones nondum bonas

nas vel malas in genere morum facit. Et ne quis hic me sophisticam credat, cogitet, eandem differentiam etiam in actionibus brutorum deprehendi, neque tamen ideo eas bonas vel malas in genere morum esse.

§. IV. Videntur autem ex hac, de actionibus moralibus sententia quaedam impia exculpi posse, v. g. furtum, homicidium, scortationem, adulterium, esse indifferentia. Argumentum foret tale: Si actiones omnes morales, quoad materiale, sunt indifferentes, sequitur: Homicidium, furtum, adulterium esse licita. Posterius est absurdum, ergo & prius. Sed in hoc argumento desideratur nexus; inde majorem ita limitamus: Si actiones morales quoad materiale sunt indifferentes, sequitur etiam furtum, adulterium &c. esse indifferentia, scil. quoad materiale. Sic, majore limitata, transeat totum argumentum. Neque enim ullum, quantumvis exiguum, scelus aut peccatum, quoad materiale, quod in eo involvitur, pro moraliter malo haberi potest; Quod enim aliquid est peccatum, quod moraliter malum est, id omne a suo formali, discordientis nimirum cum Lege, habet.

§. V. Libet præterea quærere, si moralibus actionibus nonnullis citra Legis impositionem competeret, unde necessarius ille moralitatis cum actionibus nexus penderet? Quod si ais, eam actionibus ex intrinseca earum natura inesse, nihil quæritur. Quæ enim talis actionum natura est, quæ ex se moralitatem requirat? Nam sane, cur homo cogit

id ex ejus natura evidenter deducitur, nimirum quia est rationale aliquid, h. e. quia est animal, quod habet facultatem ratiocinandi, unum ex altero colligendi &c. quod absque cogitatione fieri non potest. At nunc ita clare atque evidenter deducas tu mihi ex actionum natura, h. e. ex motu earum physico bonitatem vel malitiam moralem? Sed dices, hanc actionum naturam ab aeterno ad alterutram moralitatis partem esse determinatam; sed quis ita determinavit? Aut enim DEUS ita determinavit, aut aliquid extra DEUM. Si prius existimas, nihil a me diversum dicis, si posterius asseris, quaero: quidnam illud sit? Ubi vel hærebit aqua, vel principium asseretur aeternum, quod, tanquam diversum a DEO, cum ipso DEO stare non potest.

§. VI. Repugnat etiam hæc intrinseca Moralitatis necessitas libertati summi Entis. Hinc ita arguo: Quicquid se habet antecedenter ad Voluntatem Divinam, illud Voluntati Divinæ necessitatem offert, adeoque ejus libertati repugnat. Atque moralitas actionum nonnullarum antecedenter se habet ad Voluntatem Divinam, uti ii, qui indifferentissimum hunc negant, volunt, Ergo. Sed quaeritur: potuissetne ergo DEUS, quæ præcepit Juris naturalis, vetare, & præcipere, quæ ibi vetuit, v. g. receptionem rei alienæ, occisionem proximi, fornicationem, dilectionem contra proximi, venerationem parentum illicitam? Resp. Posita ea naturam, quæ nunc homo habet, & quam ei DEUS li-

A a

ber-

berrime attribuerat, eum actionibus aliam moralitatem imponere non potuisse; quia nimirum alias contravenisset suæ ipsius voluntati, finique, quem in creatione hominis sibi proposuerat. Adeoque eatenus hanc moralitatis necessitatem concedimus, quatenus ea nititur illa natura, quam DEUS homini liberrime attribuerat. Ita, cum DEUS creasset hominem rationalem atque sociale, non poterat læsionem proximi facere licitam, utpote quod sustulisset finem, quo DEUS, creando animal sociale, respexerat. Inde distingvere licet inter necessitatem absolutam & hypotheticam. Necessitas, qua DEUS actionibus nonnullis moralitatem imposuit, non erat absoluta, seu omnem considerationem circumstantiarum excludens, sed hypothetica sive conditionalis, h. e. fundata in natura, quam hominem habere liberrime DEUS voluerat.

§. VII. Atque hæc sententia confirmator fiet, si consideremus, quid sit bonum vel malum morale; utique enim in eo intelligimus involvi respectum quendam ad personam, ex parte cujus datur obligatio ad hoc faciendum, & illud contra omittendum, obligatio vero dicit relationem ad superiorem, a quo ea dependet. Neque est, quod fortasse dicas, ideo hominem esse obligatum, quod ratione gaudeat. Quin potius per & propter rationem intelligit homo, se alii, eique superiori, obligatum esse, adeoque citra respectum ad istam obligationem & per consequens ad Legem, nihil ipsi moraliter bonum vel malum est. *Quæ*

indifferentia eo magis est credenda, quod alias DEUS a causa morali peccati excludi non posset. Cum enim influxu reali atque positivo ad materiale peccati concurrat, nulla ratio dari videtur, qua a peccato liberari posset, si illud materiale in se intrinsece moralitatem involveret.

§. VIII. Atque huic, pro indifferentia materialis in actionibus moralibus, pugnantia sententia ipsa S. S. patrocinari videtur; Illa enim definit peccatum, scil. abstracte, per *ἀνομίαν*, sive privationem consuetudinis cum Lege. Hinc ita infero: In quacunque actione non datur *ἀνομία*, ea non est peccaminosa; Atqui in nulla actione citra respectum ad Legem considerata, datur *ἀνομία*; esset enim manifesta contradictio; Ergo nulla actio, citra respectum ad Legem considerata, est peccaminosa, & inde omnium actionum materiale est indifferens. Idem confirmat *Seldenus d. J. N. & G. L. 1. 4.* cum ait: *Ex Jure efficitur in actionibus divisionem boni & mali, sive turpis & honesti.* In rationis nascitur inde ad officium exequendum obligatio & debitio. Quo pertinet etiam illud *Platonis*: *πᾶσα πράξις, ὡς ἔχει αὐτὴ ἐφ' ἑαυτῆς, κατατομένη, ἢ τε καλὴ, ἢ τε αἰσχρὰ. διὸν ὄνομ' ἢ ἰς ποιῆμεν, ἢ πίνειν, ἢ διαλέγεσθαι, ἐκ ἔστι ἴστων τὸ κατ' αὐτὸ καλὸν εἶδέν, ἀλλ' ἐν τῇ πράξει, αὐ-πραχθῆ, τοῖστων ἀπέβη, καλῶς μὲν γὰρ κατατομένου καὶ ὀρθῶς, καλὸν γίγνεται, μὴ ὀρθῶς δὲ, αἰσχρὸν.*

§. IX. Inde etiam facile intelligitur, quo sen-

su sua veritas constet illi dicto vulgari: Præcepta Juris Nat. sunt æternæ veritatis. Nempe non aliter pro vero haberi potest, quam si vel per æternitatem ejus immutabilitas indicetur, in oppositione ad positivas Leges, quæ pro vario statu Reipubl. voluntateque Legislatoris crebræ mutationi subjectæ sunt; Vel certe æternitatis vox ævo respondeat, ita, ut non ultra hominis creationem determinationemque Divinam retrahatur. Sed ais: Quid impedit, quo minus æternitatis vox in nativa sua & propria significatione accipiatur; si nimirum habeatur respectus ad scientiam DEI, qua ab æterno ipsi perspectum fuit, posita natura, quam homini attributurus esset, certis actionibus moralitatem iri impositum? Resp. Sive respectus habeatur ad scientiam DEI naturalem, quatenus per eam DEUS res omnes, ut possibiles, cognovit, quæ & in scientia simplicis intelligentiæ audit, sive ad scientiam ipsius liberam, qua DEUS omnes res, vel post liberum decretum suum futuras, cognovit, ob neutram tamen præceptis Juris Naturæ æterna veritas peculiariter attribui meretur; quippe eodem sensu omnes aliæ actiones, imo omnes res, æternæ veritatis dicendæ forent; quippe earum nulla est, quam non DEUS scientia simplicis intelligentiæ ut possibilem, & scientia libera sive visionis, ut certo futuram, naturamque determinatam habituram, cognovit.

§. X. Non immerito etiam hic inquirunt in causas actus illius voluntatis Divinæ, quo scilicet

nibus sub objectum Jur. Nat. cadentibus moralitatem imposuit; Et primo quidem quæritur de causa efficiente. Est vero causa efficiens, vel formaliter, vel virtualiter causans; illa habet se ad effectum ut aliud & aliud, hæc vero non est ab effectu distincta, sed habet se per modum rationis a priori. Inde facile apparet, actus illius voluntatis Divinæ non dari causam formaliter causantem; cum enim actus voluntatis Divinæ nihil aliud sit, quam ipsa essentia Divina, si agnosceret causam formaliter causantem, ab ea necessario dependeret, adeoque etiam essentia Divina independens esset dependens; quod manifestam contradictionem involvit. Causa autem actus hujus Voluntatis Divinæ virtualiter causans omnino datur, & est ipse DEUS. Sed hæc, de causa efficiente, nihil difficultatis habent. Iud est in perplexo, quamnam causam impulsivam agnoscat actus ille voluntatis Divinæ? Est item & hæc duplex, vel προηυμένη, sive interna, vel προκαταρκτική, sive externa; illa est justitia que immutabilitas Divina, utpote quæ DEUM intrinsicè movit, ut, ne fini, per creationem hominis a se intento, contraveniret, actus alios vetaret, alios præciperet. Hæc vero, nempe προκαταρκτική est natura homini libere attributa; hæc enim enim extrinsecus impulit ad moralitatem actibus omnibus imponendam.

§. XI. Hinc etiam, si quæretur, qualis sit voluntas, qua DEUS istarum actionum, præcise nullas fieri, nonnullas omitti, voluit, naturalis, an



libera? Non dubitamus asserere, eam liberam esse  
 & quidem liberam secundam seu consequentem.  
 Quod enim naturalis non sit, liquet ex eo, quod  
 hujus voluntatis objectum necessarium, eamque  
 solutam, habitudinem ad ipsam involvere debet  
 quale objectum voluntatis suæ est ipse DEUS,  
 ipse in quo omnis ratio boni, sine defectu, apparet  
 talem autem absolutam habitudinem actionis  
 ad voluntatem Divinam non inferre, hæc  
 satis est demonstratum. Erit ergo voluntas libera  
 eaque non antecedens; quia DEUS non vetuit, nec  
 præcepit, certas actiones absque omni circumstan-  
 tiarum consideratione, sed consequens, utpote quæ  
 nitebatur certa circumstantia subjecti, nempe  
 humana, homini ex liberrima voluntate attributa. Quæ  
 obrem & decretum, quo ab æterno DEUS decrevit  
 actionibus nonnullis in tempore moralitatem im-  
 ponere, non absolutum vocari posse, nulli ambigimus,  
 utpote quod agnoscit causam impulsivam  
 externam.

§. XII. Ut vero hæc eo clarius & evidenter  
 appareant, libet, stylo synthetico præcipua propo-  
 sitione. Principia tamen, quæ hic sequentur, tam  
 brevia erunt, ut facile apparituum sit, multo plus  
 illis elici posse, quam a me quidem, quæ pauca  
 deducuntur.

## DEFINITIONES.

1. Actio moralis est actio humana cum  
 necessitate vel turpitudine conjuncta.

2. Lex est norma actionum humanarum a superiore præscripta.

3. Actio per se honesta dicitur, quæ in sua natura, adeoque intrinsece, citra respectum ad Legem, bonitatem moralem involvit.

4. Actio per se turpis vocatur, quæ in sua natura, citra Legis impositionem, malitiam moralem involvit.

5. Materiale actionis moralis est, quodcumque a potentiis homini congenitis, ut talibus, procedit, & est aliquid reale ac physicum.

6. Formale actionis moralis est qualitas sive affectio moralis, juxta quam actio bona vel mala in genere morum dicitur.

7. Actio indifferens est, quæ non involvit moralitatem, seu, quæ neque bona neque mala in genere morum est.

8. Per impositionem, sive determinationem Legis non solum intelligitur ea, quæ citra ullam necessitatem fit, sed etiam illa, quæ quidem necessitatem, verum non absolutam, sed tantum hypotheticam, requirit.

9. Idea nihil aliud est, quam conceptus, qui rem intellectui objective repræsentat.

10. Realiter a se invicem distincta dicuntur ea, quorum unum potest sine altero esse.

11. Causa moralis est, quæ effectum vel directe vel indirecte intendit.

## AXIOMATA.

1. Actio moralis vel honesta, vel turpis est.

2. Bonitas vel malitia moralis involvit relationem.

3. Relatio vero hæc vel respicit Legem, vel subjectum, quod ratione vel recte utitur, vel abutitur.

4. Non utitur homo recte ratione sua, nisi simul ad Legem a DEO præscriptam, saltem societatis, attendat.

5. Actio moralis duobus involvit, materiali, & formali.

6. Omne positivum, & physicum, quatenus tale, non est moraliter bonum aut malum.

7. Cujuscunque concreti materiale habet se per modum subjecti in ordine ad formam, quæque contrarium.

8. DEUS ad quarumvis actionem materiale concursus realem atque positivum præstat.

9. Physicum, quatenus tale, realiter ab eo, quod morale est, distinguitur.

10. Formale actionis moraliter male, non est aliquid reale & positivum; ideoque causam non tam efficientem, quam deficientem, agnoscit.

11. DEUS peccatum neque directe, neque indirecte, intendit.

12. Formæ rerum, quoad determinationem, non dependent ab alio principio, quam a DEO.

13. Nihil est, cujus existentie causa non recte queri possit.

14. Voluntas Divina ad actus alios præcipiendos, alios vitandos, necessario quidem strahitur.

verum

verum hæc necessitas non erat absoluta, sed tantum ea, quam ipsa sibi fecerat.

## POSTULATA

1. Postulo, ut cogitent lectores, quam multa præjudicia inde ab infantia hauserint, & quantum illa ipsis in clara distinctaque cognitione officiant.

2. Imprimis cogitent, præjudicium aliquod de actionibus per se honestis, & per se turpibus, subnasci potuisse ex eo, quod ipsis a pueris illarum honestas vel turpitudine inculcata est.

3. Ut per se notæ propositiones, v. g. Nihil DEUM necessitat, nullum principium est ab æterno, nisi in ipso DEO inveniat; finitæque, ipsæ se probe expendant; Ita enim facile videbunt, nulli rei moralitatem posse competere, nisi propter relationem ad voluntatem Legislatoris.

### PROP. I. ad, inobediencia

*Actio moralis duo involvit, quæ nunquam coincidunt, sed semper realiter distinctæ manent.*

hæc duo sunt actionis moralis materiale atque formale, (art. 5.) quæ realiter diversa esse, utriusque conceptu liquet. Materiale unius est dignitas reale & physicam, (art. 5.) Formale autem est moralitas, (art. 6.) Physicam, vero, qui-

tenuis tale, resoliter ab eo, quod morale est, distinguitur. (ax. 9.)

## PROP. II.

*In nulla actione morali materiale necessarium nexum, & omnem, ad intrinsecum quiddam, respectum excludentem cum formali habet.*

Materiale enim cum formali conjunctum actionem moralem constituit (def. 1.) quæ vel honesta est, vel turpis: (ax. 1.) Utraque vero ad extrinsecum quiddam involvit respectum. (ax. 3.)

## PROP. III.

*Non dantur actiones, sine respectu ad Legem, honeste vel turpes.*

Omnis enim moralitas involvit relationem; (ax. 2.) Relatio autem est vel ad subjectum agens, vel ad Legem, (ax. 3.) si hoc, habetur quod erat demonstrandum, sin illud, rursus simul involvitur ad Legem respectus. (ax. 4.)

§. XIII. Audiamus nunc adversarium, qui proloquitur: Acriter hic, & quantum fieri poterit, validissimis argumentis pugnabit. Sed audi, queso, contine plures tuos; & ne immerite exulla. Adversarium me tibi sistam. In affirmativa verborum, quam ita decurram, ut primo assertionis meæ solida fundamenta ponam, deinde ictus, ac desuper intentatos, cecidam. Igitur actiones honeste & turpes

pes sine respectu ad Legem dari, contendo, rationemque formalem honestatis & turpitudinis earum assero; convenientiam vel disconvenientiam cum subjecto agente, homine nimirum, esse. Sane enim, si vel maxime ab omni Lege præscindamus, subjecti tamen, hominis, naturæ rationali quædam congruent, & erunt facienda, adeoque honesta; quædam vero non congruent, & erunt fugienda, adeoque turpia. Quamvis enim alias inter id, quod alicujus naturæ convenit, & honestatem; item inter id, quod alicujus naturæ disconvenit, & turpitudinem, non intercedat necessarius nexus; hoc tamen casu eum manifeste deprehendimus. Haud dubie enim hæc regula expeditæ veritatis est: Quicquid ratio nostra etiam abstractivè & seorsim ab omni Lege considerata dicitur faciendum, propterea, quia sibi id maxime conveniat, id erit honestum; & quicquid ea dicitur fugiendum esse, quia sibi maxime repugnet, id erit turpe. Esse vero quasdam actiones, quas imperatura vel vetitura esset ratio, quamvis nulla Lege imbuta, dubitari non potest. Quod magis reddetur clarum; si modo quis ad formalem rationis conceptum attendere velit. Sane intelligi non potest ratio sine facultate cognoscendi, ratiocinandi, unum ex altero colligendi &c. quam si admittis, necessum est, largiaris etiam, rationem hanc suam potentiam in actum deducturam fuisse, adeoque cognituram, quasdam actiones vel convenientiam cum sua natura, vel disconvenientiam involvere. Illæ ergo actiones per

se honestæ & per se turpes sunt, constituntque Legis Naturalis supervenientis objectum. Profecto enim, ut ad exempla deveniamus, DEUM v.g. blasphemare, non ideo turpe est, quia DEUS prohibuit, sed ideo ab ipso prohibitum, quia turpe in se & sua natura est, dum & disconvenientiam cum attributis Divinis, & cum subjecto, ratione prædito, involvit. Homo enim, quatenus rationalis est, etiamsi ab omni Lege præscindas, sine dubio tamen intelligit turpitudinem actus, qui suum Creatorem læssat. Hunc igitur actum ita absolute & in se turpem DEUS necessario prohibuit. Neque necessitas illa, quæ blasphemari se ab homine videtur, solum hypothetica erat, sed plane absoluta. Cui enim, quæso, conditioni necessitas illa innitebatur? An illi, quod rectam rationem homini volebat in-  
 ducere? Quid vero? An poterat ergo aliter? An non homini rationem necessario tribuit? Poteratne homo sine ratione produci? Ais: Illa ergo saltem conditio subsuit, quod volebat creare hominem. Sed enim hæc conditio non potest considerari, ut conditio, cum ejus existentia in ipsa blasphemia involvatur; utpote quæ semper ponit hominem. Notum vero est, necessitatem, quæ conditione nititur, illa impleta, fieri absolutam. Itaque, etiamsi abstrahamus a Lege Naturali, modo ponamus hominem, & per consequens rationem, blasphemia erit turpis, cum & attributis Divinis, & ipsi subjecto, disconveniat. Quare cum DEUS homini creato Legem Naturalem inseruit, non poterat

erat aliter, nisi blasphemiam per se turpem nota-  
 re; ut adeo Lex illa blasphemiz prohibitiva, non  
 imponeret moralitatem, sed, quæ jam ante erat, de-  
 tegeret, magisque manifestaret. Ibitus per exem-  
 pla nonnulla alia: Homicidium, scilicet sine justa  
 causa patratum, per se, contendo, turpe esse. Quam-  
 vis enim præscindamus a Lege omni; tamen ho-  
 micidium præsupponit hominem, & per conse-  
 quens rectam rationem, quæ non potest non id ve-  
 tare, quod in sui ipsius salutem atque utilitatem  
 pugnat. Ais: Rectam rationem præsupponere ad  
 minimum Legem socialitatis; adeoque homicidio  
 omnem ab hac Lege moralitatem esse. Sed, quæ-  
 so te, responde mihi: Si rectam rationem non  
 potes concipere, quatenus abstrahit ab omni Lege;  
 cur dicis, occisionem hominis, per se spectatam, esse  
 indifferentem, cum ita per se, sive abstractivè, con-  
 cipi non possit. Quocunque enim modo spectetur,  
 præsupponit hominem, adeoque rectam ratio-  
 nem, sine qua is esse aut considerari nequit. Ita-  
 tiam, ut plura exempla adducam, adulterium com-  
 mittere, fidem violare &c. per se turpe est. Sc-  
 ire enim, si fingamus nullam Legem a DEO ho-  
 mini impressam; tamen ductu rationis suæ, quam  
 necessario nihilominus habiturus esset, cognosceret,  
 dishonestum & turpe esse, cum foemina, quæ consilio  
 in consortium speciale consensit, concumbere,  
 quamvis enim, quod a multis solet objici, nulla  
 ex alteri foeminam istam addiceret, tamen profecto  
 per solum illum, mutuum consensum, Jus sibi  
 alter



alter quæsitum habet, quod violare, ratio sibi etiam relicta, & absque omni Lege, judicaret malum. Fateor equidem, cadere nonnulla sub Juris Naturalis objectum, de quibus, quomodo, sine respectu ad Legem, moralitatem involvant, ita facile demonstrari non potest; ex quo tamen non sequitur, ea per se bona, vel mala, non esse; sed illud exinde fluit, moralitatem eam a nobis clare distincteque, & adæquate, sine Lege, cognosci non posse; quod ambabus largimur manibus. Lex enim regula veluti est, ad quam omnium actionum moralium, quamvis fortasse intrinsece talium, bonitas vel malitia, æquitas vel iniquitas metienda est. Hinc, quemadmodum curvitas lineæ nonnisi per regulam exacte habetur, qua tamen remota, ipsa curvitas manet; ita, remota etiam Lege Naturali, tamen actiones moraliter bonæ vel malæ dantur, quamvis moralitatem illam non in omnibus æque exacte deprehendamus, æque sit, cum Lex accessisse censetur. Quod jam dudum animadvertit Scherzerus in *Breviar. Eustach. p. 250. seqq.* et L. Cyprianus, cujus Dissertatio de Indifferentismo morali integra hic meretur legi. Sed declaravi mentem meam satis, & quod confido, haud contemnenda assertionis meæ fundamenta jeci. Pergam nunc, & quod promisi, adversario meo arma, quibus superbit, excutiam; h. e. argumenta superius allata confringam. Et ordine quidem procedere libet, ut, quid in singulis momenti sit, experiamur. Et l. conceptum quidem actionis moralis quod attinet.

net, concedo, involvere eum respectum, sed non ad Legem semper, verum aliquando ad solum subjectum agens, quod sua ratione vel utitur, vel abutitur, neque vera ratio includit respectum ad Legem socialitatis, cum sine hac Legge concipi possit homo, qui tamen sine ratione intelligi non potest. Ad II. respondeo, quamvis materiale actionum moralium commune sit, hoc tamen nihil vetare, quo minus ipsum hoc materiale possit sibi intrinsece & absque relatione ad Legem conjunctum habere formale. Cur enim duo hæc stare simul non possint, nulla sane ratio apparet. Dubium II. dissolvitur, si distingvamus inter materiale impliciter, etiam ab ipso subjecto abstractum, quod hominibus cum brutis commune est, & quæ ænis tale, quod, ut ipsi largimur, nullam moralitatem involvit, & inter materiale nonnullarum JB. humanarum, quod quamvis & hic non nisi motus physicus sit, tamen, cum præsupponat in subjecto rationem, quæ motum hunc sibi vel consentire vel non convenire judicat, habebit sibi etiam sine respectu ad Legem intime conjunctam moralitatem. Illud enim sane a vero longissime est, quod dictum est, rationem sibi relictam, nullæ imbutam Lege, illud solum dijudicaturam esse, quid sibi utile vel perniciosum foret, non autem quid honestum, vel turpe. Quamvis enim nonnullis actionibus, sub objectum Juris Naturalis cadentibus, res ita se habere videatur, ob defectum regulæ, utpote a qua abstrahimus, per quam

earum moralitas jam, ante ipsis inexistentis, sed obscure cognita, liquidius apparet, tamen aliae sunt, a quibus contra res manifesta plane. Ita v. g. coevitia in DEUM evomere, ratio nostra, etiam in eo statu, quo sibi concipitur relicta, non solum nocivum sibi, sed & turpe & inhonestum, haud debic judicaturam esset. Illud ob ejus potentiam & justitiam, hoc ob ruptum vinculum, quo ipsi productio, seu creatio, hominem Divino Nummi obstrinxit Resolutio Argumenti in §. IV. format nihil efficit, cum ipsa hypothese controversa, nempe actionum moralium formale non nisi a convenientia vel disconvenientia cum Lege procedat, nitetur. Nec majus robur habent, quae in §. V. sunt allata, ubi quaeritur, unde illa actiones, de quibus loquimur, determinatio ad alterutram moralitatis partem proveniat? Est nimirum illa partim ab eo, quod congrunt, vel non congrunt attributis Divinis, partim, quod convenientiam cum subiecto, quatenus tali, habent, vel non habent. Hinc gratis affingitur sententiae nostrae, quae ea principium extra DEUM, ipsi tamen coaeternum, inferret, per quod actiones vel honestae, vel turpae sint factae. Quae enim? Quomodo id inde exculpi potest? Cum & nos realem & actualem existentiam moralitatis non retrahamus ultra creationis tempus. §. VI. nobiscum plane consentit. Nam & nos non alii necessitati libertariam Voluntatem DEI adstringimus, quam quae ex potentia humanae naturae fuit. Hinc non dicimus, morales

tem actionum nonnullarum habere se antecedenter ad Voluntatem Divinam simpliciter, sed ad eam solummodo voluntatem, quæ moralitatem actionibus illis imposuit. Ad ea, quæ in §. eodem de necessitate absoluta & hypothetica dicuntur, jam supra est responsum, demonstratumque, necessitatem, qua DEUS actionibus nonnullis humanis moralitatem Lege dedit, non conditionalem, sed absolutam fuisse. In §. VII. recte asseritur, in subiecto, a quo actio bona vel mala procedit, debere obligationem esse, sed simul minus recte universaliter omnis obligatio dicitur ex Lege pendere. Homo enim, etiamsi concipiatur nulla Lex Naturalis ei insita, sine dubio tamen sentiret obligatum se ob ipsum creationis beneficium DEO esse, ad cultum omnemque reverentiam ei præstandam, utut de eo voluntatem suam non declarasset DEUS. Cum id & attributis Divinis, & rationi in subiecto inexistenti, maxime conveniat. Dubium in eodem §. motum de concursu Divino ad actiones humanas leve est. Nullus enim hic nexus; Materiale nonnullarum actionum malarum habet ibi intrinsece conjunctum formale, ergo DEUS ad materiale concurrens, est causa peccati. Concurus enim DEI fit ad materiale actionum, præcise & impliciter spectatarum, non quatenus a terminato subiecto procedunt, quo sensu indifferens dici potest materiale, nihil abnuo. In §. IX. non recte eruerum & genuinum sensum illius dicti: Præcepta .N. sunt æternæ veritatis, satis liquet. Est autem

B b

ille

ille talis: Præcepta Juris Naturæ per se vera sunt, sine respectu ad Legem, & antecedenter ad Voluntatem Divinam, actionum illarum moralitatem expressa sanctione manifestantem, contra quem sensum nihil ibi allatum est. In §. X. nihil desideramus, nisi quod pro causa impulsiva externa voluntatis, qua DEUS quædam Lege Naturali vetuit, quædam præcepit, non sola natura humana ponenda erat, sed simul etiam moralitas actibus illis intrinseca. Eadem Voluntas Divina in §. XI. rectius fuisset dicta naturalis, quam libera; cum actuum, de quibus sermo, moralitas necessariam habitudinem ad eandem secundum hæcenus dicta involvat. Ad §. XII. accedo, ubi adversarius geometrico morem demonstrare aggressus est. Verum immemor in eo est methodi Mathematicæ, quod conclusiones suas deducit ex talibus principiis, quæ ipsa infirma sunt, & demonstratione opus habent. Definitiones quidem largimur omnes, sed inter axiomata primo quartum aperte falsum est; Quodsi enim ita consideras hominem, ut abstrahas a Lege Naturali, vel non erit homo, & sic frustra ut considerabitur, vel habebit rationem, qua recte etiam ad nullam Legem attendendo, queat. Deinde in Axiom. 6. ambigue dicitur, omne positivum, quatenus tale, non involvere moralitatem. Quodsi enim sermo sit de materiali actionum quarumvis, etiam humanarum omnium, negatur per ea, quæ supra prolixè dicta sunt. Axiom. 9. ibidem negatur, si realis distinctionis fundamentum in se  
par-

parabilitate, quod fit in definit. 10. ponatur. Quæ principia, cum sint in demonstrando adhibita, mirum non est, propositiones ex iis deductas roboris non satis firmi esse. Quamobrem apparet, nihil mihi tela illa, in me jacta, nocere. Hæc sunt præcipua momenta, pro utraqve sententia afferri solita. Ultra majoris ponderis sint, judicium penes Lectorem esto. Mihi sane illa *Perseitas Moralis* semper ratione destitui, imo, contradictionem involvere, visa est. Hinc ei, qui prior in arenam descendit, assentior.

## DISSERTATIO XII.

QUÆ EXHIBET.

### JUDICIUM DE PRÆCIPUIS SCRIPTORIBVS JURIS NATVRÆ.

#### PRAEFATIO.

[Nter omnes disciplinas nulla videtur esse, quam pejora fata ursere, quam quæ insitas a DEO leges utilissima ratione exponit. Et retro quidem inde ab omni fere ævo communis quasi heresis occupaverat animos, ut nefas & temerarium omnino censerent, moralia ad certam & apodicticam demonstrationem revocare velle. Mitius deinde fata fluere, certatim excelsis ingeniis in tam sublimis scientiæ culturam incumbentibus. Neque id sine insigni fructu, tamque pertinacis in-

dustria gloria. Vivent tanta nomina perenni laude, neque ulla tam ingrata posteritas erit, que non inviolatam ipsorum memoriam cum veneratione exceptura sit. Neque vero exigua animam admiratio subire solet, cum in mentem venit vulgata persuasionis, qua disciplinam hanc ad summum jam perfectionis gradum perductam esse censent. Nihil addi posse credunt, nihil detrahi, aut immutari. Quod quam perniciosum egregia disciplina sit, facile est perspicere iis, qui veritatis cupidi ejus intimiora studiose rimantur. Largior, summam nonnullos anxiosè in ejus præceptis explicandis adhibuisse, non vero talem, in qua nullus defectui aut reprobationi locus. In eo præcipuam merentur laudem, quod certam disciplinam huic hypothese pro fundamento subternendam viderunt, ex qua concatenato nexu Leges Naturæ deducerentur. At enim uenirem adhuc evolvere licuit, qui non vel falsa niteretur hypothesis, vel, si genuinam tenuisset, evidenti nexu singulas Naturæ Leges ex ea demonstratum iret. Et hi quidem normam, secundum quam ea dimeticenda sint, explicasse, summaque præcepta ad ea respondisse contenti, ubi ad particularia devenire fuerit, illa vel simpliciter enumerant, vel cum non nisi probabilibus argumentis stabiliant. Quæ plurima etiam pro præceptis Juris Naturalis venditant, quæ aperte in utramque partem ita disputari queunt, ut neutra de validiori præsidio gloriari possit. Quem in errorem eos deduxisse viderem,

deum,

ur; quod a Jure Natura rationem Naturalem recte separarunt. Persepe enim pro asse-  
nda aut neganda questione plures rationes mi-  
ant, qua tamen non nisi *ἔνδοξα* argumenta  
peditant, vera demonstrationis virtutem neuti-  
am implentia. Hanc talem oportet esse, in qua  
llus dubitationi locus, quave arctissimo nexu suo  
mines vel ad consensum, vel stuporis confessio-  
n, instar Theorematum Mathematicorum, adi-  
t. Et hinc occasio mihi enata, precipuos non-  
illos Scriptores Juris Nat. recensendi, eosque  
VATVOR: Hug. Grotium, Seldenum, Hob-  
ium & Pufendorffium. Neque vero diffiteor,  
nonnullos alios, qui, si uni alterive ex his non  
referantur, saltem pares haud inique putentur.  
uos tamen inpraesentiarum omitto, alia occasi-  
e, si DEO ita visum fuerit, uberius persequen-  
e. Tu interim ades, Aeternum Numen, mentem-  
e, & hunc stylum ita rege, ne vel anceps bare-  
e, vel a recto tramite deflectam.

§. I.

**A**D profundam alicujus disciplinae notitiam ca-  
piendam magnum adjumentum affert, calle-  
exacte originem ejus & progressum; cum, suf-  
gio Virorum doctorum omnium, cuius scien-  
lumen veluti quoddam inferat historia. Atque  
nc circa Jus Naturae exequi breviter nobis sedet,  
eo praesigae operam collocaturis, ut de quatuor



or Summis, qui illud excoluere, Viris nostrum quaecumque judicium expediamus, si minus accuratiorum voluntate & voto; saltem ut nostris circa tam jucundam & utilem materiam sperata voluptati quodammodo indulgeamus.

§. II. Et primo quidem satis certum, Jus Naturae non ab instituto humano profluxisse, cum sub nullius hominis arbitrium cadat; sed ab ipso DEO humanae menti ad vitam & mores regendos esse insitam. Quod cum ita esset, fieri non potuit, quin omni tempore in ejus praecipis erucendis explicandisque a sapientioribus opera poneretur. Et praecipue quidem *Poëtas* jam vetustissimis temporibus vivendi rationem secundum lumen naturae explicuisse, ex *Strabone* & aliis *Scriptoribus*, *Graecis* imprimis, liquet. Penes illos tum quasi Regnum sapientiae fuit; illi morum Magistri, & vitae humanae emendatores, audiebant, eamque de se opinionem excitarunt, ut nihil fere, nisi numeris *Poëticis* inclusum, in lucem ederetur. Postmodum autem ab *Hecataeo*, *Cadmo* & *Phereryde* doctrinae sine numero proponi, atque oratio pedestris introduci coepit. Eminebant autem inter veteres illos *Poëtas*, qui moralem philosophiam tractarunt: *Philemon*, *Amphion*, *Phemius Ithacensis*, *Linus*, *Thamyris*, &c. Subsecutis temporibus cum alii nonnulli, tum praecipue *Socrates*, magno animo & alacritate, summaque industria, doctrinam moralem aggressus est, illamque ea sacris veneratione prosequabatur, ut deserta contem-

taque omni alia philosophiæ parte solam hanc ingenio & meditationibus suis dignam judicaret. Præterea temporibus, quæ infecuta sunt, apud alios *Philosophos*, tam *Græcos*, quam *Latinos*, præcipue *Platonem*, *Aristotelem*, *Ciceronem*, tam præclaræ sapientiæ cultura plurimum viguit. Vid. *Hobbes. d. Cive Pref. ad Lect.* Quorum egregii commentarii de hoc argumento utinam extarent omnes! sed proh dolor! eorum non pauci injuria temporum magno cum damno nostro interierunt. Certe *Populi Romani Liber de Jure Feciali* haud dubie magnam Juris Naturæ partem complexus est, de quo *Cic. III. offic. 29. & I. offic. 2.* *Belli equitatem sanctissime eo perscriptam fuisse*, memorat. De *Aristotelis* etiam *Libro*, quem *δικαιώματα πολιέων* inscripsit, nihil præter nomen inane superest. Vid. *Hug. Grot. de J. B. & P. Prolegom. §. 36.* Sed eorum tamen multis etiamnum per DEI gratiam perfruimur, in quibus præcipue eminent *tres*, quos *Cicero de Officiis* conscripsit, *Libri*, in quibus profecto eloquentissimus *Philosophus* de honesti ratione accurrate copioseque disputat; & hinc non sine judicio illud judicium, cum non nemo existimat, *volumina hæc ediscenda, non modo in manibus quotidie habenda esse*: Sed ita tamen ipse, uti cæteri omnes, circa officia hominis exponenda versatus est, ut ea spargeret, nec sub justæ cogeret disciplinæ formam, indubitatisque & firmis principiis evidenti nexu demonstrata sisteret. Subsecutis temporibus, itidem in hanc fere sententiam multa

ta cum a *JCtis*, ut *Francisco Aria*, *Johanne de Lignano*, *Martino Laudensi*, & iis, qui Jura cujusvis Reipubl. specialia exhibuerunt, tum *Theologis*, ut ab *Henrico Gorichemo*, *Francisco Vitoria*, *Wilhelmo Matthai*, Vid. *H. Grot. d.l. §. 37.* in lucem sunt edita. In quibus tamen id cumprimis desideratur, quod Jus Naturæ non separatim & seorsim tractarunt, sed ejus dictata determinationibus positivis miscuerunt. Neque eorundem distinctio atque separatio ad præsentem usque ætatem facta est. Hoc autem seculo nostro repentina nobis, & cujus ne spem quidem antea concipere quisquam poterat, felicitas obtigit.

§. III. Quippe, stimulante *Nicolao Peirescio*, *Senatore Aquensi*, *Literarum restauratore strenuo*, admirandi ingenii, acerrimique judicii, & vere ἐξοχώτατος, uti non semel doctissimo *Salmasio* audit, Vir, *Hugo Grotius*, patrio e carcere profugus, ea tempestate in *Gallia* degens, *Jura Naturalia* universim certo ordine in plenum systema redigere aggressus est; & quemadmodum præliis ad tam stupendum opus sufficientibus instructus accessit, ita institutum prosperrimus eventus excepit. Exitus est nobilissimus, & sine invidia perennaturum de hoc argumento partum, quem cur *de Jure Belli & Pacis* inscribere voluerit, diversæ conjecturæ sunt. Mihi illa proxime abesse a vero videretur, id ipsum ea ratione inductum fecisse, ut, si quis defectus in novo opere appareret, cum excusaret tituli exilitas. Primo autem constituisse eum de

Jure

*Jure Gentium* inscribere, ejus ad Gallos *Epist.* 78. haud obscure ostendit, ubi & alia habet, & hæc: *Interim non otior, sed in illo de Jure Gentium opere pergo.* Quod idem colligere etiam quodammodo ex operis *prolegomenis* licet. Vid. *Simon ad Grotii hunc librum Prol.* verb. *de Jure Belli ac Pacis.* Nec tamen appellatio *Grotiana* incongrua, aut a significatione *Juris Nat. & G.* alienior. Omnia enim *Juris Nat. & G.* præcepta ad statum *vel Belli, vel Pacis,* revocari queunt, quod prolixius persequitur *Ostiad. Obs. ad Grot. Proleg. in fin. pag. 32.* ubi hæc habet: *Grotii appellatio non videtur difformis.* Est autem in hoc opere *Grotii* studium, judice *Zieglero in animadvers. Prefat.* cre, subtile, & in omnem literaturam summo cum ingenio excurrens. Testes autorum subinde citat optimos autotes. Dicendi genere, uti ipse profiteri non dubitat, in *proleg. §. 59.* utitur conciso & dicenti conveniente. Et hæ præcipuæ ejus virtutes snt. Nunc vitia excutiamus. Et primo quidem arripissimam labem nobilissimo operi adpersit, quod varsum in orthodoxam Theologiam impingit, & admittit heterodoxias. Nam, quod dolendum, & tanti viri famam perpetuo dedecore inquinabit, per totam vitam *Grotius* in religionis negotio vanus & lubricus fuisse videtur. Primo enim, cum adhuc *Syndicus Roterodami* esset, *Arminianos* sectariæ cepit, atque hinc tantæ ipsi calamitatis origo; idcirco cum primis prodidit edito Libello, quem incipit: *Ordinum Hollandiæ & Westfrisiæ Pies-*

tem, in quo praeter alia etiam illa capita, quae Gramistas & Remonstrantes in tam diversas partes distraxerunt, nimirum de praedestinatione, merito Christi, gratia necessitate, modo operationis gratiae & perseveratione, strenue defendit, Vid. *Osiand. Obs. ad Grot. Proleg.* Postmodum Photiniam etiam & Socinianis favere coepit, quod satis ostendunt ejus scripta, quae in *Vetus & N. T.* vulgari, ubique enim arugo Photiniana & Sociniani flosculi occurrunt. Sed & tandem ad Pontificiorum partes inclinare coepit, ut patant, spe purpurae & galerei. Plura vide sis apud laudatum *Osiandrum* t. i.

§. IV. Longam errorum Grotianorum seriem apud *Valentinum Musculum Praef. vers. Gen. Libelli Grot. de Veritate Relig. Christiana* videlicet. Praecipui autem huc redeunt: Nimirum primo CHRISTVM novum Legislatorem ex more Socinianorum facit, & arctiorem proinde obligationem in *Novo Testam.* quam *Vet.* statuit, quae heterodoxa fere & falsa est sententia. Secundum in Divinis non solum praeccepta dari statuit, sed & consilia, quibus si quis disconvenienter agat, nullam incurrat poenam, quod nulla consilii obligatio, sed si secundum ea agas, praemium te & laudem mereri; sed haec pontificios flosculos, & quae ibi ipsis finguntur, opera supererogationis sapiunt, & conspirant plane cum his, quae a *Zieglero ad Gr. pag. 29.* citatus *Bellarmin.* habet *Lib. 2. de Memb. Eccl. milit. cap. 7. Consilium perfectionis est opus bonum a Christo non imperatum, sed demon-*

*stratum, non mandatum, sed commendatum. Differre, ait porro, a praecepto ex parte materiae, quod sit difficilius & melius, ex parte subjecti, quod non sit omnium, sicut praeceptum, ex parte formae, quod non obliget in se, sed in arbitrio hominis positum sit, ex parte effectus, quod non habeat poenam, si non servetur, majus premium, si servetur. Praeterea multa V. T. dicta, quae CHRISTVM respiciunt, in alienum & peruersum cum Iudeis sensum interpretatur, seu judaizat, ut loquitur Kulpis Coll. Grot. Proleg. §. 9.*

§. V. His aliisque ejus erroribus mederi laudando consilio aggressi sunt multi eruditissimi Viri, Commentariis in opus hoc *Grotianum* editis. Et praecipuos quidem eorum hoc loco commemorabimus. *Osiander, Professor quondam Tubingensis, Observationes* edidit, quibus id potissimum egit, ut ab erroribus *Theol.* opus hoc purgatum sine periculo legi posset. Est ejus *Commentarius* satis prolixus, undique longis aliorum scriptorum testimoniis locupletatus. *Baehlerus, judice Pufendorfio de Orig. & progressu Juris Nat.* judicium attulit & doctrinam *Grotiano* operi parem. *Examen Grotii* profunde instituit, atque veritatem dictorum ejus ex veterum factis atque penitiori historia profunde rimatur. Et effecit elegantia commentationis in *duos Libros*, quae extat, ut, *tertium* quoque ab illo illustratum fuisse, optandum sit. *Zieglerius* breves scripsit, sed accuratas notas, & *Jus Civile* magnam partem spectantes, quamvis frequenter etiam

etiam ex Jure Nat. rationum argumenta colligat. *Gronovius* singulari arte *paraphrasen* verborum *Grotianorum* agit, & passim aliunde similia dicta exemplaue conquirat. *Simon* ex Jur. Civili partim roborat eundem, partim confutat, & *Grotium* plerumque ex ipso *Grotio* interpretatur, h. e. locorum diligentem ubique collationem instituit. *Henninges* in tuendis passim *Grotii* sententiis pertinacem operam ostendit, ejusque principia cum aliis conciliare & confirmare nititur. *Jobannes Felde* continuo cum *Grotio* congreditur, & adversarium suum *Grasvinkelium* traducit. Sed in soli *Grotio* immoremur, pedem jam ad ceteros proferemus.

§. VI. Hic autem primo aspectu se nobis offert *Seldenus*, summo Vir ingenij acumine, quae stupendam omnino *antiquitatum Ebraearum* & *Lingva sancta* cognitionem possedit. Is, cum ceteras *Juris Ebraei* partes commentariis illustrasset, manum tandem etiam ad *Jus N. & G. juxta disciplinam & placita Ebraeorum componendum*. Quod opus magnam profecto ejus *arsusum* & vim ingenij ostendit. Sed pleni, & omnibus hominibus inservituri systematis loco esse non potest, idque tribus potissimum rationibus *Puffendorf.* *c. l.* evincit. *Primo*, quia plane non tangit praecognita disciplinae *Juris Nat.*, quorum tamen cognitio & necessaria in ea est, & aliunde exacte peti non potest. Ita nihil habet *Seldenus* de principiis actionum humanarum, de origine moralitatis, nihil de

le origine pactorum, contractuum, obligatione in  
 ermine, nihil de origine societatum primarum, im-  
 perio civili, & aliis capitibus. *Altera* ratio est,  
 quod doctrinae Juris Nat. pro fundamento subster-  
 nit hypothesein, cujus veritas vix omnibus gentibus  
 persvaderi poterit; scilicet, omnia capita Juris Nat.  
 ultimo resolvit in *septem praecepta Noachidarum*;  
 quorum tamen origo & *auθεντία* obscura & incer-  
 ta est, neque etiam eorum necessariam cum huma-  
 na natura convenientiam demonstrat. Adde, quod  
 & insufficientia laborent; neque enim omnibus of-  
 ficiis, Lege Nat. praeceptis, respondent. Tertia ra-  
 tio est, quod placita Doctorum *Ebraeorum* vendi-  
 ri pro dictatis *Juris Natura* non possunt. Neque  
 enim Leges Naturales ex hujus vel illius opinione,  
 sed dictamine rectae rationis, aestimandae sunt. At-  
 que hinc recte optat *Pufend. l. c.* ut *ἀνεπίβηται* su-  
 m adhibuisset in componendo systemate Jur. Nat.  
 universo generi humano usui futuro.

§. VII. Sed, relicto *Seldeno*, alium nunc Ju-  
 ris Nat. scriptorem excutiamus, nimirum *Thomam*  
*Hobbesium, Malmesburiensem Anglum*. Hic vero  
 contendit *Elem. de Cive praef.* omnia se demon-  
 strasse, nihil quicquam probabiliter posuisse, praeter  
 ea, quae de commoditate *Monarchia* praeter *Ari-*  
*stocratiam, vel Democratiam*, argumentis nonnisi sva-  
 riis disputasset. Non vulgare est de ejus *Libello*  
 quem *Element. d. Cive* inscripsit, judicium do-  
 ctissimi *Samuelis Sorberii*, literis ad *Petrum Gassen-*  
*ium* his verbis expressum: *Liber certe est non vul-*  
*garis.*



garis, dignusque, qui omnium, qui aliora sapiunt, manibus teratur, neque (si illa seposuerit, qua Religionem, in qua sumus heterodoxi, attingent,) scriptorem agnosco, qui argumentum scriptetur, quam ille, profundius. Et paucis interjectis: Neminem se novisse, ait, qui sit inter philosophandum magis a praedudiciis liber, quique penitius, quicquid rerum edisseruerit, introspicitur. Et Marinus Mersennus in literis ad modo memoratum Sorberium invida pene elogia libello huius tribuit; eumque opus egregium, ingentem thesaurum literarium, librum aureum, gemmis atque etum ornatum appellat. Ad ejus certe oblitescendum ingenii mirandam aciem; nemo illo cutius cogitat, nemo nexum generis humani profundius rimatur. Cohærent in eo omnia; demonstrationes concatenata rationum serie procedunt. Et præclaram hanc demonstrandi virtutem haud dubie a Mathematicis didicit, quibus diligenter eam constat, navasse operam.

§. VIII. Sed hæc virtutes ejus; nunc vicia contemplemur; quæ, si non plura, & majora, saltem etiam non pauciora, vel minora sunt. Et primo quidem illud in ipso damnandum, quod contempsisse veteres cum primis scriptores videtur, nimis felicitati sui ingenii confusus; hinc raro allegari ab ipso Autores videas; sed pleraque ex ingenii non infelicis penu deprompsit, quæ tamen in matiora multo, & meliora proditura erant, si sententias suas cum aliis communicare, atque ex ratione

num utrinque pondere, utræ prævalerent, sincere estimare voluisset. Alter ejus, isque aliquanto magis execrabilis, error est, quod doctrinæ suæ morali pro fundamento impiam, & si verum fateri libet, in perniciem generis humani natam *hyporbesin* subtravit; *Naturale* nimirum *omnium in omnes bellum*, seu, quod naturalis inter homines metus eos in societatem, & ad alia, quæ Jus Nat. præscribit, officia compulerit. At enim hoc naturale bellum a *cerebello Hobbesiano, Epicuræis* dogmatibus infecto, natum est, & ut dixi, labefactatur eo generis humani vinculum. Sic enim facile quis sub prætextu metus, vel naturalis belli, pacta violare, aliorum pro lubitu aggredi, & quamvis impietatem impune exercere posset. Rationem, cur tam aperta falsam hypothésin in publicum protrahere ausus fuerit, si quæris? ea duplex videtur dari posse. Prima est, ut eo majorem sui admirationem exciret, siquidem hypothésin tam absurdam, & paradoxicam, speciose proponeret, & probabilem efferet, unde, quod *Pufend. c. l.* memorat, *Maurus Britannia Rex Sorberio* dixisse de hoc *Hobbesio* aliquando fertur: *Se illo uti instar urfi ad molossorum dentes tentandos & acuendos.* Altera, ut *Pufend.* suspicatur, cum *Petro Gassendo* in amicitia. Cum enim is placita *Epicuri*, quo velut habitu speciose exornata, in physicis legasset, videtur *Hobbesius* in gratiam amici ejus in Philosophi circa moralia hypothésin in tradendis LL. N. sequi voluisse.

§. IX.

§. IX. Præterea idem *Hobbes.* circa Religionem horrenda sibi fingit dogmata, quæ hic commemorare longum est. Illud certum, virus quoddam occultum ejus scriptis propinari, & indirectè viam ad *Atheismum* abominandum sterni. Nam & expresse in *Libello de Cive* ait, *non omnes homines, sed sapientiores solummodo, DEI existentiam ex lumine Naturæ cognoscere; quemadmodum ex eo, quod proportionem, quam Sphaera & Cylindrum habet, Archimedes invenerit, non sequatur, idem ceteros invenire potuisse; & hic etiam Atheos non injustitiæ, sed solum imprudentiæ reos facit, aitque, quasivisse se diu, & magnè cupivisse Legem Naturalem, juxta quam Athei condemnari possent, sed invenisse nullam.* At enim quo illud *Apostoli ad Romanos: τὸ γινώσκειν τὸ θεῶν?* &c. Et profecto id valde absurdum & Frustranea enim omnia omnino Juris Nat. præcepta forent, quæ officia hominis erga DEUM continent, nisi *Lex Nat.* simul etiam præciperet cognitionem DEI, utpote quam omnia erga DEUM officia præsupponunt. Sed relinquamus hunc insipientem sapientem acutæ stultitiæ suæ. Nunc ultimum videamus; ubi prius meminimus, plures *Hobbesii* sententias confutasse; Inter eos autem *Richardus Cumberlandus* eminent, *Anglus Theologus*, qui in tractatu eruditissimo *de Legibus Naturæ* ex professo *Philosophiæ Hobbesianæ* retortionem suscepit. Cæterum conscripsit sua *Elementa de Cive* hoc præcipuo fine, ut, quia in patria eum

*Anglia*, bellum civile exarserat, variæque quæstiones, de jure imperii, & debita civium obedientia, periculose & cum detrimento auctoritatis Regiæ agitabantur, ipse eandem inclinatam publico scripto, quantum posset, restitutum iret, quo nomine tiam haud exiguam meretur laudem. In eo scripto tractat de officio *hominis, civis, & Christiani*, inde & tres his objectis respondentes partes facit: *libertatem, Imperium & Religionem*. Vid. ipsum *Elem. d. Civ. præf.*

§. X. Sed devenimus jam ad excelsius quodam & eminentius ingenium, nimirum *Pufendorfi*. Hic, cum majorem juvenilis ætatis partem in xcolenda nobilissima hac Juris Nat. disciplina consumpisset, editis *Elementis Jurisprudentiæ Universalis* innotuit. *Heidelbergam* vocatus primus in *la Academ. Professor. Jur. Nat.* titulum & pensionem accepit; quo munere suo præclare & cum omnium applausu perfunctus est.

§. XI. Evocatus postmodum in recens institutam *Academiam Carolinam a Rege Sveciæ*, ejusdem ibi professionis provinciam obiit. Hic vero majori etiam fervore operam præclaræ disciplinæ edit. Emisit in lucem tractatum egregium *de jure Nat. & Gent.* in quo & summam ingenii sui, per *Matbesin*, quam ab ingeniosissimo *Weigelio* hausit, præsertim auctam, ostendit, & illam præcipue calumniam discussit, qua vulgo ipsi, ob non citatos in *Elementis* autores, nonnisi quidam auritus scribendi imputabatur, nulla veterum le-

ctione aliarumque opinionum collatione subnixus  
 Quippe nullum fere in illo tractatu præceptum  
 traditur, quod non *Jurisconsulti, Philosophi, aut  
 Poëta* alicujus gravis, autoritate muniatur. Qui  
 vero nimis amplum diffusumque hoc volumen,  
 neque tyronum captui satis accommodatum; hinc  
 in compendium & synopsis quandam, multis hor-  
 tantibus, id redegit, quam de *Officio hominis & Ci-  
 vis* inscribere visum; ubi velut *Elementa prima*  
 atque *Institutiones Juris Nat.* ad majus opus fa-  
 cilem aditum paraturas, tradit. Sed ut communis  
 magnam virtutem major invidia comitatur; in  
*Pufendorianos* foetus, perque eos plenissimis quasi  
 triumphis invecram gloriam ægre tulere multi  
 Opposuerunt se ipsi: *Nicolaus Beckmannus*, tunc *le-  
 sitionum in Academia Carolina* Professor; præ-  
 terea *Nicolaus Schwarzius*, edito *Novis acrim In-  
 ce, Gesenius, Warembergius, Strimefius, Lyserus,  
 Zentgrafius*, aliique. Nec ipse in sui defensione  
 segnis omnes, qui ipsum vellicabant, acri stylo per-  
 secutus est, & plerasque controversias sub *Eri-  
 dis Scandica* nomine successu temporis vulgavit.  
 Cui ingenio id cum primis maximæ laudi duco-  
 dum, quod ad demonstrandas mathematico nec  
 Naturæ Leges seculum excitavit. Quippe ex *ne-  
 cessaria congruentia aut disconvenientia cum  
 conditione generis humani & socialitatis salu-  
 re*, tanquam genuino, eoque unico, fonte eas  
 promanare, ingeniose vidit, atque præclare de-  
 duxit.

§. XII. At enim, ut suos quisque manes patimur, neminique de immunitate ab omni errore cautum, ita huic summo quoque Viro accidit, ut in particularibus Juris Nat. præceptis exponendis, haud raro extra limites exerraret, sui que immemor principii, & quam sibi proposuerat, methodi, in indifferentibus, pro altera parte, tanquam necessaria, & Jure Nat. vel præcepta, vel prohibita, acriter pugnet, præterea haud semel hæsitaret, sententiæ incertus, veluti non appareret, utrum affirmandum quid, an negandum, juxta naturæ dictata esset. Nihil vero facilius ego existimem, quam ex demonstrato, suisque difficultatibus expedito principio, quale necessarius nexus aut necessaria disconvenientia cum conditione generis humani est, cognoscere, quid circa quidlibet Jus Naturæ disponat. Et ne gratis hæc asseri a nobis putes, ex innumeris non nisi pauca exempli loco suppeditabo. Multum desudat *Pufend.* ut demonstret, licere Jure Nat. in extrema inopia surripere. Et vero verbo satisfieri quæstioni poterat. Nam satis planum, ejus ablationis necessariam cum socialitate disconvenientiam deficere, & sic nullam hic Juris Nat. prohibitionem dari. Quam sollicitus est & prolixus in violenta sui defensione, a nota iniquitatis liberanda? At enim nihilo opus præterea erat, quam inculcare, ex hac defensione ab omni us violenter in vasis suscepta socialitati non imminere destructionem. In quæstione autem: *Utrum valida sit promissio, cui metus causam dedit?*

Negativam ipse tanquam Juris Naturæ adstruit. Et vero, si respexisset ad suum principium, facile deprehendisset, in neutram partem Jus Nat. pronunciaré, propter deficientem validitatis ejusmodi promissif nexum, aut disconvenientiam, absolutam cum conditione generis humani. Finge enim, semper tale promissum obligationem inducere, non metuenda hinc socialitati ruina.

§. XIII. *Legatos ab hostibus ad hostes missos inviolabiles esse Jure Nat.* pluribus argumentis contendit; Cum satis manifestum sit, neque necessario id convenire, neque disconvenire, socialitati, sed in numero rerum Jure Nat. indifferentium ponendum esse. Quam titubat in definienda questione: *Utrum, urgente extrema inopia, liceat aliquem, forte ducta, in cibum jugulare?* Quæ tamen rursus ob deficientem talem necessarium respectum nec perceptivi, nec prohibitivi Juris Nat. est. In *Lib. II. c. VI. §. 8. d. O. H. & C.* inquit, quid obtineat, si plures, societate inita, deliquerint? Et varias determinationes tanquam Juris Nat. adducit; cum tamen earum pleræque non nisi ex ratione naturali defendantur, necessarium de cætero cum conditione generis humani nexum omnino respicientes. Quid enim? Nonne Legislatorum humanorum arbitrio disponi potuit, ut, si aliqui, juncto cœtu & per conspirationem, facinus aliquod petra-verint, non singuli pro omnibus, sed quisque pro sua parte teneri, & si quis eorum evaserit, ejus portio deficiens fati infelicitati imputari de-  
beat?

beat? Non video certe, quomodo hinc necessario socialitati ruina maturetur. Quod sentiendum etiam de eo casu, quo citra conspirationem plures eodem flagitio se obstrinxerunt. Neque enim, quod *Pufend.* vult, prohibet Naturæ Jus, singulos in solidum obstringi. Et fac, hanc obligationem obtinere, salva tamen perennabit humana societas; imo eo sollicitius sibi homines a delictis ejusmodi cavebunt, quo majorem suarum rerum jacturam, si res dimanaverit, facturi sunt; unius solutione reliquos a reparatione damni non liberante. Manifestum præterea est, alternativam obligationem Domini, cujus servus, aut animal, damnum & pauperiem dedit, non esse Juris Naturæ, sed civilis; Nemo enim facile dubitaverit, posse eandem a Legislatore humano tolli, & simplicem in ejus locum substitui, ut vel præcise servum aut animal, quod nocuit, dedere, vel damnum reparare debeat; quamvis pro alternativa obligatione plures æquitas rationes militare, non eam inficias. Similiter regulæ, quas de errore tradit, magis ex æquitate, quam dispositione Juris Nat. obtinent; ut dum non sit, posse mutationem circa eas a Legislatore suscipi, quod est certissimum deficientis naturalis dispositionis indicium. Sed & cum dolus circa pactionis objectum, ejusve qualitates & estimationem, intervenit, cum de ~~totæ~~ voluntas & destinatio paciscendi adfuerit, non præcise ut Nat. arbitrio læsi vult relictum, velitne reparationem læsionis exigere, an contractum dissolvere,

Cc 3

sed,



sed, si libet, alterutrum determinare Lex Civilis potest; cum id non necessario tollat vinculum, quo Societas humana colligatur.

§. XIV. In materia accessionum *Pufendorfius* hanc regulam, tanquam Juris Nat. loco fundamenti substernit. *Qui est dominus rei, ad eundem quoque pertinent accessiones, & quavis emolumenta.* Quod si ita esset, peccarent igitur Leges Civiles, quæ locis non paucis fisco addicunt alluviones, aliasque accessiones. Ordinem in bonis defuncti succedendi talem vi Juris Nat. tradit; quo fratribus nonnisi tum, quando parentes deficiunt, hæreditas deferatur. Quid vero, si Lege alicubi sanciat, ut una cum parentibus fratres vocentur, vel etiam hi soli? Inde certe socialitati non auguror interitum. Quamvis hic cautius loquatur *Pufendorfius*, neque id videatur secundum Jus Nat. obtinere velle, cum addit: *ad lites evitandas in plerisque civitatibus ordinem succedendi accurate determinatum esse.* Ulterius vult, re aliena bona fide consumpta, tantum restitui supervenienti vero domino, quantum quis inde sit factus locupletior. Neque vero hinc dissolvatur humana societas, si universaliter fingatur receptum, ut bona fidei possessor extantes solum fructus restituat, consumptos autem faciat suos, secundum regulam: *Bona fides tantum præstat bona fidei possessori, quantum domino rei veritas.*

§. XV. Præterea in contractibus, utpotè in quibus observanda justitia commutativa, vult e-

macta

nam secundam Jus Nat. inæqualitatem corrigi,  
 etiam citra culpam contrahentium contingentem;  
 quamvis, addit, ad declinandam multitudinem li-  
 um Leges Civiles vix aliis, quam enormibus, læsi-  
 nibus medeantur. Hoc vero rursus cum genui-  
 o Legum Naturalium principio stabulari non  
 potest. Quippe manifestum, minimæ læsionis im-  
 unitatem non esse conjunctam cum socialitatis in-  
 ritu. Faciamus enim, quod etiam probabile, in-  
 omnes homines recipi, ut, nisi dolus alterius par-  
 deduci queat, inter contrahentes læsio modica  
 lerari debeat, non video, qui inde vinculum  
 manæ societatis pereat. Et expeditæ illud quo-  
 re veritatis est, quod præcipit Naturæ Jus, ejus o-  
 fissionem tolerare Legem Civilem non posse. Quod  
 igitur, ut *Pufendorf.* censet, Jus Nat. minimam  
 equalitatem imperat corrigi, non nisi obsequii glo-  
 Legislatoribus relicta, ut, nisi peccato se obstrin-  
 re velut, eandem impunitam relinquere non  
 ssint. Unde apparet, præcipere quidem Jus N.  
 rrectionem læsionis, sed generaliter solummodo,  
 juxta Reipubl. salutem relinquat Legislatori de-  
 minandum, quanta ea esse debeat, ad hoc, ut is,  
 i habet justo plus, teneatur pati, ut vel negotium  
 itum declaretur, vel pensatio ipsi imponatur.  
 on secus fere, atque pœnæ, coërcendis delictis, di-  
 tæ Jure Nat. non sunt, sed determinandæ Legi-  
 s Civilibus ex socialitatis usu relinquuntur. Ut  
 inde correctio inæqualitatis, determinate & hy-  
 thetice spectata, in numero rerum Jure Nat. in-  
 disse-

differentium, ponenda sit. In quorum censu etiam est obligatio commodatarii ad rem, quam gratis ad certum tempus utendam accepit, commodanti, qui ob inopinato emergentem casum ea opus habet, sine mora restituendam; cum tamen eandem, tanquam Jure Nat. præceptam, exponat *Pufendorf*. Quid enim ad destruendum socialitatis nexum valeat, si homines, confisi pacto, quo gratuitus rei usus ad tempus concessus est, domino rem jure maturius repetenti denegent? In neutram igitur hic partem pronunciat Nat. Jus. Et hinc arbitrio continetur Legislatoris, utram eligere, subditisque injungere, velit. Præcipue cum quandoque multo gravius damnum fit incursum commodatarius, ex intemptiva redditione, quam commodans, dum longius, quam ipsius res ferunt, humanitati indulget. In eadem materia illud quoque contendit, æquius videri, rei commodatæ interitum ferri a commodatario, eo casu, quo, si apud dominum remansisset, peritura non fuerat. Ubi si, quod voces *æquius, videtur*, innuunt, de ratione, non Jure Nat. sermo, nihil est, cur in sententiæ ipsius veritatem inquiramus; si, quod ipso Naturali Jure est dispositum, tradere intendit, nulla apparet ratio, quæ nobis persuadeat, salutem hominum periclitaturam, si, ut alias regulariter, ita etiam in composito, commodanti sua res pereat, *L. 25. ff. de R. J.*

§. XVI. In contractu *locationis conductivæ* inhumaniter fieri *Pufendorf* censet, si, qui operam

am alicujus continuam mercede conduxit, eidem aſu quodam per modicum tempus afflicto de pensione quicquam detrahat. Ego vero nullam hinc prohibitionem Juris Nat. invenio. Neque enim vel maxime ab omnibus locatoribus operarum fiat, propterea deſtructio ſocialitatis metuenda, uin potius pro excuſando ipſo inſignis æquitatis species. Nam ſolvitur merces pro operæ præſtatione, qua proinde deficiente, recte illa denegatur. Quare beneficii quidem occupabit gratiam, qui inſolentiam alterius factorum rationem habuerit; in egeſtem autem Nat. nullam peccaſſe cenſebitur, qui contractus initi rigorem tenaciter ſecutus fuerit. Quod de eo quoque dicendum, qui ex mutuo uſuris ab extreme pauperibus hominibus exigit. Nam, quod quiſque obſtrictus ſit, ad egeſtatem pauperum ſublevandam, nullus eo inſicias; trahi vero nec ad contractus non poteſt, utpote a quibus, juxta juſtitie commutativæ normam, perſonarum reſectus merito exulat. Neque, ſi prohibitiva Nat. ex adefſet, liberari ab iniquitate poſſet forum civile, quod hoc caſu creditori actionem adverſus egenum debitorem, etiam ad uſuras accipiendas, impeditat. Quod enim *Pufend.* ait, mutuum eemofynæ vicem ſubire; id obtinet, ubi id voluerit creditor; invitum autem nulla Lex ad uſuras mittendas obligat.

§. XVII. Præterea *Pufendorſus* exiſtimat, ſecundum Legem Naturæ prius conveniendum eſſe editorem principalem, quam fidejuſſorem; ita


ut, si secus fiat, exceptione excussionis hic se tueri possit. At enim hic nexus necessarius cum conditione generis humani deficit. Nihil enim socialitatis saluti decedit, etiamsi vel maxime non tantis vis fidejussorii vinculi ponatur esse, ut fidejussor ante principalem conveniri possit. Accedit, quod utique fidejussor non in eum casum se obliget, si principalis debitor non potuerit solvere, sed, si non solverit. Quae conditio existit, ubi intra tempus, quo solutio facienda erat, non fuit praestitum, quod debebatur. Igitur cum utraque natura fidejussoris repugnet, & disconvenientia necessaria cum nexu generis humani desit, apparet, quaestionem hanc concernere rem, Jure Nat. indifferentem, posseque Legislatorem omnino sancire, ut fidejussoria obligatio, quoad solvendi necessitatem, pari omnino passu cum principali ambulet. Nec minus a vero aberrare, mihi quidem, videtur *Pufendorffius*, cum eo casu, quo plures se pro uno obstrinxerunt, singulos non nisi pro rata dispositione Juris N. obligari statuit. Nihil enim impedit, quo minus omnes in solidum per Legem Civilem obligentur, ob deficientem necessariam cum natura humana repugnantiam; quod sine fieri non posset, siquidem Naturae Jus ejusmodi obligationem vetaret.

§. XVIII. Ulterius *Pufendorffius* censet, Juri Naturae repugnare *Legem commissoriam*, pignori adjectam, quatenus nimirum debiti quantitatem

pigno-

gnoris æstimatio excedat. Ubi itidem non amm-  
 lvertere videtur, quod, quamvis ratio fortasse a-  
 qua naturalis validitatem hujus pacti impugnet,  
 illa tamen hic Juris Naturæ prohibitio evinci pos-  
 , nisi, pactum illud socialitati necessario discon-  
 venire, doceatur; id autem fieri non posse, in apri-  
 o est. Et, si rationibus naturalibus militandum  
 , non deficit pro eo defendendo æquitatis, species.  
 um enim rem donare quis possit alteri, videtur  
 idem jure alteri illam pignori ita dari posse, ut in  
 sum deficientis solutionis promissæ, majus ali-  
 od inde lucrum ad creditorem perveniat. Sed  
 illa quæstio: *An is, pro quo ignorante tertius*  
*lovit, ab obligatione eximatur?* non est Juris Nat.  
 iamvis sic sentiat *Pufendorfius*, sed rem mere  
 differentem concernit. Quis enim vitio vertat  
 legislatori, si ad dissolvendum debitum, per præ-  
 tionem, a tertio factam, desideret scientiam de-  
 oris? nulla hinc metuenda socialitatis destru-  
 o. Nec approbanda videtur dubitatio *Pufen-*  
*rsii*, qua se ipse suspendit in decidenda quæstio-  
 : *Utrum polygamia virilis Juri Nat. repugnet?*  
 am in utramque partem plures rationes conge-  
 , suo desuper judicio suspenso. Id ipsum vero,  
 od rationes naturales utrinque suppetebant, exi-  
 ere ipsi scrupulum & admonere poterat, quæ-  
 onem hanc Juris Nat. non esse, propter defectum  
 cessariæ disconvenientiæ, aut nexus, cum condi-  
 one generis humani, & hinc polygamiam hanc  
 re Naturæ permissam esse. Nulla enim inde  
 san-

· fangvinis, & officiorum, quæ inter parentes & li-  
 beros mutua intercedunt, confusio, cujus intum  
 polygamia muliebris vetatur. Sed nolo hæc hoc  
 loco prolixius; cum ex allatis facile patere possit,  
 haud paucâ ejusdem generis in medium afferri pos-  
 se. Hæc vero indifferentiam cum præceptis Juris  
 Nat. commixtio insignem remoram solidæ cogi-  
 tationi Juris Nat. injicit: ut obscurum sit, circa quæ  
 Legislatori, seu Divino, seu humano, arbitrium  
 sit relictum. Quibus tamen in præsentiarum dis-  
 cussus immorari non libet. Siftimus proinde gra-  
 dum, Divinæque Benignitati, cui hanc, qualiscun-  
 que est, meditationem unice debemus, infans  
 grates devota mente decernimus.



DISSERTATIO XIII.

DE

AUTORITATE JURIS CIVILIS  
CIRCA OBLIGATIONES  
NATURALES.

PROOEMIUM.

Quam difficile sit, limites definire, quibus Jus Positivum continetur, & extra quos Legislatorem exerrare nefas est, satis intelligunt, quotquot interiorum generis humani nexum, totamque socialitatis compagem, sedulo scrutantur. Cujus difficultatis origo cum ex variis causis repeti queat, tum vero mixta ex eo potissimum nata esse videtur, quod paucissimi sint, qui ex universali quo, omnibusque dubiis expedito, incipio demonstrationes moralium firmiter nexu deducant; unde est, quod multae hodie misere torqueant, pluresque rationes & rerum argumenta colligant, in præceptum vel prohibitio naturalis agenda confirmandaque est. Quem  
ca Naturales Obligationes Legesque  
homi-



homini insitas versandi modum, si inane & absurdum esse dixerō, venia dabitur, mitius vocabulum haut invenienti. Cum enim propemodum in omni quæstione rationes æquitatis in utramque partem suppetant, qua ratione expedies te, aut ubi exitum in illo rationum certamine invenies? Nam utra firmiores sint, & a veritate propius abeant, nemo æstimabit, nisi ex norma quadam, quæ certa esse debet, omnique dubitationi ansam præscindere. Quare ego ita habere soleo: In omni quæstione, de naturalibus rationibus, instituta in promptu esse decisionem, neque proluxa disputatione egere. Qua vero ratione erenda ea sit, in generalissimis præceptis permulti docuerunt, pauci circa specialia ita versati sunt, ut rectam, quam primo ingressi erant, viam insisterent, neque ad meras æquitatis rationes cumulandas operam conferrent. Scio equidem, excelso cuidam ingenio, quod inter Seculi hujus Papinianos referas, propositum inde ab aliquot annis fuisse, acutiorem falcem in hanc disciplinam immittere, eamque fastigio suo propius admovere; cujus industriæ admirandoque mentis ac-

cumt

cumini sicuti Jurisprudencia haud parum  
 debet; ita methodi, quam sequi consti-  
 tuit, prima elementa, ante paucos annos  
 publici juris facta, dubium mihi relin-  
 quunt, utrum omni defectui remedium  
 sit allaturum. Illud vero si consequa-  
 mur, ut in omni quaestione dispositio Ju-  
 ris conati, mentique humanæ insiti, in a-  
 rrico sit, erit in promptu decisio pluri-  
 narum quaestionum, quæ inter interpre-  
 tes magno impetu, acerrimaque conten-  
 tione, agitari solent. Manifesti etiam e-  
 unt limites, quibus humani Legislato-  
 ris potestas terminatur; neque pergent  
 cepti homines, injustitiæ Leges positi-  
 vas arguere, quodvis stultæ & prurientis  
 rationis suæ dictamen pro Jure Naturali  
 menditantes. Quod ut recte feliciterque  
 sequamur, in illud præsertim omni stu-  
 dio incumbendum, ut æquitas Naturalis  
 Jure N. ipso evidenti accuratoque di-  
 scrimine separetur. Hinc enim præci-  
 sa tam vani litigii origo. Quippe a  
 ligo Interpretum qualiscunque species  
 civitatis continuo pro Jure Naturæ ha-  
 bentur; cum tamen maximum inter hæc  
 discrimen intercedat. Manifestum  
 est, persæpe naturalibus rationibus  
 ali;

aliquid defendi posse, quod tamen sub  
 objectum Juris Nat. haud cadat, & con-  
 tra iisdem impugnari posse, quod per  
 Leges insitas in vetitum haud iuit; nec  
 raro pro utraque quæstionis propositæ  
 parte æquitatis rationes pari propemo-  
 modum robore militare, quæ a vulgo, si-  
 te perpetuo duratura, ultro citroque di-  
 sputari solent; cumque apud omnes in  
 confesso sit, eam esse Juris Naturalis in-  
 dolem, ut, profitente ipso Imperatore in  
 §. ii. l. d. J. N. G. & C. Divina quadam  
 providentia constitutum semper firmum  
 atque immutabile permaneat; simul ve-  
 ro manifestum sit, non per omnia Legi-  
 bus Naturalibus positivas servire; qui  
 utrumque fiat, & quatenus illibatam ob-  
 ligationum naturalium virtutem servari  
 oporteat, anxie quæri, & mirum in mo-  
 dum disceptari solet. Qua in re inge-  
 nium pro virili exercere, animum indi-  
 xi. Quam operam in explicanda ratio-  
 ne Legum perutilem, Tibique non o-  
 mnino ingratham, fore confido. Quod si  
 tamen accuratiori lima egere videatur,  
 cogitabis, mirum non esse, me in argu-  
 mento, quod adhuc tot præclara ingenia  
 torfit, enucleando explicandoque aliqui  
 ref-

reliqui fecisse; cui nulla major voluptas accidere potest, quam, quæ rectius dici queant, moneri, vel certe, si nullum dubium occurrat, opinionum veritatem experiri. Quam in iudicando æquitatem liberale quodque ingenium adhibere; & nihil ad gloriam, commodumque suum, sed omnia ad proximi utilitatem eferre solet. Tu vero, Summe DEUS, instituto meo ades, animumque & hunc vultum ita rege, ut omnia ex animi sententia succedant!

## Summa totius Dissertationis.

I. *Quæ ratio sit Juris Civilis ad Naturale, ostenditur ex indole Juris Prætorii. Exponitur, quo sensu dicatur Jus Civile corrigi vel impleri a Præatore, & præsentis Disputationis argumentum enarratur.*

§. II. *Ad definiendam Juris positivi circa Naturale auctoritatem monetur, ante omnia expendendam esse civitatum, humaneque potestatis originem; refellitur eorum sententia, qui illam æturali ordine repetunt. Ostenditur, neque simplicem, neque compositam aliquam Societatem colligi citra pactum posse. Refutatur etiam illorum sententia, qui originem civitatum ad naturam referunt.*

§. III. *Fit progressus ad genuinam sententiam*

Dd

tiam

tiam explicandam, & evincitur, homines in civitatem coisse, ut contra mutuas invasions se munirent. Quae ratio civitatum impulsiva fuit, prolixè explicatur. Ostenditur, ad hunc finem duo fuisse necessaria, summam potestatem, & voluntatum consensionem.

§. IV. Enerrantur pacta, quibus civium coaluere.

§. V. Pactum, quo uni vel pluribus summa Potestas committitur, accuratius expenditur. Potestas hujus objectum excludit actiones extra administrationem civitatis susceptas; unde peccata imperantium subditis non rectè imputantur.

§. VI. Evolvitur quaestio: An Lex Civilis sit in N. de facto repugnare queat? quod negat Hobbesius, cujus sententia absurditas ostenditur. Affertur exempla LL. Civilium cum Jure Naturae pugnantium, & ostenditur, in statu quoque naturali alienum dari.

§. VII. Excutitur quaestio: An Legislator sit obstrictus, ut omnibus Legibus Naturalibus Civile praesidium addat? Quod negatur, explicaturque permissio in foro civili inchoat.

§. VIII. Legislatorem humanum efficere posse, ut obligatio naturalis cesseret, demonstratur. Diluitur dubium a Naturali Juris sui persecutione petitum. Subjungitur obligationis divisio in Naturalem & Civilem, illiusque subdivisio in perfectam & imperfectam.

§. IX

§. IX. Agitur de obligatione ex beneficiis orta; cujus indoles prolixè exponitur, & Grotius refutatur.

§. X. Probatur, heredem non esse obstrictum in conscientia, ut, non detracta quarta Falcidia, aut Trebellianica, legata præstet, & hereditatem ejusve partem restituat. Refellitur vulgata opinio, & hanc materiam Jure Naturali indifferentem esse ostenditur. Respondetur ad varias eges obstantes.

§. XI. Tractatur argumentum de hereditate, ex testamento non rite confecto alii restituenda. Ostenditur, frustra fingi obligationem naturalem, quæ conscientiam non adstringat. Recutatur opinio Mastertii, ejusque argumenta discutuntur. Sub finem plura exempla obligationis vere naturalis subjiciuntur.

§. XII. Fit progressus ad obligationes naturales, remissiores effectus in foro civili producentes. Cujusmodi effectus recensentur. Agitur obligatione, ex pacto nudo orta.

§. XIII. Definitur obligatio mixta; quam nisi presumta equitate aliquando nisi, ostentur; ejusque exempla enarrantur. Additur mixtae obligationis nova divisio.

§. XIV. Evolvitur prolixè questio: Utrum definiendo modo transferendi dominium Jus Jure Naturali adversum sit? Ubi evincitur, naturaliter citra traditionem dominium transire se. Expenditur sententia Pufendorffii; contra

quem defenditur, nihil impedire, quo minus ante traditionem apud venditorem dominium proprietate remanere dicatur.

§. XV. Notatur Vinnii opinio; neque ad dominium acquirendum opus semper apprehensionis esse, ostenditur.

§. XVI. Transitus ad materiam promissorum, quae per vim extorta sunt. Hac invidi Jure Nat. esse, pluribus argumentis constructur.

§. XVII. Pufendorfsii sententia contra Uffelmannum defenditur, ejusque dubia examinantur, & diluuntur.

§. XVIII. Respondetur ad reliqua Uffelmanni argumenta.

§. XIX. Huberi opinio refellitur, ejusque dubia dissolvuntur; quae occasione ambigunt, quae in voce equitatis est, recte evolvitur.

§. XX. Inquiritur: Utrum circa materiam contractuum innominatorum Juri Civili cum Naturali conveniat? Quod varie consideratur.

§. XXI. Notatur alia singularis Mafferi opinio. Explicatur L. 7. §. 2. ff. d. Pact. Ostenditur, dationem, vel factum, ad formam contractuum innominatorum pertinere, neque respectum mutuae prestationis obligationem inducere. Exponitur, quid ουαδδαγμα in contractibus innominatis complectatur.

§. XXII. Fit transitus ad materiam delictorum

um, ubi puniri haud posse, qui non deliquerint, arie probatur, & dispositio L. Quisquis. C. ad L. ul. Maj. defenditur.

§. XXIII. Agitur de obligatione mere civili; qualem non dari citra aequitatem naturam, prolixè confirmatur; atque ad dubium referretur.

§. XXIV. Excutiuntur exempla obligationis vilis, qua vulgo in medium afferri solent, & reditur ratio, cur aliquando ex negotiis naturaliter invalidis actionem Leges Civiles concedant, quae inde per exceptionem a Praetore suggestam elicitur.

§. XXV. Eruitur genuinus sensus variarum gum obstantium; puta L. 3. §. 1. ff. d. Const. pec. 59. ff. d. Cond. indeb. L. 16. ff. d. Fidej. L. 1. ff. de vat. Sequitur ad ultimum conclusio.

### §. I.

Ulam rationem Jus Praetorium ad Civile habet; eadem prope est Juris Civilis ad Naturam. Neque enim Praetor potestatem mutandi Civile sibi vindicare, neque statuere quicquam erat, quod ejus dispositioni esset contrarium. Neque cum facultas corrigendi vel supplendi Jus Civile Praetori tribuitur in L. 7. §. 1. ff. d. J. & J. in eum sensum accipiendum est, quasi illud ordinem redigere, & pro arbitrio mutare interm ipsi fuisset; sed corrigere dicebatur Jus Civile, cum adversus actionem de Jure competentem



tem exceptionem suggessit, quo ipso non tollebat actionem, quamvis ejus effectum tali remedio interciperet. *Supplevit* autem Civile Jus, cum de materia illo Jure indifferenti aliquid constituit. Sic, data bonorum possessione, ad hereditatem ab intestato vocavit, quos Civile Jus non quidem ab eadem directe excludebat, nullo tamen remedio ad eam consequendam armaverat. Neque sanctorum est indoles Juris Naturalis. Quantumvis enim ab illo recedat aliquando Jus Civile; certum tamen est, nihil ei contrarium hoc Jure disponi posse, & si quid tale reperitur, nullam inde obligationem in subditis nasci; cum circa Naturalia Jura Principi non minus, quam privatis, obsequii necessitas incumbat. Enimvero iis, qui genuinum Juris N. principium non satis perspectum habent, haud raro, quod Jure Civili sancitum est, collidi cum Lege Naturali videtur; quod eo multos perduxit, ut prolixas de Injustitia Legum Romanarum querelas instituerent, vel certe, in consensione eruenda, demonstrandaque, ita se implicarent, ut viderentur exitum invenire non posse. Quamobrem haud inutile fuerit, distancte exposuisse, quatenus Jura Civilia Naturali Lege deflectere, atque obligationis, quam hæc injungit, effectum suspendere; infirmare, ut circumscribere queant. Quæ res: ad multorum Juris textuum, præsertim *L. 6. ff. d. 7. & 7.* sententiam recte eruendam non parum faciet, & questionis fines utriusque Prudentiæ, Naturalis atque Civilis, regere oporteat, perspicue ostender. Neque

vero

vero vocabulorum, quæ hic satis plana sunt, expositioni, ut vulgo fieri consuevit, immorari libet. Quid enim obligatio & quotuplex sit, ex infra dicendis rectius patebit. Quare citra ambages ad rem ipsam accedimus.

§. II. Sed ne qua nos in tractatione difficultas premat, adeoque evidenter ostendi possit, quomodo vis Legis Civilis valeat; operæ pretium fuerit, breviter excussisse originem humanæ potestatis, & quibus pactis coaluerint civitates. Ubi eorum error pridem detectus est, qui, nullis interuenientibus pactis, *per naturalem ordinem atque consecutionem* civitates productas autumant. Vid. *Mufendorf. d. J. N. & G. L. VII. c. 1. §. 5.* Primo enim pars aliquod mortalium fuisse, amore conjugali conjunctum; ex eo natos liberos; inde ortam familiam; ex pluribus familiis demum irrexisse civitatem. Quem quidem ordinem nemo facile impugnaverit; neque enim tales civitates, quales jam conspiciuntur, repente extitisse, cuiusmodi sano in mentem veniet. Enimvero quod illi, qui ad naturalem ejusmodi ordinem confugiunt, aliis persuadere conantur, naturali quadam eluti necessitate, citra intercedens pactum, homines in civitatem compulsos, anile commentum est, & rorsus perinde, ac si quis dicat, vestem *naturali ordine atque consecutione* productam; ex vellere vivum enim lanam, ex hac pannum; inde togam sortam esse; adeoque sartorum, aliorumque, operam nullam intervenisse. Primo enim intelligi

non potest, quomodo par illud mortalium in amorem mutuum exardescere, & conjugalem societatem citra consensum & pactum inire potuerit. Ad eundem modum pactis fuit opus, ut in familiam homines coirent, nisi fortasse dixeris, per naturalem consecutionem factum, ut alius domini, alius servi personam indueret, ejusque jussa prompte capesseret; quod quam puerile sit, in aprico est. Nam & Aristoteles, cum quosdam *natura servos* dixit, non id voluit, citra ullum factum institutumque humanum, per solam naturam aliquos cogi aliis subesse, sed hoc innuit, tantum esse hominum quorundam stuporem, ingeniumque adeo hebes, ut suis ipsi rebus præesse nesciant, hisque rectius consuli, si aliis se subjiciant, atque ad eorum arbitrium suas actiones componant, quam si ingente stupiditati suæ relinquuntur. Maxime vero citra pacta fieri non potuit, ut in ejusmodi coetus, quos civitates appellamus, homines congregarentur. Quamvis enim largiamur, familias fortasse aliquot primum segreges in eundem deinde locum sedem transtulisse, atque ultro citroque humanitatis officia exercuisse; nulla tamen ab altera postulare potuit, ut suæ directioni subesset, atque a se Leges acciperet, nisi super eo aliqua conventio fuisset celebrata. Nemo enim me actionum mearum rationem jure poposcit, nisi cujus imperium expresse, vel saltem tacite, agnovi, quique justas causas allegare novit, quare sua jussa venerandi necessitatem mihi injungat. Nihil etiam illi afferunt, qui

ori-

iginem civitatum immediate a *natura* repetunt; ejus fabulæ sat solidam a se rationem citari creunt, quod homo sit *ζῶον πολιτικόν*, adeoque ardentissima cupiditate in conjunctionem cum aliis ratur. Atqui natura homo ad aliquam occupationem inclinatur; neque tamen propterea animum necessario ad multriculam appellit, aut pecuariam exercet. Naturalibus istis stimulis, qui societatem commendant, satis litare homo per primas societates potest, adeoque nulla ipsum necessitas subit, ut cum pluribus familiis in civitatem coeat, eaque isti naturali inclinationi mulcendæ oram prolixè navet. Add. *Pufendorf. c. 1. §. 2.*  
79.

§. III. Certe qui indolem hominis, ejusque naturalem pravitatem, & studium nocendi, profundius rimantur, facile deprehendunt, principem causam, quæ civitatibus originem dedit, fuisse, ut homines valido se præsidio contra aliorum incurfiones, malitiam, atque fraudes, munirent. Neque enim libido nocendi, quæ maxima in homine est, alius cohiberi, & tam acres cupiditatum stimuli, in animum ejus pervellunt, efficacius retundi queunt, quam intentato gravi malo, quod statim representandum sit, si quis affectus, aut voluptatum cebras ante officii sui partes habeat, pravisque inclinationibus molestiam afferre aliis concitat. Illa enim modesta ingenia admodum rarant, quæ solus naturalis pudor intra limites continet, quæque ultro ab aliis lacessendis perpetuo si-

bi temperant. Quod si ergo concipiamus, homines in statu naturali degentes consilia inire de securitate adversus aliorum injurias sibi circumponenda; intelligimus, nullum aliud excogitari potuisse, quam ut unusquisque auxilia quæreret, quibus sui invasio adeo periculosa aliis videretur, et satius ducerent, manus cohibere, quam conferri quiescere, quam turbas concitare. Neque vero illa securitas expectari poterat, si pauci in mutam opem conspirarent; quippe qui sic facile vel improviso facinore opprimi, vel a pluribus, in perniciem eorum conjunctis, aperto etiam Marte expugnari posse videbantur. Quare opus erat insigni quadam hominum multitudine, quæ hostibus vel plane præcidere, vel saltem ancipitem reddere spem victoriæ posset, si arma contra eam expedire auderent. Add. *Hobbes. Elem. d. Civ. cap. 8. §. 3. p. m. 74.* Neque vero hæc plurium conspiratio in mutam opem, quamvis pacto confirmata, sufficit ad communem felicitatem, stabilemque pacem conservandam. Neque enim omnes moderati, promissorumque & officii sui adeo memores sunt, ut semper communi utilitati plus, quam suæ, consultum velint; qui plerumque ad procurandum commune bonum non honeste, sed sive privati boni, ut puta lucri, sive gloriæ seducuntur. Sic ergo facile fieri potest, ut voluntates primum inter se unitæ, atque in mutua subsidia intentæ, ubi privatum commodum a publico discrepare visum, rursus distrahantur, atque demum

diversa

versa tendunt, & mutuae oppressioni occasio-  
 em, & hostibus externis nudum latus præbeant.  
 ccedit, quod non omnibus ea mentis acies est, ut  
 id optimum factu sit, perspiciant; & tantus  
 cultorum torpor, animique mollities, ut tempus  
 cito exigere, quam laborem, subire malint; præser-  
 tim si executio ejus, quod faciendum intelligunt,  
 cum insigni molestia conjuncta sit, viriumque in-  
 fensionem requirat. Quare opus fuit, ut, qui in  
 civitatem coalescere decreverant, dispicerent, qua  
 ratione perpetua quædam unio voluntatum confer-  
 ri, & qui semel in mutuam defensionem consen-  
 set, ad eam juvandam modisque omnibus pro-  
 movendam compelli possent; & quas sola hone-  
 stas rectique studium intra officii limites non con-  
 tineret, vi metuque ad partes ejus recte tuendas  
 impigerentur. Huic fini consequendo duo require-  
 ntur. Primo ut omnium, qui in civitatem coi-  
 ri erant, in posterum una voluntas esset; adeo-  
 que non distracti sententiis, a publicæ salutis cura  
 ricolose diverterent. Deinde ut constitueretur  
 quæ potestas, per quam omnes factiones machi-  
 nationesque adversus bonum commune enervari,  
 omnes in officio contineri, & qui publicæ utilitati  
 nocerentur, in ordinem redigi mature possent.  
 præsertim autem est, unam voluntatem ex pluri-  
 bus ita fieri non posse, ut hæc per physicam quan-  
 tum transfusionem combinentur; vel saltem re-  
 ra semper, quod unus, vel aliqui, volunt, in id  
 aliorum etiam voluntas feratur; igitur non alia  
 ratio

ratione una omnium voluntas erit, quam si unusquisque suam voluntatem unius hominis, vel concilii, voluntati ita subiciat, ut deinceps pro omnium voluntate accipiendum sit, quicquid homo ille, vel concilium, circa ea, quæ ad publicam salutem & pacem communem pertinent, voluerit; quævis fortasse aliquorum cogitata in contrarias alicubi partes discesserint. Neque etiam naturales omnium vires combinari, atque in unum cogi posse, in confesso est; unde potestas, quam singulis in civitate vereri oporteat, non aliter nascetur, quam si unusquisque declaret, quod opibus viribusque suis ita deinceps uti velit, sicut illi, in quam summa rerum collata esset, placuerit.

§. IV. Manifestum vero est, pactis atque conventionibus ad hanc rem opus esse, citra quæ multitudo congregata in ordinem, & formam quædam civilem componi nullo modo potest. Ad recognoscendum autem, quæ & qualia sint illa pacta, non magno labore opus est. Liquet enim, primum pactum esse, quo plures in perpetuam conjunctionem conspirant, quodque in posterum junctis viribus consiliisque communem pacem tueri, adque certis institutis, & ordine, in unam civitatem coalescere velint. Atque in hoc pactum singuli consentiant, oportet. Nam cui istæ conditiones non arriserint, extra civitatem erit. Pactum hoc ad quod incunabula quasi & primordia futuræ civitatis referenda sunt, excipit decretum, quo definitur, qua Imperii forma in civitate utendum sit, & cujus

ujus placita in posterum pro communi omnium voluntate habenda sint. Facto hoc decreto, novum pactum ineundum est, cum illo nempe, vel his, quibus summum imperium committendum est; quo mediante unus homo, vel concilium, cum publicæ salutis, & administrationem liberriam rerum communium in se recipit, cæteri vero obsequii promptitudinem, atque subjectionem, omittunt. Hæc submissio, & virium voluntarumque unio, ubi facta fuerit; tum demum perfecta civitas, societatum atque personarum moralium validissima, exurgit. add. *Pufend. de J. N. & L. VII. c. 11. §. 7. seqq.*

§. V. Enimvero posterioris hujus pacti, quod quasi formam civitati largitur, indoles paulo pressius pervestiganda; ex eo enim potissimum conoscitur, quousque vis imperii civilis valeat, & utenus leges, ab imperantibus latæ, subditos obligant. Patet autem, id agere hoc pacto eos, in unam civitatem coeunt, ut voluntatem suam ejus arbitrio subjiciant, cui summa rerum datur; adeoque declarent, quod in posterum actiones suas secundum voluntatem ejus attemperare velint, & pati, ut naturalis sua libertas ex utilitate publica circumscribatur. Qua ratione etiam, qui in civitate vivunt, una quasi voluntate efficiuntur. Neque vero hoc laxè nimis accipiendum est; quasi indefinite omnes actiones, quas specturus esset imperans, reliqui etiam sibi impulerint. Quousque vero hoc procedat, e scopo



po paciscentium, & veluti materia hujus pacti, cognoscendum est. Apparet autem, supponere alteram paciscentium partem, cum, cui rerum summa committitur, in præscribendis Legibus Jura Naturalia atque Divina ante oculos habiturum, adeoque nihil eis contrarium subditis injuncturum esse. Cum enim, qui in civitatem congregantur, libertatis bonorumque suorum majorem defensionem intendunt; negotia, quæ ad pacem communem pertinent, ad eum finem ab imperante attemperant, sibi tacite saltem stipulantur; quod ipsum inducit conformitatem Legum Civilium cum Naturalibus; quia hæc necessarium nexum cum sociatione, adeoque etiam cujusque peculiaris societatis habent. Præterea luculentum est, non includi hoc pacto illas actiones, quæ ab eo, penes quem civile imperium est, circa res alias, quam administrationem civitatis, suscipiuntur. Unde maleficia ab imperantibus admessa, imputari singulis non possunt; neque actiones naturales, quæ ab eis præstantur, pro subditorum actionibus habende.

§. VI. Expensa pacti illius natura, per quam in unum, vel plures, imperium in civitate transferatur, propius ad institutum accedimus. Facilem jam nobis est, expedire quæstionem: *An fieri queat, ut Lex Civilis Juri Nature repugnet?* Negare hoc ausus *Hobbesius Elem. d. Cive. C. II.* §. 10. merito propterea notatus a *Pufendorfo N. & G. L. VIII. C. 1.* Existimat enim *Hobbesius*, nunquam, ne de facto quidem, Principem ab

ri N. adversum statuere posse. Quod ex eo pro-  
 re conatur, quia obligatio ad Leges Civiles ob-  
 vandas antiquior sit, quam ipsarum Legum pro-  
 ulgatio; adeoque Legem Naturalem omnes Le-  
 es Civiles jubere observari. Enimvero Jus Na-  
 ræ quidem adstringit subditos ad obsequium,  
 egibus Civilibus præstandum; supponit autem,  
 s Leges non adversari socialitatis saluti, neque  
 exum & pacem civitatis destruere. Falsum ergo  
 t, Jus Naturæ præcipere, ut promiscue quam-  
 nque Legem Civilem subditi, pro norma suarum  
 tionum, habeant; sed earum tantum observatio-  
 em injungit, quæ nihil turpitudinis, & quod cum  
 re superiori, quale Jus Naturale & Divinum est,  
 gnat, involvit. Unde nemo sane, præter *Hobbe-*  
*um*, facile dubitaverit, si Princeps tulerit Legem,  
 a latrocinia, & mutuas invasions, subditis per-  
 ttat; hanc Legi N. fore adversam, neque in sub-  
 is obligationem producturam. Vanum est, quod  
 get *Hobbesius*: *Si Lex Civilis jubeat invadere*  
*quid, non esse illud furtum*. Sane enim defi-  
 io furti a Lege Civili non potest formari talis,  
 e promiscuam aliis, sua eripiendi, licentiam in-  
 ducat, adeoque simul pacem & tranquillitatem  
 itatis subvertat. Quis præterea dubitet, etiam si  
 e Civili permittatur juveni, marito alicui vetu-  
 in mulcenda uxoris libidine, vicarias operas præ-  
 e, non tamen ejusmodi concubitum adulterio-  
 a numero eximi; sed utique metuendam ad-  
 poenam, coram tribunali Divino insigendam?

Ne-

Neque enim id effici per Legem Civilem potest, ut cum qua quis legitimum matrimonium contraxerit, desinat deinceps citra justam causam esse uxorem. Falsum est, quod idem contendit, in statu naturali nihil fuisse alienum. Atqui civitates, erga se invicem consideratae, hodiernum in statu naturali vivunt, neque tamen propterea res inter se communes habent, sed utique propriis, distinctisque rerum dominiis gaudent. Non ergo demum, et introducto statu civili, res propriae esse coeperunt. Quamobrem satis constat, posse utique ab Imperante, si eo vesaniae processerit, Legem de facti promulgari, quae sit Juri Naturali adversa; quaeque nullam adeo in subditis obligationem probet, & hinc etiam Legis nomen proprie non creatur; cum tali casu Divina autoritas quasi intercedat, quae impedit, quo minus vim propriae dictae legis ejusmodi sancitum habeat. Quamvis enim Princeps in foro civili suarum actionum rationem posci nequeat; subjectus tamen ipse Legibus Naturalibus atque Divinis est; quibus frustra obnititur, atque ad earum neglectum subditos obstringere conatur.

§. VII. Praeterea manifestum est, ex origine civitatum, & pactorum, quibus illae coalescunt, indole, non esse adstrictum Imperantem, ut omnibus praecipis naturalibus vim Legis Civilis addat, sed posse ipsum facta quaedam, utut contra Jus Naturae admittit, conscientiae cujusvis relinquere, et tamenque impunitatem in foro civili praestare. Neque

nim ejusmodi *permissio* efficit; ut actus citra læ-  
onem præcepti Divini exerceri queat; sed a poena  
untaxat civili liberat; qualis non præcise in o-  
nia delicta constituenda est; sed in ea solum,  
uæ intentato præsentaneo aliquo malo cohiberi,  
publica utilitate esse, censuerit imperans; reliqua  
adori naturali, atque Divinis poenis relinquere  
test; eosdemque illis effectus tribuere, qui alias  
omitantur actus Jure Naturali permittos. Que  
men res ita est temperanda, ne, si laxa nimis &  
olixa fuerit indulgentia in foro civili, inde ad li-  
rius delinquendum homines invitentur. Accen-  
te etiam est distinguendum inter id, quod pro-  
e Juris N. est, seu eo vel præcipitur, vel prohi-  
tur, & quod naturaliter tantum permitti dici-  
c. Nam quæ permitti dicuntur a Jure N. ad  
is objectum plane non pertinent; sed materiam  
jure indifferentem constituunt. Perinde enim  
, cum quis aliquid lege permissum dicit, ac si di-  
et, circa tale quid legem plane non disponere.  
hæc dicuntur alias vulgo a Jctis *reductive* Juris  
t. esse. Circa quæ in aprico est, liberrimum di-  
mendi arbitrium legislatori humano relictum ef-  
ita ut citra ullam violationem Jurium Natu-  
ium, ad alterutram partem subditos adigere que-

Imo hæc sola materiam Legum Civilium pro-  
e, & ratione originis talium, constituunt. Dico  
*origine originis talium*. Alias enim infrequens  
ad est, ipsas quoque Leges N. nomine Legum  
ilium venire; quatenus nempe per Leges Ci-

Et

viles

viles muniuntur; earumque violatores in foro quoque civili poena manet.

§. VIII. Ex dictis facile jam constabit, quousque Principis potestas valeat; quodque in eius arbitrio situm, utrum obligationi Naturali novum effectum tribuere velit, nec ne. Sane enim omnes obligationis effectus civiles a Legislatoris arbitrio dependunt. Unde illud Princeps efficere non potest, ut negotium, quod J. N. obligationem producat, definiat naturaliter obligare, sed omnis eius potestas tantum circa effectus civiles occupatur; cuiusmodi effectum, cui obligationi tribui, publice interest, ipse aestimabit. Neque est, quod dicas, naturaliter tamen licere ei, cui jus adversus alterum acquisitum est, id contra ipsum persequi; hanc autem facultatem Jure Civ. ademptam. Enimvero certum, juri ex obligatione acquisito prorsus licet renunciare, de quo nemo dubitat, multo igitur magis licebit renunciare persecutioni Juris, ita ut qui declarat, nisi alter sponte obligationi sibi incumbenti satisfacere velit, se in foro civili litem ipsi habere intentaturum. Fecerunt autem hoc illi, qui contractis in civitatem coierunt; dum effectus civiles omnium obligationum permiserunt arbitrio imperantis. Quocirca etiam recepta est divisio obligationis in *Naturalem* & *Civilem*, Hac legi Civilis autoritate, illa æquitate Juris Naturalis utitur. Naturalis præterea obligatio vel omni effectum civili destituitur, & dicitur *imperfecta*; vel aliquem effectum, ut non plenum, in foro civili

vili sortitur, & audit *plena seu perfecta*. De quibus sigillatim plenius agendum est.

§. IX. Primo igitur dantur quædam obligationes naturales, quibus nullum plane effectum Jus Civile tribuit, ita, ut solo pudore naturali continentur. Qualis est obligatio ad gratitudinem benefactori declarandam, *L. 25. §. 11. ff. de Hæred. pet.* Quisque enim ex naturali æquitate adstrictus est, ut omnia grati animi signa promat erga eum, quo insignia in ipsum beneficia profecta sunt, omnemque occasionem paria reponendi capter. Quæ obligatio, nisi in beneficiis naturaliter saltem habebat, eorum maxima pars peritura esset; cum nemo suum facile jactaverit, aut sine spe gratiæ referendæ alterum prolixè juvare velit. Vid. *Puf. J. N. & G. L. III. c. 3. §. 16.* Quamvis fatendum sit, ne quidem per Legem Naturalem Jus aliud conferri in eum, qui beneficiis alterum cumulatur, vi cuius ab ipso exigere queat, ut vicissim humanitatem erga ipsum explicet, ejusque comoda pro virili juvet. Neque vero hoc infrequens Jure Naturali; cum multæ dentur obligationes, quibus ex adverso nullum in altero Jus existendi, & velut ab invito, quod debetur, extorquendum respondet. Enimvero hæc obligatio ad gratitudinem nullum plane in Jure Civili effectum habet. Vid. *cit. L. 25. §. 11. ff. d. Hæred. pet.* adeoque c. actione propterea aliquem pulsare queo, nec, vicissim ipsi aliquid debeam, compensationi locus

cus est. De quo eo minus dubitandum est, quod ne naturaliter quidem benefactori hi effectus competunt. Equidem *ingrati* nomen erubescendum est, vitiumque inter omnia maxime odiosum & detestabile. At enim præter Divinam vindictam nullus metus beneficiarium urget. Ea enim est indoles beneficiorum, ut in eorum præstatione nihil nobis vicissim stipulemur, sed alterius humilitati relinquamus, quousque sponte & citra coactionem, solius honestatis amore, gratum erga nos animum declarare velit. Add. *Pufend. c. l.* Quo pertinet, quod dicit *Seneca L. III. de Benef.* *Cum res honesta sit, referre gratiam, desinit benefacti esse, si necessaria est. Non enim magis laudabitur quisquam gratum hominem, quam eum, qui depositum reddidit, aut, quod debebat, citra iudicium solvit.* Nec citra rationem *Cicero pro Plancio* debitionem gratia a debitione pecunie separat. Ex iis, quæ hæcenus dicta sunt, facile colligi potest, quid de opinione *Grotii* habendum sit, qui in *Tr. de J. B. & P. L. II. C. XIV. n. 6.* existimat, *obligationem ad vicem beneficio rependendam esse, ut cesset conditio indebiti.* Leges enim Civiles nulli hunc effectum obligationi naturali minus plenæ, qualis hæc est, quæ remunerationem injungit, tribuit. Neque sane firmiori argumento *Grotius* defendes, si ipsi de naturali effectu sermonem esse, contendas. Ea enim obligationis ex beneficio oriundæ indoles est, ut ei nullum plane Jus poscendi, ne quidem naturale, in benefactore respondeat.

at. Ex quo consequitur, si indebitum ex errore a beneficiario solutum sit, nullam esse rationem, cur alter, quod indebite accepit, reddere recuset, præsertim cum alia via superesse queat, qua grati animi signa expromat; neque ad determinatum quid præstandum videatur adstrictus esse. Neque etiam ulla solida ratione nititur *Zafius*, qui in *Sing. Resp. 3. n. 21.* idem cum *Grotio* sentit. Add: *Habn. ad Wesenb. t. d. Obl. & Act. N. 5.*

§. X. Referunt huc communiter DD. quod hæres, qui restituere alteri hæreditatem jussus est a testatore, aut Legatis totam hæreditatem exhaustis gravatus, possit Falcidiam aut Trebellianicam deducere quidem civiliter, sed naturaliter tque in conscientia obstrictus sit, ut totam hæreditatem restituat, atque integra legata præstet. Vid. *Huber. Pral. ad Inst. Tit. de Oblig.* Enimvero exemplum illud plane huc non quadrat. Neque enim apparet, quæ hic obligatio conscientiam hæredis stringat. Quousque enim aliquis per ultimam voluntatem de suis bonis disponere queat, credemque obligare, id Jure Naturali non est determinatum, adeoque ab arbitrio Legislatoris civilis dependet. Vid. *L. 11. §. fin. ff. de Jur. delib.* Num igitur Lex Civilis detractionem quartæ condat hæredi, recte hoc beneficio utitur, neque opterea ullam Legem Naturalem violasse dici potest. Imo ipse testator, quando totam hæreditatem Legatis exhausserit, tacite hanc conditionem intelligere censetur; Nisi hæres quartam de-



ducere secundum Legis dispositionem voluent. Nihil obstat *L. 5. §. 15. ff. de Donat. inter vir. & uxor.* Neque enim ex ea naturalis quædam obligatio exculpi potest; cum sermo ibi sit de eo, quod sponse facere possit hæres; & quæ voluntas testatoris ex verbis eluceat. Frustra etiam obijtur *L. 1. §. ult. C. ad L. Falcid.* Neque enim hæc Leges de quadam necessitate & obligatione loquuntur; sed de præstatione integrorum Legatorum ex libera voluntate profecta; per quam hæres Juri suo detrahendi quartam tacite renunciare videtur; quod cuiuslibet facere permissam. Vid. *L. 29. C. de Pact.*

§. XI. Frustra etiam in hunc censum refertur, si hæres ex testamento, debitis solemnitatibus destituito, alii hæreditatem restituere iussus fuerit; hoc casu in conscientia ligari putant hæredem, ut voluntati defuncti satisfaciat, adigi autem ad hoc Jure Civili non posse. Enimvero neque hic ulla naturalis obligatio ad restitutionem faciendam hæredem urget. Cum enim testamentum tale ipso jure sit invalidum; ne naturaliter quidem ex eo legatariis & fideicommissariis quicquam debetur. Existimat quidem *Huber. Præl. ad Inst. Tu. de Oblig. non absolute hic obligari conscientiam;* sed recte respondit *Thomas. in Schol. ibi,* hæc plane non fore obligationem naturalem, quæ conscientiam haud liget. Regerit quidem *Huber. dari obligationem naturalem, quæ commendæ observantiam sui, non imperet.* Enimvero hoc in morali-

alibus nullo modo admitti potest; quippe nulla concipi obligatio potest, quæ non includat vinculum aliquod, & necessitatem agendi. Executi etiam hic merentur ea, quæ pro adstringenda hære-  
 is conscientia affert *Mastertius*. Ita vero ille in *r. d. Just. LL. Rom.* *Quamvis Lex Civilis, quæ testamentariam solennitatem invenit, iusta sit, ob-*  
*getque conscientiam, tamen illud præter Legis intentionem operari nihil potest, quæ tantum illos*  
*officit, qui in voluntate minus solenni se fun-*  
*ant, ut arceantur iuste, etiam coram DEO, cum testator Legem, ob publicam utilitatem in-*  
*uctam, neglexerit. Sed nostrum dubium est de*  
*conscientia hæredis, cui compertum, quid testa-*  
*ri, plene rerum suarum moderatori, & arbitro*  
*lucrerit; quapropter si non legitimum, natura-*  
*tem, & conscientia nascitur debitum, vel auto-*  
*rate ejusdem Legis, quæ fundantes se in minus*  
*solenni testamento repellit.* Enimvero non appa-  
 ret, quomodo hæc inter se cohæreant. Nam si  
 Lex, quæ legatarios, & fideicommissarios arceat, ju-  
 sta est, & conscientiam stringit; nulla ratio est,  
 ut ipsis obligatus hæres videri queat. Certum  
 est præterea, non esse definitum Naturali Jure,  
 quæ ratione, & quibus solennitatibus, ultima elogia  
 prædicanda sint; sed omnem hanc rem determina-  
 ni Legislatoris humani relictam esse; & hoc  
 quidem, ut exacte, civilibus solennitatibus de-  
 cernuto, nullus consequi effectus, ne quidem natu-  
 ralis, debeat. Neque etiam dici possum ad aliquid

prietandum adstrictus esse, ad quod jus omne al-  
 teri per Legem ademptum est. Ex quo facile col-  
 ligitur, parem hoc casu rationem esse conscientie  
 legatarii vel fideicommissarii, atque hæredis; ut,  
 quemadmodum illi petere nihil ex testamento que-  
 unt, ita nulla hunc obligatio ad aliquid præsta-  
 dum adigat. Neque ad rem facit, *quod basi  
 compertum sit, quid testatori, pleno rerum suarum  
 moderatori, & arbitrio placuerit.* Ex hac enim  
 scientia nulla obligatio excuspi potest, cum parti-  
 tione meminisse queat hæres, facultatem de rebus  
 suis disponendi, Legibus circumscriptam esse, ad-  
 eoque tale testamentum, quod debitis solemnita-  
 tibus destitutum sit, pro non confecto haberi, nul-  
 lumque sortiri effectum; ut proinde animo, mo-  
 ralibus præceptis recte instructo, vanus ejusmodi  
 scrupulus subnasci nequeat. Neque aliquid mo-  
 menti subest in ratione a *Mestertio* subijcta,  
*quod hæres, si solverit, quod ex simili testamento  
 debetur, non habeat conditionem indebiti, quasi  
 satisfactum esse videatur ex conscientia reliqui  
 deicommissi defuncti voluntati, uti loquitur L. 2.  
 C. d. Fideic.* Sape enim si hæres, comperta nul-  
 litate testamenti, nihilominus legata & fideicom-  
 missa præstet, omni juri suo renunciat, quod cu-  
 que licet facere; *L. 290. C. d. Pact.* adeoque in-  
 fra deinde ad conditionem indebiti confugit.  
 Cum enim quis donare alteri queat, multo magis  
 ex voluntate defuncti, utut non rite declarata,  
 aliquid in eum transferre poterit. *L. 21. ff. d. R. J.*

Quæ subjicit *Maffertius* de testamenti factione, utrum ejus origo ex Jure Gentium, an Civili, rependa sit, nihil ad institutum faciunt. Neque huc quadrat obligatio ad remunerandum; nam obligatio ad gratitudinem benefactori declarandam sine dubio stringit, ut supra ostendimus. Præterea, si pupillus infantia major mutuum sine auctoritate tutoris acceperit, naturaliter quidem ad illud reddendum tenetur, sed naturalis illa obligatio nullum in foro civili producit effectum. *L. 59. ff. de O. & A.* Vid. tamen *Huberum p. 345. in fine & ibi Thomaf.* Pari ratione foemina, quæ pro alio intercedit, sine dubio naturaliter obligatur; civilem tamen effectum ea fidejussio non habet; ita disponente Scto Vellejano, *L. 16. §. 1. ff. ad Sct. Vellej.* Unde si quid ex tali intercessione solverit mulier, repetere indebiti conditione potest. Vid. *L. 40. de Cond. Indeb. Add. Franzk. Dissert. de Oblig. p. 13.*

§. XII. Quandoque vero Jus Civile obligationem naturalem non plane negligit, sed ei non ascribit; ut aliquem quidem, non tamen plenum eorum effectum in foro civili tribuat; utputa, cum negat actionem, alios autem remissiores effectus tribuit. Effectus autem isti sunt varii; utputa quodasmodi obligatio producit exceptionem, *L. 7. pr. de Pact.* recipit constitutum, *L. 1. §. 2. ff. de Constit. cum.* excludit conditionem indebiti, *L. 13. L. 26. §. 12. ff. de Cond. Indeb. L. 10. ff. de O. & A.* debitum ex tali obligatione dependens compensationem

nem recipit. *L. 6. ff. de Compens.* item novationem *L. 1. §. ult. ff. de Novat.* In hunc eentum referenda est præfertim obligatio, quæ ex pacto nudo oritur. Cum enim omnes conventiones, animo deliberato initæ, obligationem naturalem producant, vid. *Pufendorfius d. J. N. & G. L. III. C. 6. §. 1.* apparet, eundem effectum pacto quoque nudo competere. Enimvero Romani non quemcumque contrahendi modum volebant efficacem esse, ad præriendam in foro Civili actionem; unde quibusdam quidem contractibus robur per specialem legum confirmationem, vid. *L. 35. C. d. Donat. L. 1. ff. d. Const. pec. L. 6. C. d. dot. prom. L. 1. ff. d. pign. et aliis per viciniam contractuum, quibus adjiceretur, accessit. L. 7. §. 5. ff. d. Pact.* Reliqua inermia, contra præsidium aliquod civile, relicta sunt; nisi quod exceptio, aliique remissiores effectus, ex iis nascuntur. Neque vero circa hanc Legum Romanarum dispositionem quicquam recte desideres. Neque enim, ut supra fusius ostensum est, legislatori humano ulla necessitas incumbit, ut obligationes omnes naturales auxilio civili muniat; sed, respiciendo ad salutem atque tranquillitatem civitatis suæ, æstimabit, quibus obligationibus, publice interesse, effectum in foro tribui. Unde sibi imputet, quæ modum contrahendi per stipulationem, Jure Civili introductum, neglexit, & nudam atque simplicem conventionem inivit. Quam de nudis pactis materiam, cum alibi ex instituto evolverim, eidem dicitur non immorabor.

§. XIII. Quando obligatio ejusmodi naturalis per legem confirmatur ad effectum producendum, obligatio mixta vocari solet; quod vinculo partim naturali, partim civili munita sit. §. 2. ff. d. Pact. Ubi notandum, pro mixta obligatione sæpe in foro Civili haberi etiam eam, quæ non vero, sed præsumto tantum, vinculo naturali adstricta est. Cujus ratio ex eo dependet, quod forum externum non nisi eorum rationem habet, quæ legitime probata, signisque externis confirmata sunt; ad rei veritatem, quæ sæpe incognito hæret, non semper penetrat. Itaque obligatio, quæ ex re judicata oritur, mixta est, atque satisfaciendum ei compelluntur partes, quamvis facte Judicis sententia a veritate facti diverterit. Presumptio enim pro ea militat, quæ eousque virescitur, donec de contrario per legitimas probationes constet. L. 25. ff. d. Stat. hom. Sic ex jurando voluntario & obligatio & actio oritur, ut fortasse falsum juratum sit. L. 2. ff. d. Jurej. §. 2. ff. eod. Item huc pertinet ea, quæ ex confessione judiciali descendit, obligatio; nam & hæc præsumpta æquitate nititur. L. 3. & 4. ff. de Confess. & sibi imputat, qui falsus est in judicio, sed fortasse a vero abhorrebat. Est vero hæc obligatio mixta, alia Civilis, alia Prætoria. Illa Civilis stricte sic dicto introducta, vel saltem confirmata est. §. 1. I. d. Obl. §. 2. I. d. J. N. G. Hæc ex Prætoris jurisdictione descendit. §. 2. I. d. Act. L. 1. ff. d. Const. per. Add. Swendi.

*Swend. ad Eckb. t. d. O. & A. S. 9. v. dividitur.* De obligatione mere Civili, quam vulgo statuunt, infra pluribus agemus.

§. XIV. Progredimur jam ad ea, quæ modum transferendi dominium, Jure Civili determinatum, concernunt. Ut verò recte atque evidenter appareat, quousque hic Leges positivæ a Naturalibus divertant, accurate expedienda est quaestio, quæ in contrarias plane partes Juris Interpretes extraxit: *An secundum Jus Naturæ solis pactis dominium transferri queat?* Ubi separanda esse examinemus, quæ valde distincta sunt, dominium & possessionem. Certum enim est, id effici per sola pacta haud posse, ut, quicquid nobis placuerit, circa rem, quæ ad nos derivatur, in effectum possimus deducere; adeoque domini effectus plane statim se exercere queant. Neque enim per conventionem nudam res sub alicujus potestate redigitur, ut disponendi de ea facultatem actu exercere possit; ad hoc enim sine dubio traditio, atque actualis apprehensio, requiritur. Quin etiam citra traditionem sola conventionem transire possit dominium, quatenus cum possessione haud est conjunctum, & prout tantum ut qualitas naturalis spectatur, nullum videtur esse dubium. haud & citra ullum pactum, per solam Legis dispositionem, transferri potest; quod contingit in legatis, quorum dominium ad legatarios per mortem testatoris transit; quamvis hæredis traditio subsequens haud sit; unde etiam præter hypothecariam, atque

ve personalem ex testamento, actionem rei legatæ indicatio ipsius competit. §. 2. *I. de Legat.* Ex quibus liquido constat, solo pacto translationem dominii fieri posse. Quia vero nullum J. N. præceptum subigit, per conventionem præcise rerum dominia in alios derivare, manifestum est, hanc materiam Jure Nat. indifferentem esse, adeoque ab arbitrio Civilis Legislatoris pendere, utrum sola acta jubeat sufficere ad dominii translationem, vero præterea traditionem requirere velit. Nullus ergo iniquitatis recte arguitur Jus Civile, quod ante traditionem dominium penes venditorem retinere jussit. Quo loco breviter excutienda veniunt, quæ in contrarium *Pufendorfius* habet, autem ille in *Tr. d. J. N. & G. L. IV. C. 9. §. 8.* que tamen propterea admitti necessum est, alienanti ante traditionem, dominium aliquod imperfectum superesse, nisi dominium valde ἀνόπως is vocare meram facultatem physicam, super re qua de facto disponendi citra facultatem moralem. Enimvero nullum præceptum J. N. demonstrari potest, quo alienanti post venditionem factam, nonnisi facultas aliqua physica relinquitur, omni virtute morali destituta. Nihil eripedit, quo minus Lege Civili constituatur, post venditionem perfectam, antequam fuerit a traditio, dominium etiam proprie tale per venditorem remaneat; adeoque is omnes domini effectus morales exercere, & per novam traditionem, traditione munitam, in posteriorem,

emto-



emtorem rei venditæ dominium transferre quæ  
 Sed urget *Pufendorfius*, quod post pactum con-  
 tum, seu post jus pacto in alterum translatum,  
 statim ad alterum pertineat, & alterius gra-  
 esse incipiat; & alienans nullum circa eas  
 actum possit legitime exercere, nisi qui faciæ  
 possessionem alteri tradendam. Atqui suo  
 utens nemini facit injuriam. Cum ergo *Le-  
 turæ* in neutram hic partem pronuntiet; sed  
 res indifferentes reponat; in apico est, citra in-  
 tatem Jure Civili sancitum esse, ut rei venditæ  
 minium, ante traditionem, penes venditorem  
 sistere debeat. Quo casu utique venditor non  
 lum de re disponendi physicam, sed etiam mo-  
 lem, facultatem habet. Neque aliud nisi per-  
 le jus dici potest in emtorem collatum; quod  
 impedit, quo minus in aliquem tertium per  
 tionem, ex titulo ad transferendum dominium  
 bili, profectam, rei proprietates transeat. Ex  
 consequitur, legitimum actum fore non sol-  
 eum, quem venditor circa tradendam rei vend-  
 possessionem suscipit; sed etiam illum, quo per  
 ditionem jus reale in aliquem confert. *Falsæ*  
 ergo est, quod subjicit, *si quid prætere a circum-*  
*rem ante traditionem disposuerit, id de factis*  
*non velut ex jure domini eum agere; nisi*  
 ctum sit inter partes, ut per ejusmodi con-  
 nem solam dominium transiret; eaque con-  
 non sit civili jure improbata. Neque huic rei  
 quam obstat, quod traditio fieri debeat ex  
 per

*fitate.* Quippe necessitas hic alia non subest, quam quæ supponit, rem adhuc a venditore detineri, adeoque eum facultatem habere, eam tradendi; quo ipso non excluditur facultas ante traditionem, priori emtori factam, ejusdem dominium in alium transferendi.

§. XV. Præter cæteros contendit *Vinnius ad l. 40. I. d. R. D. sola conventionem ne quidem jure gentium rerum dominia transferri.* Neque vero lia nisi hac ratione nititur, quod nemo ex ratione Juris Gentium factio suo rem, sive ea nullius est, sive alterius, acquirat; nisi cujus potestati & imperio subjecta sit, quod ita quisque consequatur, eam apprehenderit, si possessionem ejus nanciscatur. Enimvero dominium a possessione sejungi posse, manifestum est; neque ad dominium conquirendum corporalem apprehensionem semper quiri, constat; quamvis largiendum sit, ante traditionem non ita rem nostræ potestati subesse, ut ea libere possimus disponere.

§. XVI. De promissis, pactisque, per vim tortis, dubia disceptatio videri potest, utrum iuris Naturæ cum Civili conveniat? Certum enim est, juxta Jus Civile, stricte dictum, obligationem tali promisso nasci, cujus virtutem deinceps detor, suggerendo exceptionem, elisit. Enimvero, quomodo hoc casu Jus Naturæ promissori obligationem impingat, non apparet. Cum enim manifestam Juris N. dispositionem quisque meum injustum alteri incutere prohibeatur; non potest

potest eodem jure facultas tribui, ex metu illato alterum obligandi, atque ex eodem lucrum faciendi. Add. *L. 116. ff. d. R. J.* Expeditum præterea est, nullam intelligi obligationem posse, cui non respondeat in promissario jus exigendi, quod debetur; Jus vero tale illicitis mediis acquiri non posse constat. Adeoque non sufficit, in promittendo omnia requisita concurrere, quæ in obligatione contrahenda adesse debent, sed penes eum, cui promissio, existere præterea debent requisita, ut aliquid ab altero acquirendi; Jus vero tale creditur per injuriam, ex metu illato profectam. Cumque Jus Naturæ cuique restitutionem damni datum injungat; stolidum fuerit, ubi in loca tuta evadit, solvere, quod promissisti, & deinde solum a latrone repetere. Add. *Pufend. de J. N. & G. l. III. c. 6. §. 10. seqq.*

§. XVII. Enimvero Pufendorfi Philosophiam, qua in enodanda hac quæstione utitur, impugnamdam sibi sumsit novissime *Uffelmannus in Tr. de Jure, quo homo homini in sermone obligatur, Cap. VII. tb. 5.* Is ergo contra Pufendorsum contendit, pactum, cum latrone iniuriam vim obligandi non habere ex ipsius jure, quod nullum est; sed ex voluntate & consensu ejus, qui facultatem promittendi habet, etsi agre promittat. Atqui nulla virtus obligandi inest promissario, quod recte acceptare promissarius habet potestatem. Quemadmodum enim promittens habilis esse debet ad contrahendam obligationem; ita a parte alterius

erius, qui cum paciscor, nullum impedimentum ob stare debet, quo minus sibi jus aliquod ex mea promissione quærere possit. Sic adversus belluas ulla in nobis obligatio nasci potest, quamvis omnia contrahendæ obligationis requisita in nobis adsint; quod nimirum acceptandi facultas in iis deficit. Iud valde jejunum, quando subjungit, *latroni- us, quod antea non habebat, parere ipsam pro- missi naturam & fidem.* Pari enim ratione dici posset de belluis, quamvis non sint idoneæ ad Jus acquirendum, Jus tamen ipsis per promissionem omnino nasci. Metus, quem adhibet latro, incipit in ipso facultatem Jus tale acquirendi. Non enim sufficit recte promittere, nisi alter recte acceptare queat, quod est promissum. Neque ad id aliquid facit, quod latro sit homo; homines item omnes, qui ad rationis usum pervenerunt, spæces sint juris ex promisso. Nam addendum erat, nisi ex alio capite inhabilis ad acquirendum erit. Præterea illa negotia, quæ latro tanquam communis hostis contrahit, separanda sunt ab his, quæ extra metum, ut alius homo, init. Hæc enim efficacia ad pariendam obligationem esse, a me hactenus in dubium vocatum est. Ubi vero latro cominus mihi grave malum intentat, omnemque adversus me obligationem abrumpit, eoque plane infociabilem se præstat, exigere a me haud potest, ut cum ipso tanquam homine amem, & naturalia erga ipsum officia studiose exerceam. Nam quatenus latro omnem hostilitatem

E f

tem

tem promit, vitæque & bonis meis violenter inhiat, ut homo, hoc est, ut animal sociale, spectandus haud est; adeoque facultatem ex meo facto jus aliquod sibi quærendi non habet.

§. XIX. Nihil ad sententiam Pufendorfi oppugnandam facit, quod Uffelm. ait: *eum, quid- rō cum latrone paciscitur, quem talem novit a ipso cēnseri renuntiasse exceptioni illi, quam a persona ipsius petitam validitati promissionis p- tuerit opponere.* Apparet enim, Pufendorfium loqui de casu, quo quis cum latrone extra metum ultro paciscitur; ubi erga ipsum tanquam eque hominem socialitatis officia utique exercenda sunt. Neque diffitemur, ex hoc constare, *latronem esse omnis juris ex promisso incapacem*; at hoc ad illa promissa restringendum est, quæ latroni, quatenus homo est, seu prout nullam hostilitatem exercet, fiunt. Quamvis enim tum quoque opponere quis videatur posse latroni, quod generis, socialitati inimicum, exerceat; quia tamen hanc exceptionem omittit, & sponte, citra ullam coactionem aut periculum ab eo intentatam, ad paciscendum accedit, ei utique tacite renuncians censendus est. Neque verò hæc ratio valet in aliis promissis, quæ latro tanquam hostis per vim extorquet. Hic enim alteri imputari haud potest, quod promiserit; quia ad id metu injure compulsus est. Sicuti multum interest, utrum quis sponte, & citra ullam necessitatem, invito domino, res ejus contractaverit; an ad extremam

mem levandam aliquid abstulerit. Quæ in sequentibus habet de virtute religionis in jurejurando latroni præstito, ex falsa hypothesi oriuntur, quasi duplex in juramenti obligatio subsit, una adversus DEUM, altera adversus hominem; quod commentum ab accuratioribus jam dudum explosum est. Quæ vero de compensatione *Pufendorfius* habet, non nisi ad illustrationem pertinent, atque accipienda sunt; si vel maxime detur, quod amen falsum est, obligationem aliquam ex tali romisso nasci, eam velut tolli per compensationem, quod naturaliter quisque ad damni dati compensationem adstrictus sit; ubi citra rationem *Ulfmannus* putat, compensationi huic etiam tacite promissore renunciatum esse; quod vel ex eo patet, quia saltem strictissimæ interpretationis obligatio talis foret, adeoque nullam usmodi tacitam renunciationem admitteret.

§. XIX. Ex dictis apparet, facili labore dicti etiam ea posse, quæ contra hæc habet, *Huberus* *al. ad Inst. Tit. de Except. §. 4.* ubi contendit, et quoque Naturali Jure efficacem esse obligationem vi metuque elicitam; quod ex eo probare nititur, quia actus, qui per vim metumque contrahuntur, fiunt ex *πρῶτον ἔργον*, cum prævia deliberatione et electione, ideoque esse voluntari-

Enimvero ad contrahendam obligationem sufficit, omnia in me requisita adesse, nisi is, fit promissio, ad me obligandum, & sibi jus ali promissio querendum, habilis sit. Quam-

vis non eamus inficias, actionem ejusmodi, qua  
declinandum gravius malum, quod cominus in-  
tentatur, aliquid promittitur, aliquid ex spontanea  
trahere, quatenus pro presenti conditione pro-  
mittere, quam vitæ periculum adire, satius quis de-  
cit. At enim ex omni promissione, quæ aliquæ  
spontanei involvit, obligationem nasci, falsum est.  
Sed excuti etiam merentur, quæ in seqq. s.  
habet. Nam ait: *Ejusmodi promissionem ju-  
ruraliter quidem valere; sed in ipso etiam Jure  
Natura quandam æquitatis speciem a Jure  
strictam esse, si modo bene explicetur; Ubi  
biguum est, quid per æquitatem intelligatur. Quo-  
tenus enim iniquitati opponitur, extra dubium est  
Juri Naturæ æquitatem inesse; quippe quod in  
rationi & socialitatis saluti adversum dispositum  
Quod si autem æquitas naturalis ipsi Juri Naturæ  
opponitur, nihil aliud notare potest, quam con-  
trariam Jure Naturæ plane indifferentem, quæ tantum  
ad alterutram moralitatis partem, quam ad alter-  
ram, magis accedere videtur. Qualis æquitas  
plane non pertinet; cum nobis de dispositione  
Naturalis Juris sermo sit. Nihil ergo affirmari  
berus, quando ait: *Jus summum Naturæ per  
actum voluntatis, obligationi adhibiturum, ut  
re dicitur id, quod actum est; Idem ab eadem  
æquitatem non patitur, obligationem habere de-  
bitum.* Neque enim obscura hæc est contra-  
dictio, obligationem aliquam per Legem imponi  
& per eandem tamen ipsi effectum adimi. Quo-  
quod*

quid præcipit vel prohibet DEUS per Legem Naturæ, hoc vult effectum, saltem naturaliter, forfiri; adeoque ejusmodi æquitas, per quam veluti vi exceptionis effectus obligationis elidatur, nane commentum est, omnique fundamento destitutum. Quæ ab aliis, utputa Grotio, atque Hobbesio, objiciuntur, discusfit *Pufendorf.* l.

§. XX. Circa contractus innominatos disceptari solet, utrum Juri Naturali dispositio Civilis adversa sit? Constat enim, Jure Romano constitutum esse, ut, quamdiu ab altera parte datio vel factum subsequutum non est, tamdiu alteri pœnite-  
re liceat, quamvis jam dederit. *L. 3. §. 2. L. 5. pr. ff. d. Condict. caus. dat. L. 4. 6. seq. C. d. Rer. per-  
mut. Habn. ad Wesenb. t. d. Prescr. verb. n. 2.* Quia re conciliari non posse Leges Civiles cum Naturalibus, multi existimant; quod utique hic adsit triuseque partis in idem consensus, qui efficiat, ut negotio semel contracto uni parti, altera invita, recedere non liceat; præsertim cum non versetur in nudo aliquo pacto, sed contractu, qui in causam & negotium aliquod habeat. *L. 7. §. 1. ff. d. Pact. L. 15. ff. P. V.* Enimvero nihil quicquam in hac dispositione subest, quod dictatis naturalibus repugnet. Primo enim, si nulla datio et factum intervenerit, non est contractus innominatus, sed tantum conventio de dando vel faciendo, ut vicissim aliquid detur, vel fiat; cum omnes contractus innominati reales sint, neque



substantiam suam a solo consensu accipient. Et tali vero conventionem, antequam datio aut factum intercesserit, propterea nulla actio Jure Romano oritur, quod nudum pactum complectitur, et quo opus haud esse, ut praecise actio in foro datur, in superioribus jam demonstratum est. Neque etiam datio aut factum ab una parte interveniens obligationem bilateralem citra dispositionem civilem inducit. Qui enim dedit, non eo animo atque intentione dedit, ut obligationem ipse contraheret, sed ut alteri vinculum quasi injiceret, & ab ejus parte poenitentiam excluderet. *Cod. Böckelm. ad ff. t. d. Condit. caus. dat. n. 11.* Quare, si e re sua duxerit, resilire a negotio, antequam alter ex sua parte contractum impleverit, non pareret, quae iniquitatis nota affricari ipsi propterea queat; & sibi alter imputet, quod impletum distulit, neque maturius contractui satisfecit. *Add. Hopp. Comment. ad Inst. t. d. Oblig. §. 2. §. innominati.*

§. XXI. Quo loco excutienda est singularis opinio *Maffertii*, qui in *Tr. d. Just. LL. Rom.* pugnam instituit, contractus innominatos, sive etiam dationem aut factum, etiam Jure Romano obligationem Civilem parere. Sententiae suae praecipuum fundamentum quaerit in *L. 7. §. 2. ff. d. Pact. in Ulpianus* ait: *Sed etsi in alium contractum non transeat, subsistit tamen causa, eleganter in hoc Celso respondit, esse obligationem.* *Enimvero*

facile apparet, nullum aliam esse Legis hujus sensum, quam, interveniente causa, h. e. datione vel facto, non opus esse, ut contractus præcise nominatus celebretur; sed nihilo secius obligationem ex eo nasci. Regerit equidem *Maffertius*, per *causam* hic intelligi non posse dationem, aut factum, quia, ut datio, aut factum, producat obligationem, nullam requirat conventionem; in dicta vero lege causa respiciat conventionem, id quod apparet: *x §. 4.* verbis: *Cum nulla subest causa propter conventionem.* At enim verum quidem est in genere, dationem aut factum, etiam citra expressam conventionem obligare posse, per *L. 206. ff. d. R. J. & 1. 1. ff. d. Cond. indeb.* Falsum autem est, si agatur de ineundo contractu innominato, qui sane præter dationem, & factum etiam conventionem requirit, utpote qualis in omni contractu vero adesse debet. Unde dicitur *causa subesse propter conventionem*, quando aliquid datur, vel fit, propter conventionem, quæ inita est, quæ duo conjuncta contractum innominatum constituunt. Unde in dicto *§. 4.* sermo est de pacto nudo, cui actio deneganda sit, quia nulla subsit causa propter conventionem, h. e. quia simplex & nuda in eo conventio sit, datione & facto destituta. Falsum ergo est, quod subjicit *Maffertius*, dationem & factum non nisi complementum contractuum innominatorum esse; cum omnes contractus innominati tales sint, adeoque ad sui constitutionem talem causam requirant. Exemplum ab emptione vendi-

ditione desumptum inane est, cum emptio venditio contractus consensualis sit, cujus forma solo consensu absolvitur; qualis nullus contractus innominatus est. Ex quo etiam illud consequitur, respectum mutuae praestationis non posse dici causam obligationis; sed ipsam dationem, aut factum, a una parte praestitum. *Struv. IPr. R. G. L. III. 3. n. 3.* Talis enim respectus mutuae praestationis etiam in nudis pactis occurrit; quorum tamen natura a ratione contractuum innominatorum longissime recedit. Urget *Maffertius: Συνάλλαγμα, cum partes aequa lance teneat, ex complemento unius constitui non posse. Ergo ex conventionem utriusque; alioqui etiam illud implementum, quod est effectus obligationis, fieri ejusdem obligationis causam; quod fit ineptum. Etenim vero σύναλλαγμα nonnisi eo sensu partes aequali vinculo adstringit, quod aliquid datur, aut fit, sub Lege mutuae praestationis; ex quo haud consequitur, causam obligationis demum per dationem aut factum, ex utraque parte subsecutum, constitui; sed quando conventioni de dando subiciendo, ut vicissim aliquid detur, vel fiat, ipsa datio aut factum accedit, adest jam σύναλλαγμα, hoc est ista datione, aut facti praestatione, altera pars contractum vicissim ex sua parte implendum adstringitur. Neque in recessu quicquam habet distinctio inter aliqualem & omnimodam negotiorum perfectionem, ad quam *Maffertius* confert. Nulla enim plane perfectio tribui contracti*

innominato potest ante dationem, & factum ab una parte præstitum; sed negotium intra terminos simplicis conventionis, & nudi pacti subsistit. Nihil ad rem facit *L. 13. §. 8. ff. d. Action. empt.* Ex ea enim hoc solum consequitur, posse aliquando negotium plane perfectum in sua natura esse, ut tamen agere ex eo nequeat, nisi qui ex sua parte eidem satisfecerit, cum alias exceptione non adimpleri contractus repellatur; quod utique largimur; applicari vero ad institutum non potest, nisi negotia consensualia cum contractibus innominatis confundere velis. Reliqua argumenta, quibus ad vincendam opinionem suam utitur *Maffertius*, nihil plane difficultatis habent.

§. XXII. In delictis puniendis certum est, non eam esse auctoritatem Juris Civilis, ut ultra, quam reatus progreditur, pœnam extendere queat. Omnis enim pœna proprie sic dicta infligi debet ob meritum, cujus fundamentum est sua jusque voluntas, qua motu spontaneo ad factum contra Leges suscipiendum pervenit. Qui ergo a reatu immunis est, citra summam iniquitatem, malo aliquo multari haud potest. Add. *L. 6. ff. d. Pen. & L. 22. C. eod. Tot. Tit. C. Ne filio patr.* Ex quo ulterius consequitur, propter licentiam crimen non posse alicui auferri, ad quod res proprium habebat; hoc enim foret, ipsi ream alieni delicti impingere. Ubi vero pro præsentis statu nullum alteri jus competit; sed tantum res est, fore, ut, certa conditione impleta, Jus ta-

le consecutus sit; nihil prohibet, spem talem iure Civili præcidi; dum nempe intercipitur illa conditio, citra quam nullum alter jus habiturus fuerat. Quod incommodum non rationem penæ habet, sed per quandam consecutionem, ex terius delicto, & pœna, ipsi propterea inflicta, venit; sic ubi quis ob delictum a se commissum pœnam multam solvere tenetur, damnatum inde per consequentiam sentiunt, ad quos post mortem jus hereditas perventura erat; neque enim in bona viventis jus ipsis competeat, nisi sub conditione, si eadem ad ultimum usque spiritum conservasset. Sic quoque, cum honores & dignitates in civitate ab Imperantis arbitrio pendeant, licet, posse ipsum ab earum usu aliquem excludi, quamvis nihil admiserit; quoties id aliqua publicæ utilitas postulare videtur. Ex quibus facile apparet, citra rationem, iniquitatis argui *sanctam L. Quisquis. C. ad Legem Jul. Maj.* ubi eorum, qui crimen læsæ Majestatis admiserunt, liberi in honoribus arcentur, aliisque incommodis subjunguntur. Certe enim ea omnia, quæ ipsis adimuntur, ejusmodi sunt, ut a liberrima dispositione potestatis Civili pendeant; adeoque pro Imperantis arbitrio tribui atque auferri queant. Illud nimis durum videri possit, quod in *d. L.* dicitur, debuisse potestati supplicio perire, in quibus paterni delicti exemplum metuatur. Hinc *Grotius* non sine ratione miratur, quis illa verba Imperatori Christiano scripsit.

zessent. L. II. c. 21. Pufendorf. L. 8. c. 3. n. 33.  
Kulpis Colleg. Grot. ad d. Cap. ib. 3. & 4.

§. XXIII. Ex iis, quæ supra de pactis, quibus civitates coaluere, dicta sunt, apparet, quæ ratione definienda sint, quæ de *obligatione civili* a Doctoribus acriter disputari solent. Cum enim iure Naturali quisque civis ad obsequium, Legibus iuræ civitatis præstandum, adstrictus sit, inde liquet, nullam posse obligationem civilem dari, quæ Juri Naturali repugnet. Illud sane non minus inficias, posse de facto Legem in civitate sanciri, quæ cum iniquitate conjuncta, Legibus Naturalibus adversa sit; verum Lex ejusmodi propter auctoritatem Dei, quo Jura Naturalia profluxerunt, nullam in subditis obligationem producere apta est; cum inferior contra Leges superioris nullam statuendi facultatem habeat. Igitur ne quidem fingi ulla obligatio civilis potest, cui non præsidium aliquod Jus Naturæ circumponat; adeo ut manifeste implicet, obligare civiliter, & tamen contra Jus Naturæ esse. Quod jam suo tempore animadvertit *Wolffius*, cum in Comment. Jur. Civ. L. I. C. VI. §. 14. ait: *Civilis obligatio naturalem semper adiungit sibi habet, quod Jure Gentium obligemur. Atriis legibus; ut, quicquid more nostræ civitatis introducit, id non legitimo tantum, sed etiam naturali, vinculo nos alliget; quod, quem nodum ex Civilis fecerit, hunc adstringat, quantum potest, natura.* Unde constat, nullo solido fundamento nitri, quæ vulgo a Doctoribus de obligatione

ne mere civili tradi solent, quasi obligatio ejusmodi citra ullam æquitatem naturalem detur. quem errorem eos illud sine dubio induxit, quod ex negotiis nonnullis, Jure N. invalidis, actio foro civili datur, quæ supponere videtur aliquam obligationem. Enimvero nullibi J. Naturæ prohibetur, quo minus ex negotio, naturaliter inchoato, aliquantisper nascatur actio, donec causa propter quam iniustum est, condemnari reum, per legitimas probationes deducta sit. Effectum autem utrumque Jus, & Naturale, & Civile, excludit. Quare asserere haud dubito, nunquam Jure Civ. vel obligationem, vel actionem, nasci, cui non æquitatis naturalis subsit. Atque hoc clarius fiet, si quædam exempla obligationis hujus mere civilis, quæ modo propugnant, adducamus, & quæ in superius æquitas detur, demonstremus.

§. XXIV. Ita in superioribus prolixè observatum est, ex promissione, per vim & metum contracta, nullam obligationem efficacem nasci, h. e. infringi non posse promissorem, ut, quod hoc modo promisit, præster. Neque vero ulla Leges civili aliud est dispositum; unde cum obligatus est promissor Jure Civili dicitur, hoc non in eum sensum accipiendum est, quasi ad id, quod promissum præstandum compelli posset; sed quod actionem tum pulsari queat, a qua tamen, probato metu, mox liberetur. Unde in §. 1. *I. d. Except. cond.* siisset Imperator, eum, qui metu coactus promiserit, Jure Civili obligatum esse, adeoque in eum

a actione conveniri posse, subjicit: *iniquum esse, um condemnari*, h. e. obligationem illam propriealem vocari non posse, utpote quæ sine necessitate præstandi, quod est promissum, intelligi nequit. Neque vero Jus Civile ratione destituitur, iam ex ejusmodi promissione actionem concedit, nam tamen opposita exceptio elidat. Quia enim non præsumitur quisquam in civitate per vim factus ad promissionem esse, conveniens utique est, talem promissionem & pactum tantisper sustineri, donec super metu illato Judex cognoverit. id. *Pufendorf. d. 7. N. & G. L. III. C. VI. §. 12.* si recte subjicit: *Ex hoc non consequi, ejusmodi pacta, ut & aliis negotiis, quæ per exceptionem remtoriam possunt elidi, intrinsecam vim obligandi inesse, cum ista exceptionum ambages ad vim fori civilis pertineant.* Idem dicendum, si quis errore lapsus, aut dolo inductus, aliquid promiserit. Talis enim promissor, neque naturaliter, neque civiliter, aliquid præstare tenetur; eoque proprie obligatus non est; quamvis nonquam sit, actionem contra eum dari, donec error, aut dolo alterius, promissionem elicitam fuerit, probaverit. *Add. d. §. 1. I. de Except.*

§. XXVI. Enimvero ad hanc obligationem civilem, quæ & *sine re* dici solet, conficiendam Leges nonnullæ a Doctores adduci solent. Et primo quidem confugiunt ad *L. 3. §. 1. d. Const. pec.* ubi dicitur, si quis constituerit, ad Jure Civili debebat, Jure Prætorio vero non debe-



debat, cum non teneri; & ratio subjungitur, quod debita juribus non sit pecunia, quæ confirmata sit. Ex quo colligunt, talia debita nulla æquitate naturali niti; quod naturales obligationes constitutum admittant. *L. 1. pr. ff. eod.* At enim præcedenti §. jam ostensum est, quod Prætor, quæ de exceptionem concedit contra obligationem vilem, hoc ipso eam, tanquam Juri N. adversa, non impugnet; propterea quod ipsum quoque Jus Civile, comperta rei veritate, nolit, ejusmodi obligationem, ex æquitate tantisper constitutam, æritum habere. Accedit, quod in dicto textu Jus Civile non Naturali, sed Prætorio tantum, opponitur. Provocant secundo ad *L. 59. ff. d. Cond. indeb.* & *L. 16. ff. d. Fidejuss.* ubi duplicis obligationis, naturalis, & civilis, fit mentio; ex quo inferunt, dari obligationem Civilem, nulla naturali æquitate innixam. Sed hanc interpretationem & Legis Legibus accommodari non posse, facile apparet. In dictis enim textibus obligatio civilis tantum notat, quæ Jure Naturali constituta, & Civilibus Legibus comprobata est; quo sensu recte opponitur obligationi naturali, nempe mere tab, cui nullum a Jure Civili præsidium accessit. Pansponsione excipimus *L. 1. in fin. ff. de Novat.* ubi dicitur, quod obligatio, qualiscunque sit, quæ præcessit, novari verbis possit; *admodum sequens obligatio aut civiliter teneat, aut naturaliter.* Nam & hic non de obligatione civili mere tab, sed mixta, sermo est, quæ citra dubium cum æquitate

noto

naturali conjuncta est. Neque alia ratione intelligenda est *L. 7. §. 2. ff. d. Pact.* Nam quod in ea dicitur, *civilem actionem dari*, non excluditur naturalis æquitas, utpote quæ præcipue actionem civilem sustinet. Quem sensum d. l. esse, vel ex eo liquet, quod de Contractibus Juris Gentium ibi agitur, quos ex naturali quoque obligatione pendere, in aprico est. Neque momenti argumentum est, quod ab effectu rei judicatæ desumitur. Cum enim reus, quamvis forasse nihil debeat, condemnatus per sententiam a iudice, aëtori civiliter obligetur ad præstandum, quod per sententiam injunctum est, colligunt in hoc, aliquam mere civilem obligationem, naturali equitate destitutam, dari. Enimvero ambigendum non est, æquitati naturali maxime convenire, ut us in foro civili ad satisfaciendum rei judicatæ stringatur; cum alia via, quam ex actis, & protis, de justitia causæ constare non possit; quare jam in superioribus actum est.

§. XXVII. Ex quibus evidenter consequitur, obligationem civilem intelligi haud posse, nisi quam æquitas naturalis sustineat. Atque hæc fuere, quæ de proposito argumento dicenda esse videbantur; nec jam obscure apparere existimo, qua ratione res potestatis civilis designandi sint, extra quos legislatoris humani arbitrium exerceri cum effectu non potest. Quæ in re ex solidis, & necessario coherentibus, principiis omnia deducere, quantum utilitatem afferat, abunde experiuntur, qui Legibus

gibus explicandis operam navant. Quod reliquum est, Numini Divino grates præstiti auxiliū submitto ago atque persolvo.

## DISSERTATIO XIV.

DE

## SUMMO POLITICI BONO

## PRAEFATIO.

**N**ulla est inter Philosophos Morales trior, quam de Summo Bono, materia: sed & in, credo, nulla magis obscura. Vix mihi, loquor ingenue, a risu tempero, cum vastos de hoc argumento libros aspicio. Quam infinitis enim, quæso, & inutilibus rixis lacerant, quod, vitam præsertim & sanctæ, ubi plerosque illos acriculos desuper videas, agendo, rectius sane & prudentius inquiri, quaerere, & quaestiverint? Non mihi is animus, ut orem. Quamvis imbecille ingenium, nondum tamen mihi contabuit, ut ad tam minutas & infrequenter quas questiuunculas labore se prolixo daret. Quæ enim illa grandia & verbosa, & tot vanissimis volumina? Vereor, ut quisquam eorum lectione melior aut sapientior discat. Et pene dixerim, egregiam atque ad usum pertinentem disciplinam, ab illis ex schola in speculativam penitus mutari. Non multiplex

ratio, sed directa quadam iudicii norma civilis  
vita vera directrix est. Aliud mihi longe, &  
quod confido, utilius institutum. Bonum Politi-  
ci maximum breviter designabo; praecepta deinde,  
quae ad illud ducere videntur, & quorum  
in civili vita manifesta est utilitas, copiose tra-  
dam. Quod tamen si nondum diluet fastidium  
tuum; saltem minuetur per hoc, quod non  
meo mihi arbitrio dilatandum hoc argumen-  
tum sumsi; sed Virorum, quos Summos Pa-  
tronos veneror, jussu; cui dum paream, malo  
in me desiderari ingenium, quam, si id non fa-  
ciam, obsequendi studium. Neque est, cur plu-  
ribus se velim; & jam ad ipsam tractationem  
progredior; quae ut bene feliciterque proce-  
dat, Divinum Numen in auxilium submitte ad-  
oro.

## §. I.

**P**ROPOSITUM de Summo Hominis Politici Bono  
Thema persecuturi deflectemus sub initium  
caulis per a communi via, omisissaque terminorum,  
iniquam in vulgus notorum, explicatione super-  
vacanea, rei ipsius statim tractationem suscipie-  
mus; nisi quod circa vocis Politici acceptionem  
vixdam monendus videaris. Πολύσημον nimirum  
vocabulum hoc est, & in varios significatus, par-  
tim praesente usu, partim Etymol. iubente, trahi-  
t est. Consuetudo loquendi nunc in genere Por-

G g

liti-

liticos vult eos omnes appellari, qui ad secularia ingenium aptare sciunt, sive publico aliquo Republica munere emineant; sive inter plebs repant; nunc vocem hanc ex parte amplificat & ex parte restrictam, illis literatis attribui dedit, qui Jurisprudentiæ operam addicunt, eos sic illis contradistinguit, qui aut in sanctis studiis aut Medicina, aut Philosophia, desudant. Vitiæ tamen si excussum eas, deprehendes, vel accipi posse, ut in genere ad omnes homines dret, cum omnis homo sit ζῶον πολιτικόν, habet Philosophus; vel aliquanto restrictius, ambitu suo non nisi eos comprehendat homines, qui in Reipublicæ alicujus societatem conveniunt. Nobis hoc loco specialior adhuc ejus conceptus placet; quatenus nimirum vox hæc eos solum complectitur, qui Rempubl. administrant; vel ad ejus clavum sedent, ut Princeps, vel hinc in consiliis adsunt, aut alia munera, ad Reipubl. administrationem pertinentia, obeunt. Hos καὶ ἐξοχήν Politicos vocandos esse, nemo infans credo, ibit.

§. II. Ne vero quædam ambiguitas hujusmodi mihi complexi, *Summum bonum*, in errorem ducat, libet significationi ejus, quam hoc loco tendimus, suos limites designare, extra quos exerrabit, sciet, committi ab ipso transitum, quem vocant, εἰς ἄλλο γένος. Nimirum hoc est positum nobis, agere hic de Summo Bono absolute & simpliciter tali, quod hæud dubie DEUS est.

potius intuitiva, ejus cognitio respectu intelle-  
 ctus nostri, & fruitio in ordine ad voluntatem,  
 quibus beatitudo æterna formaliter consistit.  
 hoc tu ex puriori fonte, Codicem Sacrum intel-  
 ligo, hauri; & eo avidius quidem, quo cæteris bo-  
 nis hoc majus est & diuturnius. Sed neque  
 actatio se nostra effundet ad Bonum illud Sum-  
 mum considerandum, quod est Politici; ut ho-  
 mo est. Moralistarum hic volumina adi; & in-  
 quitas eorum circa id lites mirare. Deprehendes  
 item, plerosque illud in operatione secundum  
 virtutem querere; quod quam recte fiat, ipse  
 deris. Ego certe nulla persuasione adducar,  
 credam, pro Summo hominis Bono habendum,  
 si possessor possit miser & infelix, & sua for-  
 non contentus, esse. Quod si vero quis opera-  
 tionem hanc secundum virtutem maximam esse  
 ter bona hominis singulatim spectata pugnabit,  
 poterit annuam; sed id Summum hominis Bo-  
 num ex usu hujus vocabuli, communiter a Mora-  
 listis comprobato, vocandum esse, valde negabo;  
 propterea quod per se, & solitarie virtus, bonis  
 omnibus aliis destituta, nullam capax est in suo  
 objecto *autægeniæ* producere; quam tamen in-  
 ti Summi Boni requisita ipse numerat Philoso-  
 phus. Sed longum est, rem illam ex dignitate  
 sequi, & suspensæ videtur hæc, quam circa  
 ea, quæ mei instituti non est, necesse, mora. Pro-  
 cediamus nunc, & Summum Politici, quatenus

Gg: talis,

talis, seu quatenus Rempubl. administrat, bonum citemur.

§. III. Prius autem, quam viam hanc ingredimur, hæerere in principio paulisper libet, & indagare, an tale, quale investigamus, detur bonum. Frustra enim, & absurde quis in rei naturam inquirat, de cuius existentia non omnis ipsi dubitatio exempta est. Neque vero hic anxio labore esse puto, ad argumenta eruenda, quibus, tale dari, ostendam. Ipsa varietas bonorum, que apparet in ii, quibus cura Reipubl. est commissa, contra que gradus, dubitare non sinunt, esse aliquod Politicorum Bonum, quod cæteris antistat, ad hoc eo respectu Summum vocari queat. Eo ipso enim, dum quis largitur, bona illa paria non esse, sed unum altero majus & præstabilius, simul fatetur, dari ergo aliquod bonum, cui nullum in Politico mereatur præferri, & proinde in hoc genere summum. Illud autem quale sit, age, nunc videamus.

§. IV. Hoc vero dum facio, ecce? mihi ante oculos plurimorum & tantum non omnium Politicorum catervam, que gloriam, gloriam & nominis famam! conclamat. Ita est; videmus, nullum ex omnibus bonis majori studio seculi excelsos venari, quam nominis immortalitatem. Et profecto trahimur omnes leudis studio, & optamus quisque maxime gloria ducitur. (Cic. pro Archia.) Hinc non contemnenda ea, & imprimis Politicis nostris, quibus præcipua ad famam ducitur.

genda. Tac. Annal. 4. 40. 2. Nam non vulgus solummodo, sed & ex iis multi, qui sapientes vocari volunt, virtutes metiuntur ex fama, neque eas alia veneratione prosequuntur, nisi quam nominis magnitudo suggessit. Sed & ad augendas res, seu privatas, seu publicas, quid ea non confert? In belis præcipue, quæ fama stare & ab ea maximum momentum accipere, haud incongrue nitidissimus Historicus asserit. Q. Curtius III. IIX. Parvius triumphos terrarum ille Domitor egisset; neque in India tam late victricia signa effudissent Hispani; nisi tantorum successurum præcipua hæc adiutrice usis. Hinc & ille Politicorum communis doctor unum Principibus insatiabiliter parandum enset, prosperam sui memoriam. Contemptu enim famæ, contemni virtutes, prudenter monet. Tac. Annal. 4. 38. 7. Et quæ illis, qui ad gubernacula Reipubl. sedent, vigiliarum, laborumque iurnorum nocturnorumque præstantior quærenda merces, quam hæc perennis, & nullis temporum spatiis terminanda fama, qua nullum præclarus, nullumve amplius patrimonium posteris relinquere potest? Ausculta Isocratem, quos stimulos 10. Nicocli adast. *Crede, inquit, mihi longe præsentius est, liberis famam honestam, quam manus opes relinquere. Ha namque caduca sunt mortales, illa contra immortalis, & æterna. una opes parari possunt; pecunia bona fama inquam emittitur. Divitiæ improbis contingunt; gloriam nemo parabit sibi, nisi bonus, & virtute*



*præstans.* Et alio idem loco: *Qui ea agit, non de non sibi laudem decusque in præsens invenit modo, sed ingentem quoque ad posteros transmittat gloriam, is thesaurum possidet, & periberrimum & tutissimum.* Vide, ut os illudæreum; & immortalitatis per omnem vitam cupidissimum consentiat. Ex omnibus, ait, præmiis esset habenda ratio præmiorum, amplissimum est gloria, quæ brevitatem vitæ posteritatis memoria consolatur, cujusque gradibus homines in cælum videntur ascendere. Sed videntur; Noster autem Politicus alios sibi gradus fabricet, quibus in tam sublimem ascendat locum. Eubrici enim illi sunt; & qui insistentes sibi pedes persæpe solunt. Sed fac, firmam esse & quam diutissime perennantem gloriam. An vero in hoc S. Politici Bonum quæres? Nihil potest esse vere bonum nisi quod in nobis inest, & quod a nobis ipsis petimus. Quid enim, Politice, an tua felicitas ab illorum sermone pendeat? Quam vero is incertans, & varius, quamque brevis? Sed & in indignum quam sæpe cadit? utpote quæ haud raro fortuna potius, quam virtutis, est beneficium. *Q. Curt. IX. X. 18.* Fuge, fuge, perniciosam cupiditatem hanc; nam & animi libertatem eripit, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. *Cic. Offi. I. XX.* Themistoclem adi; a somno illum hæc agritudo arcet, nec unquam esse mente transquila sinit. Tu feliciorum te & sapientiorum finge. Vera enim & sapiens animi magnitudo, bene-

nestum illud, quod maxime natura sequitur, in fa-  
 ctis positum, non in gloria iudicat: principemque  
 que se esse mavult, quam videri; etiam quibus  
 errore imperitiae multitudinis pendet, hic in magali  
 viris non est habendus. Cic. Off. I. XIX. Neque  
 enim hic moratur iudicia vulgi, sed sua omnia in  
 se uno ponit. Et audi de hoc plebis iudicio, non  
 contemnendum iudicium. Plut. Lib. de Educ. pueri  
 τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν, αἱ τοῖς σοφοῖς ἐστὶν ἀπαι-  
 ρέσκειν. Et recte quidem sentit. & Humilium co-  
 nim illorum veneratio saepe tam facile in vitia fero-  
 tur, quam in virtutes; vagum est fama coecum-  
 que numen, nec aequa lance cuique mortalium  
 laudem tribuit aut vituperium. Cave igitur,  
 cave; lubrica haec via est, ne forte affligaris; sed  
 & ne alios affligas lapsu tuo. Cic. Off. I. XIX.  
 Facillime enim ad res injustas impellitur, ut quis-  
 que est, altissimo animo & gloriae cupido. Neque  
 vero solida est, aut vera; sed fucata, simulataque  
 gloria, cuius non sola procreatrix virtus; hujus e-  
 nim lumen ut obscurum esse diu nequit; ita nihil  
 imulatum fictumque in diuturna laude versatur.  
 Tu hoc praecipuum cape; certissimam ad gloriam  
 viam esse, quae vero nititur, hoc est, si talis sis,  
 qualem te haberi cupias. Virtutis te vis censerit  
 tudiosum? hanc sequere, gloria generose spre-  
 ta. Quanto magis enim solam virtutem respexeris,  
 neglecta illa, tanto constantius, crede mihi, ea te  
 equetur. Quod si contra famam captas, virtu-  
 te sprete; neque hanc habes; nec istam conseque-

ris. Talem te esse volo, qualem Agricola suam prædicat Tacitus, qui ne famam quidem ostentandam virtute, aut arte quaerivit; qualem Catonem Vellejus Libr. 2. laudat, quem, ait, hominem fuisse virtuti simillimum, & per omnia ingenio Divi, quam hominibus, propiorem, quique nunquam recte fecerit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat; cuique ad solum visum simulationem habere, quod haberet iustitiam. Præterea sane vox, & illius viri gravitate digna. Major tali mente felicitas, quam a summa gloria. Numdum persuadetur tibi? Eam ergo, si libet, tibi habet nos aliud bonum investigabimus.

§. V. Quale vero erit? Potentia fortasse & in quam plurimos imperium? Ita sane videtur Superbum enim elatumque animal homo est, & imperii natura avidum. Vetus est & pridem insita mortalibus potentiae cupido, & est ea eandem affectibus flagrantior. Mirantur plerique illum splendorem, & ad sublimem istum apicem suis votis contendunt. Libere, sed vere loquitur. Magni fere animi index hæc est cupiditas. Cum a summis splendidissimisque ingenis plerumque consistant honoris, imperii, potentiae, gloriae cupiditates. Cic. Off. I. II. Stilponem Philosophum consulo; quam hic pro scientia fasces, & contemplatione imperium mallet, quo generosæ mentis omnia referenda confet. Omnis enim esse Regi Seneca VII; Ben. 4. Alexandro Magno quis aliter præter famam & imperii magnitudinem, scopus? Q.

Curt.

Curt. passim. Julio Casari hæc cynosura, quam unice spectabat; hæc norma, juxta quam actiones suas omnes & vitam exigebat; qui & ausus illo Euripidis frequenter uti: Si violandum est jus, regnandi causa violandum est; aliis rebus pietatem colas; cui non absimile dictum, quod Polynices apud Senecam adhibet, cum, pro Regno, inquit, velim patriam, penates, conjugem, flammis dare, Sed o miserum te & vanum, si hoc S. B. putes! Quid enim imperium est, nisi perpetua alienæ salutis cura? videlicet verum illud & justum, non quod tyranni gerunt. Detrahe, quæso, purpuram, detrahe alia, quæ in speciem Magistratus ornant, videbis, sub istis insignibus ingentes latere molestias, ut vocat Cicero, Romani eloquii decus. Quid enim? voluptatem tu, aut quietem, in illo fastigio quæris? Apoge imprudens. Nescis, quid mali sit, imperare. Labor est; & talis, quo nullus difficilior, aut majores vigiliæ laboresque desiderat. Non gemmas in corona, sed spinas respice, quæ illam implicant. Non tam ad auream messem, quod Stratocles & Damoclidæ censent, quam ad Herculeum, & vel ipso Atlante gravius, vocatur onus, cui Reipubl. defertur cura. Sed & quam incertus, & lubricus est iste spes? cum tam facile de suo axe præcipitet fortuna, quam in unum attollit. Cæca enim est hæc rerum domina, & sæpe mortalium pro libidine versat, volvitque. Tunc ex sterquilineo eruit, & in sublimi locat, illam sceptro superbiunt ad infima deturbat. Pe-

frus Cunctus Orat. X. Diu crescunt magna arbores; una hora extirpantur. Caduca hæc, & fragilis, puerilique consentanea crepundis, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Val. Max. L. 6. cap. ult. cum nihil tam firmum, cui non sit etiam ab invalido periculum; ferrum rubigo consumit, & Leo aliquando minimarum avium fit pulum. Q. Curt. 7. 8. 14. Nec incerta solam hæc fors, sed & nulla fere est, & quæ bonis privatorum caret. Exclamantem Politicum audi: O miseram potentiam, in qua raræ felicitatis est, ad bona privatorum pervenire! Barclaj. Arg. L. II. c. XIII. Philippum IV. Regem Hispaniæ aspice, morti vitæque, obsecratam & pauperem vitam egisse vollet; & infamam conditionem solio atque purpurae suæ anteponebat. Intelligit, sed sero, quantum æruginis sub tenui dignitatis nomine lateat, ut loquitur Seneca. Anas circumi, & miraberis eorum rosam atque variam exæcoram illorum, quam tantopere felices prædicamus, sortem. Sed nobis illustria magis exempla, quam in Angliâ, quæ huc adducere longum est; tu ea ab historicis pete. Lydios etiam, Phrygiosque, conjuges, quos nitidissimus Barclajus inducit, contemplari; vel si lubet, Tragicas Eranisci scenas spectatum; & reverteris, credo, sopita animi illa tui cupiditas contemptoque hoc Summo multoties. Sed Nec opus est hic plura; cetera nunc sequor.

§. VI. Indignam sensu! Banxhumis & sp...

cos animos sæpe Reipubl. præesse; audio enim quorundam inter eos vocem, qui corporis voluptatem Politico in hac vita S. B. esse, & hinc unice querendam, clamant. Pecudum illa vox est, non hominum. Horat. Lib. I. Od. 34. Sed quid ajo? Non hominum esse, quæ Epicuri, Summi & acutissimi Philosophi, autoritate firmatur? sed esto. Non autoritas, sed ratio, veritatem constituit. Et quid adeo insolens aut ineptum, quod non ab aliquo sit Philosopho dictum? vel solum Machiavellum respice; quid in ejus acumine & ingenio desideres? is vero quam impiam & absurdam Philosophiam, Reipubl. obtrudere, ausus est? Quare corporis voluptatem contemni & rejici oportet. Quippe qua nulla capitalior est peste, & qua omne fere ingenii lumen extingvit, uti Archites Tarentinus ait, cujus verba relata vide apud Cic. Cat. Maj. c. XII. Quid ergo? Te felicitatem prædicem, voluptuarie? Imo improbo, & stulto, & inertis, nemini bene esse potest. Te beatum, te florentem putas? & tuæ te tamen libidines torquent; dies noctesque crucias; cui nec sat est, quod est, & id ipsum, ne non sis diuturnum, times. Cic. Parad. III. Sed quid hic moror, atque contendo tecum in indigno argumento, quod & alias totis voluminibus est a sanis viribus Philosophis explicatum? Quare te reliquos, cum tuo sordibusque immersum, & cum Xerxe, Nerone, horumque similibus, novis quotidie voluptatibus imminentem; & ingemiscens salutem Reipubl.

publi-

publicæ, quæ sub talis Rectoris cura graviter laborat, viam capesso longius.

§. VII. Sed ecce! dum propero hinc, non res excipit admirationem meam. Video enim Politicos nonnullos pallido & tristi vultu, in opusque divitias intento; ad quas etiam, tanquam certum, omnes suarum actionum lineas derivant. Hoc ipsis S. B. est, & plane Numen, cujus Majestatem sanctissime adorant. Hinc & eorum præsertim vota, & cunctis notissima templis, divinitus ut crescant. Juv. sat. 10. & Seneca Ep. 95. Verilia ipsis omnia Jura; & bono & honesto operatiores sunt. Sallust. Jugurth. 8. 1. Detestanda malignitas! sed & dementia extrema! Doleo vitam tuam, miser, et vane; si hic maximum tuum bonum judicas situm esse. Quid enim ad felicitatem illa externa, & si verum amas, ne quid tua? Nihil enim neque tuum est, neque capere quam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Animus oportet tuus se judicet dives, non possessiones tuæ. Sed quid necesse hic frater moras, Sapientumque in notissimo argumento sententias cumulo? Tu, si nondum nuditatem Sanctorum Boni agnosceis, ipse eorum libros, & præcipue Ciceronis, atque Senecæ, scrutare illi, confido, poteris has & noxias animi tui tenebras dispellere. Epistulam meam ad meliora converto.

§. VIII. Quodnam vero tandem illud sanctorum Politici bonum erit? Tranquillitas sanctorum animi, nullius externi boni desiderio labefacta.

Sed

Sed hoc omnium hominum, ut talium, esse contendimus. An ipsius animæ cum Deo conjunctio, & firma in ipsum fiducia? Sed id homini, ut Christiano, convenit; Reipubl. salus, omnium maxime videtur esse. At enim hanc homo, ut civis, sibi pro summo bono capit; quod hinc latius aliquanto, quam nostrum fert institutum, patet. Quale vero tandem illud, quod indagamus, erit? Dicam tibi. Est constans & firmus habitus, actiones suas ad Reipubl. salutem, atque commodum, directo exigendi. In habitu illud pono; Et recte. Quodcumque enim bonum homini proprium est, ut hoc politici, in operatione animæ rationalis querendum est. Nec vero qualemcumque, sed constantem, & firmum, requirimus. Nam qui adhuc vacillat, nec satis animi contrarios motus subigit, pondum in censum hunc venire potest. Sed nec determinamus, an intellectus, an voluntatis habitum velimus intellectum; cum ad utrumque is referri possit. Intellectum enim respicit, quatenus in eo opponit cognitionem eorum, quæ ad actiones, juxta normam publicæ utilitatis instituendas, sunt necessaria; voluntatis autem est habitus, quatenus in ea adesse debet firmum & efficacem propositum agendi, prout salus atque utilitas Reipubl. consideravit. Differentia specifica desumpta est ab objecto hujus habitus cum materiali, quod Politici sunt adiones; non omnes illæ quidem, sed eas Reipubl. partis, quam administrat, ratio desiderat; cum formali, quatenus videlicet actiones illæ



læ ad salutem & commodum Reipubl. metienda. Directo inquam. Nam & alias cæterorum civium actiones ad hunc scopum coadjuvare debent; Sed id indirecte, non directe; cum plerumque interveniat aliquis alius earum actionum immotus & principalis finis. Illum etiam dictis hættem pone, nisi actiones ad publicum commodum directæ, alii juri superiori, repugnaturæ sint; & pote quæ transgressio non potest non valuisse quod imponere conscientie, cum quo Summum stare non potest.

§. IX. Virtutem autem hanc Politicam quæ dubitet Summum B. esse? Quod si ambigendum posset, vel ipsa Philosophi requisita, quæ ad B. vult concurrere, huc applicatum irem. Sed facilis labor est; hinc tibi relinquo eum; periculum fac; & videbis, ad amissum quadrare singula. Quamobrem si quis Politicorum ita affectum mentem gerit, ut omnes actiones suas ad salutem Reipubl. vel conservandam, vel reparandam, dirigat ut omnem sapientiam suam, consilia, cogitationes, æreos, vires denique omnes in eam impendat, & nullam spem aut metum ab hoc tramite se deviare sinat, is demum de S. B. possessione vergeri potest. Floret Respubl. ? Gaudebit ille, in eam consiliis stare; vel saltem, aliqua ad illam florem se contulisse. Inclinator adversis rebus? Dolorem huic omnem absterget, quod videt, operam se dare, quantumcunque potest, ut cesset. Collebitur penitus, nec ullis modis ruit.

fulciri potest? At huic satis ad animi tranquillitatem erit, carere culpa, suisque consiliis occasione invigilabit, qua res everfas strenue restituat.

§. X. Delineavi tibi Summum Politici Bonum. Nunc age, colores, quibus hanc in te imaginem recte & plene exprimas, si libet, cape. Neque vero, me hic minuta omnia persecuturum, expectas; quod vetat pagellarum præfixa paucitas. Ibo tantum per summos apices, & gradus, qui ad hoc bonum ducunt; non nisi e longinquo, sed tamen quantum fat est, indicabo. Ex parte intellectus sapienciam Politicam requiro, hoc est, cogitationem earum rerum, quæ publico salutare sunt; per quam quis præsentia ordinare, futura prospicere novit. Absque hac si est; quomodo Reipubl. consules, & actiones tuas ex ejus utilitate vere æstimates? Tragici illud dictum cogita: πολλῶ τὸ δρῶν εὐδαιμονίας πρῶτον ὑπάρχει. Nemini ditius ad Summum nostrum Bonum, nisi per hanc viam patet. Tres autem fontes sunt, ex quibus potissimum cognitio hæc manat; experientia, historia, & doctrina. Ex illo purissimæ aquæ, sed nimis lente fluunt; imo destillant; neque eas, nisi in prævecta ætate, expectas. Sed tamen, si non magna, saltem aliqua experientia ad res civiles aptissime est necessaria. Quam si nullam plane possides; quæso, ne attinge Rempubl., ne illa tecum iat; & perveniendi ad S. hoc B. spes tibi decollet. Ex altero fonte, Historia nimirum, avidè, & iam potè, frequentissime hauri; atque ita habes, per

per usum rerum felix esse, & certum, sed nimis longum ad illam cognitionem iter; per historiam autem breve, jucundum, & hinc a plerisque tritum. Profecto exprimi satis non potest; quam mire animum, Reipubl. olim a consiliis futurum, excolat historia, & quam proficuum Politico sit tale cum mortuis & absentibus commercium. Itanium seculorum res gestæ brevi tempore innotescunt; aperitque se omnium fere sapientum, quos nos præcessere, sapientia, quot heu! vigiliis & quanto longo usu ab ipsis comparata? Hos tu, velut consiliarios, cum illo Sicularum Rege adi. Subministrabant tibi lucem, qua in caligine negotiorum utaris; viam, quam tuto insistas; insidias, quas caute evites. Dubitas adhuc, fidem habere nobis? age; excute nostrorum temporum gravia negotia; vel unum da, cui simile non possit a historia referri. Nimirum haud vanum est iudicium eorum, qui novi plane nihil hodie, putant, & cedere, sed repeti tantum ea, quæ olim gesta. Sed non promiscue historicos evolvas, ne erres; hic enim multi peccant. Cave eos, qui ex favore vel odio laudem & vituperium dispensant. Falsæ ita narratio magis confundet te, quam jurabit. Lipsium hic audi; neminem Historiarum a Politico vult legi; nisi qui tribus notis, veritate, explanatione, atque iudicio, insignis est. Prudenter fac; & quid moror? Ad illum te ablego; illinc relictus, quæ ad hoc argumentum spectant, petes; illius enim iudicium hic mentem facio. *De finem*

huc etiam arcesso; quamvis hic alii secus. Magnos animos, & populo aliquando præfuturos sibi relinqui volunt, ut potius secundum normam naturalis iudicii, quam ex superfluo acumine suo Reipublicæ utilitatem æstiment. Nec repugno quidem, si de superfluo acumine sermo sit. Sane enim odi cum Pacuvio apud Gellium homines ignava opera, Philosophæ sententia; qui doctrina ore tenus exerciti, animum bonis artibus non induerunt. *Tac. Ann. 15. 45. 3.* Æschii dictum inculco: Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit. Nec scholæ quicquam, sed vitæ omnia discenda sunt. *Senec. Ep. 106. in fin.* Inepti plerumque ad Rempubl. acutuli isti, & fere pro consilio nihil certi expediunt; quippe in varietate rationum pro utraque parte ut plurimum natantes. Possem hic quædam apposite & vere, sed sileo. Illud certum, multos solo ingenio duce, ad eam sapientiam provectos, ut patriam firmare Legibus, armis amplificare, consiliorumque suorum felicissimo eventu orbi venerabilem reddere scirent, quamvis literas omnino ignorarent. Quorum hominum hoc pessimum fatum est, quod illi de schola eos a classe hominum magnorum arcent; quasi in eam magnitudinem non paterent ingenia, nisi que Græce aut Latine scirent. Sed o vos simplices, & gnoscite verum dicenti, fatuos! Nescitis, heu! rani, nescitis, quid sit sapere. Eorum, qui Reipublicæ præsumunt, qui vitam bene, beateque agere nos docent, vera sapientia est; vestra autem, quæ talis

Hh

audit,

audit, non nisi ejus umbra, & imago, & cortex meretur dici. Sed hæc ita hæctenus, ut contendam, ad Magnum Virum non omnino necessariam doctrinam esse; quam tamen, cave, spernas, quanta eam potius, quam potes, copiosissime hauri; & ita habe; Nullam magis compendiarium viam ad Bonum Politici, quod quæris, ducere, quam hæc doctrinæ. Vis ejus in percolendis ingenius admiranda; præcipue si in eximiam naturam incidit. Eleganter & acute Stagirites, mentem, ait, a doctrina lumen accipere, ut a circumfuso aere aspectum. Et sane, uti ager, licet fertilis sit, sine cultura fructuosus esse nequit; ita nec animus, sine doctrina. Hæc omnes errores evellit, vanitatem succidit, licentiam amputat, ingenii luxuriam depascit, rationis motus confirmat, veritatis vim extollit, omni demum ex parte animum elegantia expolit. Hinc ab omnibus graviter querenda; sed a nostro Politico imprimis. Vegetium autem in *proem. Lib. de Re militi.* Neminem, ait, magis decet, vel meliora scire, vel plura; quam Principem, cujus doctrina omnibus potest prodesse subjectis. Et sapientissimus Seneca eosdem illos, qui Reipubl. gubernacula tenent, ablegat ad naturam, & prisca illius seculi, quod aurei nomen meretur, integros & incorruptos mores intueri jubet. Naturæ est, inquit, potioribus deteriora submittere. Mutis gregibus aut maxima corpora præfunt, aut vehementissima. Non præcedit argumenta degener taurus, sed qui magnitudine et

totus

toris ceteros mares vicit. Elephantorum gregem excelsissimus ducit, inter homines pro summo est optimus; Ideoque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse, nisi melior. Tantum enim, quantum vult, potest, qui se, nisi quod debet, non putat posse. Illo ergo seculo, quod aureum perhibetur, penes sapientes fuit regnum; continebant manus, & infirmiores a validioribus tuebantur. Svadebant, dissvadebantque, & utilia atque inutilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid deesset suis, providebat. Fortitudo arcebat pericula, beneficentia augebat, amabatque subditos, officium erat imperare, non regnum. Nemo quantum posset, adversus coalexperiebatur; per quos coeperat posse. Quam graviter hæc & acute, ut solet, Seneca? Nimirum cum Platone optima censebat imperia, ubi vel Philosophi regnarent, vel Philosopharentur reges. Sed recte hæc & cum modo capienda. Veros Philosophos intelligit, non tales, quorum omnis sapientia inter aliquot controversiarum ambitum est clausa. Vim etymi, oportet, spectes, non vero loquendi usum. Sinas mirari soleo, cum Legocorum historiam; jam antiquissimo apud eos tempore tantum eruditioni pretium constabat, ut ad suprema manera non aliis, nisi Philosophiæ, iretur gradibus. Sed quo a me hæc in literarum præsidium? Tu si pleno nondum fidem adhibes; Cæsares, Alexandros, & alios, qui in veterum, recentiorumque, monumentis vivunt, consules; & dis-

sces, quam difficulter ars illa recte gubernandi Rempubl. ab hac literarum possit sejuncta esse. Quippe mutuum sibi hæc duo auxilium præstant. Regit literas, ne sordescant, sublimis, & ad sui seculi morem facta calliditas; quam invicem literæ armant, ne expertis tantum rebus, sui que temporis notitia nitatur, sed peritia quoque & laboribus antiquitatis; uti Euphormio Satyricus, sub quo nitidissimus Barclajus ludit, in Icone animorum loquitur. Sed unde Politicus hanc, quam quærimus, & quæ ad Summum illud Bonum ducit, doctrinam? Arcanum hoc Sapientis cujusdam dictum imbebe: Non multa lectione, sed crebra peritorum lectorum meditatione, sublimem scientiam comparari. Et disces tu quidem Politicam, sed veram; & recte disces. Ex umbratili, & quæ præter nonnullarum vocum explicationem nihil habet, matùre exi; liberali illa te imbue; quæ præcepta regendi populi genuine docet. In eligendo Doctore utaris arbitrio tuo. Ego certe, si ab historia recedamus, quæ ad hunc scopum imprimè facit, neminem meliorem censeo, quam J. Lipsium, qui in Politicos suos libros magno, sed utilissimo labore, optima quæque congescit. Hunc tu crebres, quamdiu voles; tamdiu autem velle debes, quoad eum nondum in succum, quod ajunt, & sanguinem converteris. Sed audi, ut prudenter, & cum cautione, fiat. Nam & nexos suos habet ille liber. Præcipue ubi de religione, de iure, & hæresi punienda, tractat; intata, lubrica &

nec satis constantia vestigia ejus sunt; quæ proinde non nisi cum perito ductore inibis. Et hæc tibi, Politice, disciplina propria, & præcipua. Cæteras, quæ aut mores formant, aut patrias LL. explicant, aut naturæ arcana docent, tantum cognosces, quantum ipse judicabis instituto tuo vel necessarium esse, vel saltem utile. His mediis instructus scies ex Reipubl. utilitate actiones tuas recte metiri; quod si facies constanter, acquires habitum illum, in quo Summum Politici Bonum statuimus.

SEQUUNTUR

PROGRAMMATA  
NONNULLA,  
QUÆ PRÆCEDENTES DISSERTATIONES PASSIM  
ILLUSTRANT.

I.

DE

ORTU ATQVE PROGRESSU  
DISCIPLINÆ JURIS NATU-  
RALIS.

**D**Ulm more solemnè cumulatissima virtutis præmia, honoresque in Sapientia summòs, merentibus offero, nihil rectius me

Hh 3

factu-



facturum esse existimo, quam si disciplina, quae Jus hominibus insitum, conatumque tradit, rationem & indolem strictim exponam, ut, quam faciem successu temporis induerit, breviter & mox quasi obtutu appareat. Qui vero operam suam in illo Jure explicando cum laude hactenus collocarunt, eo praesertim ingenii sui vires atque industriam conferre visi sunt, ut in specialibus praecipis fines ejus regerent, atque ab institutis positivis recte custodirent. Sicuti vero diversas inierunt vias; ita alii longius, alii propius, a vero abfuerunt. Nam qui disciplinam hanc explicandi partes ita sibi sumserant, ut, nullo certo, eoque generali, principio constituto, laxum rationis suum iudicium sectarentur, vagi, nec sibi constantes, tanquam per tenebras, sine lumine, errarunt, nec nisi quodam in veritatem inciderunt. Hi enim ab aliorum auctoritate serviliter pendent, vel rationum dialecticarum cumulo unice nituntur, idque efficiunt, ut magno apparatu ignorantiam suam ostentent, neque de vera & solida scientia gloriae majori jure queant, quam caecutientes de oculorum sensu. Atque hoc de veterum pene omnium, qui in hoc studio elaborarunt, scriptis affirmasse aequum. Neque hoc temere dictum videri debet. Nulli enim antiquis temporibus propositum fuit, in plenum systema Jus N. redigere. Hinc sparsim quidem incorruptae rationis lumen ex scriptis eorum emicat; sed firmum, inconcussum, & concatenata serie cohaerens nihil in iis deprehendo. Et

pra-

præcipue quidem Poetas jam vetustissimis temporibus vivendi rationem secundum naturæ lumen, explicuisse, Strabo, aliique Scriptores, Græci cum primis, memoriæ prodiderunt. Insecutis temporibus doctrina moralis ab Hecateo, Cadmo, atque Pherecyde, sine numero proponi, oratioque pedestris introduci cœpit. Socrates præsertim omni contentione animi in hanc sapientiæ partem incubuit, tanta veneratione eandem profecutus, ut hanc unam ingenio suo, divinaque industria, dignam judicaret. Hujus præclarum exemplum alii quoque imitati sunt, Græci Latinique Philosophi, quorum pleraque scripta temporum vetustas, injuriaque consumpsit. Præ cæteris vero Aristotelis librum, quem *δικαιώματα πολέμων* inscripsit, desideramus; neque ulli ambigimus, quin Romanorum quoque liber *de Jure Feciali* connectus magnam Juris Naturæ partem complexus sit. Præcipue vero Ciceronis exemplo, qui officia civis præclare exposuit, plures excitati sunt, ut propemodum contempta omni alia Philosophiæ parte omnes animi cogitationes in ejus culturam intenderent. Hi tamen omnes in hoc studio ita versabantur, ut in justæ disciplinæ formam lud redigere, atque ex certis principiis deducere, mentem ipsis haud veniret. Tum igitur luctrica erant omnia, atque incerta; & persvaserant hi, qui hanc sapientiæ partem tractabant, vanum institutum esse, demonstrationem ab ea vel petere, vel expectare; utique cum Aristoteles, qui

sapientiae limites fixisse, nescio, quo fatali torpore credebatur, ipse vilem hederam doctrinae suae morali suspendisset, neque inveniri in ea certatim quid posse, non citra aliorum consensionem, applaudisumque edixisset. At enim divulsae, sparsaeque tam egregii juris partes coalescere seculo haec ausae sunt. Neque conatum eventus destitit, cum operi tam praeclearo manum admoveret *Hugo Grotius*, pari ingenio atque doctrina adjunctus. Neque vero, quod pulcherrimae cujusque rei factum esse solet, nova disciplina perfecta statim, absolutaque evasit; sed tanquam corpus sine anima, aliquandiu sine certo demonstrandi principio jacuit. Praeterquam enim quod *Grotius*, infelici impioque conatu orthodoxae religionis mysteria vellicavit, & hinc non parum fidem apud pietatis studiosos decoxit, in disciplina quoque Morali insignem defectum reliquit, tanquam in disponentibus fatis, ne omnis industriae mater posteris praeriperetur, aut laus unius hominis esset, & fundamenta disciplinae tam nobilis jactis, & ad supremum eandem fastigium perducerent. Quippe non animadvertit, de apodictica certitudine gloriari non posse, nisi ex universis quo omnibusque difficultatibus expedito principio demonstrationes moralium firmo nexu procederent. Neque eo tempore alius quispiam eadem erat sollicitus, cum omnium animis infunderet opinio, supremum apicem disciplinam Juris N. attingisse; nihil addi, aut detrahi eidem posse. Quam

errorem invitis ac repugnantibus extorsit ingenium aliud, cui quantum vera Jurisprudencia debeatur, mentorum ejus magnitudo obscurum esse nunquam patietur. Sic jacta veræ demonstrationis fundamenta sunt, & quod sperare antea ausus fuerat nemo, ad apodicticam certitudinem moralis revocari coeperant. Neque vero adhuc ultima ad ea manus admotæ est. Unde valde mirari subit, apud vulgus interpretum hanc fere persuasivam inoluissæ, supervacaneum omnem ulteriorem in hoc studio laborem esse, atque a tantis, quæ in eo desudarunt ingeniis, ne spicilegium quidem posteris esse relictum. Quæ hæresis quantum pulcherrimæ disciplinæ remoram injiciat, satis intelligunt, quotquot interiorum ejus nexum, totamque societatis humanæ compagem, sedulo scrutantur. In eo præsertim elaborandum est, ut, quæ permixta & moraliter indifferentia sunt, a Jure naturali recte separentur, & quid proprie, quidve reductive tantum, ad insitam hanc Legem pertineat, studiose demonstretur. Quod si recte feliciterque consequamur, ususque Juris Naturæ in civilibus adjungatur, atque ex evidentibus principiis omnia deriventur, nihil erit, quod quisquam porro in hujus Philosophiæ vel utilitate, vel certitudine, desideret. Sed quid opus est multis? Hæc ipsa se defendit, nec aliena commendatione eget, & uberrima præmia sui cultoribus promittit & confert. &c.

## II.

# DE UTILITATE JURIS NATURÆ IN FORO.

**Q**uanta sit Juris Naturalis atque Gentium scientiæ utilitas, quamque largo se fonte per omnes propemodum alias studiorum partes diffundat, ratione, & experientia, cognitum est, nempe, nisi veræ doctrinæ rudis, rerumque civilium plane ignarus, diffitetur. Illis sane, qui sapientiæ operam dant, ejusque principia ad usum vitæ referenda esse intelligunt, pudendum fuerit, hanc partem negligere, vel ignorare, quæ rationem humanam moderatur, & regit, impetumque affectuum recte compescere, & pravos cupiditas, quæ mentis consilium pervertunt, & turbant, refrænare docet; mutuamque hominum inter se obligationem, & nexum, præclare ostendit. Neque vero omnes sigillatim disciplinas percensere, ejusque uberem in illis utilitatem copiose persequi, operæ pretium hoc loco fuerit, qui solius prudentiæ Civilis rationem habere, hujusque Juris doctrinam ad ejus usum recte transferre, animum adhibemus. Ubi illud cuique perspectum, cognitumque esse, existimo, Legum Civilium scientiam, hoc subsidio destitutam, lubricam esse, neque certo, firmoque satis fundamento inniti. Singularium eorum cognitio, nisi ex universalibus principiis, coherentem nexu, deducta, fallax est, solisque Legum speciebus

cibus intenta, ubi pedem figat, quoque fulciatur, nihil habet, difficillimoque & diuturno labore comparatur, quæ leviori hac via, brevi tempore, nec citra voluptatem, hauriri poterat. Quid vero? Cum Lex, hominibus insita, supremum Jus constituat, cui positiva subsunt, & obsequuntur, quæ citra illius cognitionem horum rationem & indolem recte erues, atque cognosces? Nam apud omnes in confesso est, & res ipsa docet, modo additum, modo detractum aliquid Juri Naturali per Leges Civiles esse; quod, quatenus humano Legislatori citra metum peccati liceat, nemo, nisi perspecta hac disciplina, intelliget, & æstimabit. Neque vero hoc illius tantum Prudentiæ, quæ circa Leges ferendas, constituendasque occupatur, & Legislatoria dici solet, munus esse, vel ex eo satis apparet, quod nulla Lex positiva, quæ Legi Naturali repugnet, in subditis obligationem producere, aut secundum eandem casus in judicio definiiri queant; ut hinc constet, universali huic Juri omnem reliquam Legum scientiam superstruendam esse, nisi quis, magno labore exhausto, ad carceres a calce reverti, atque, unde initium ducendum fuerat, illuc fero nimis respicere, omniaque velut ex integro agere deinceps velit. Frequentem etiam Juris N. mentionem Leges Romanæ injiciunt, nec raro cum positivo Gentium Jure confundunt, aliæque directe, aliæ tantum reductive, uti Doctores loquuntur, ad illud referunt, quæ recte separare, accurateque discernere nemo poterit, nisi, qui utrius-

triusque Juris Scientia subactum, excultumque primum habeat. Rationes vero dispositionum Civilium nosse, & acriter mentem eruere, quantum est, quantumque ad memoriam non minus, quam Judicium confirmandum valet! Atqui plerumque non ex alio, nisi hoc fonte manant, & deducuntur. Ex quo etiam illud consequitur, quod per se Leges quoque Romanæ inculcant, dispositione Civili deficiente, ad Naturale Gentiumque Jus recurrendum, indeque ambigua litium facta definienda, casusque in vita humana occurrentes definiendos esse, ut vel eo nomine citra hoc adjuvamentum Judicis partes nemo recte tueri possit, longeque feliciter in foro causas Clientum orant, qui ad Juris Civilis studium hanc universalem Prudentiam adjunxerunt, quam qui solis Legum Libermanarum apicibus innutriti sunt. Sed cum omnia ad excolendam divinam hanc scientiam incumbere debeant; tum vero id summo studio, animorumque contentione, eos facere par est, quos fortuna, & generis nobilitas, gloriæque Majorum ad summas dignitates vocat, atque Rep. gubernandi destinant, quosque Principum latus aliquando ornare, & legationibus defungi, aliisque publicis negotiis interesse, oportet. Cum enim Respublica erga se invicem consideratæ, aodienu in naturali conditione vivant, omnique Civili Jure superiores sint; controversiæ inter eas obortæ, et nullo, nisi Naturali & Gentium Jure, definienda, gravissimaque negotia componenda veniant; ubi

Leges

Leges Romanæ non majori effectu, quam cujusque scriptoris, testimonia citari queunt, & experientia compertum est, haud paucis solam hanc prudentiam cum Historiarum cognitione, & naturali quadam agendi dexteritate, conjunctam, ad maximas res gerendas, summaque munera cum laude obeunda, profuisse. Enimvero facile largimur, hos quoque, qui splendore generis, fortunarumque aliis antistant, rectius longe sibi consulere, si solidam Juris quoque Civilis scientiam cum hac universali Prudentia conjungant, neque in eadem quicquam solícite addiscant, nisi quod ad usum aliquem civilem transferre queant. &c.

### III.

## DE PRÆJUDICIO AUCTORITATIS, ET OPINIONE COMMUNI.

Uten Jureconsulti munus magnum atque difficile sit, omnesque ejus partes haud vulgarem agendi dexteritatem, animique nervos & attentionem requirant, tum vero illud maximam difficultatem parit, & ancipitem cogitandi curam ferre solet, ut in ambiguis casibus, quos nulla lex vel consuetudo clare distincteque definit, obtinendis explicandisque Justitiæ limites recte curvantur. Qui enim genuina interpretandi, & nume



numque ex altero apte colligendi ratione omni-  
 ad meram observantiam, quoties hæc, ut plerum-  
 que fieri solet, incerta est, Doctorumque senten-  
 tias, quibus tamen contrariae opponi queunt, re-  
 currunt, iisque cæco obsequio credulitatem suam  
 addicunt, nec veram, quam quaerimus, & per-  
 stigamus, decidendi viam insistant, & a mea per-  
 fecto indole, animique motibus longissime sepe-  
 ram rationem præcipiunt. Ego enim, cum, re-  
 scio qua felicitate, mature, atque adeo ab incan-  
 setate intellexissem, nullum in inquirenda veritate  
 majus obstaculum dari, quam præjudicia, atque  
 credendi servitutem, ab eo vitio longissime se-  
 per abesse conatus sum, atque animum meum o-  
 mni studio ita assuefeci, ut jam ingenii quidem  
 doctrina, usuque rerum civilium excelsis præ-  
 mum tribuam, eorumque merita pro eo, quod  
 est, suspiciam; sed in definiendis iis, quae iustae  
 vel injustae sint, nullius hominis, nisi Legislatoris  
 auctoritatem magnopere reverear, & quae in  
 quoque non omnino ratione intus destitui sentiam  
 huic etiam nonnullum indulgeam, neque, ut sponte  
 tancam cæcitatem menti meae inducam, oculis  
 ejusdem a quoquam excludi patiar. Illud espe-  
 ditum certumque est, cum veterum iudiciorum  
 formulæ & ritus maximam partem hodie exte-  
 verint, & alia plane facies forensium casuum  
 suscepta sit, ad ordinem iudicii recte constituen-  
 dum, modum agendi, excipiendi, probandi  
 commode instruendum, aliaque plurima præ-  
 ca

scenda Doctorum adjumento opus esse, atque ad difficultates in interpretando removendas, mentemque Legum recte eruendam maximum eos momentum atque praesidium afferre, praesertim cum non in umbra scholarum, sed in ipsis rerum argumentis, negotiorumque usu, versati doctrinam solida experientia confirmarunt; Eamvero ut cujusque Doctoris sententias, nulla persaepe, vel debili ratione suffultas continuo pro oraculis adorem, & supra Legum ipsarum auctoritatem habeam, linguamve meam ad quemcunque foetum, etiam deformem, & solo fortasse auctore suo dignum, lambendum commodem, nemo mihi facile persuadere conetur, nisi qui judicandi facultatem aliis plane ereptam, sibi que soli videndi intelligendique gloriam relictam cupiat. Quod si enim ingenui fert natura mea, verum fateri libet, perinde atque olim in Ecclesia traditiones humanae pro Divinis effatis invaluerunt, sic hodie in foro rarum haud est, ut glossae atque opiniones Doctorum, voce Legislatoris neglecta, sibi Juris auctoritatem asserant, & quamvis sibi ipsis persaepe contrariae, sub usuas tamen interpretationis clypeo delitescant & remnent. Quae res profecto temperanda, omnisque opinio eo traducenda est, ut, nisi de alia Legis interpretatione, per consuetudinem introducta, manifeste constet, verbis ejus atque sententiae inhaeramus, nec tam ex turbidis Glossatorum lacunis, quam ex ipso fonte, puritatem & definitionem eius, quod aequum & justum est, hauriamus. Quo-

CICCA

circa nemo facile citra risum legat illud Fulgii  
 Antecessoris Patavini, qui floruit circa annum C.  
 1430. quique alias, Wesenbecio iudice, mira  
 genii dexteritate, & subactio in Legibus inter-  
 tendis iudicio excelluit, cum ad *L. 6. C. d. O. B.*  
 postquam retulisset dictum Cyni, quod, sicut  
 idola pro Diis, ita Glossatores pro Evangelistis  
 vrentur, subjicit: *Volo potius pro me Glossatorum  
 quam textum; Nam, si allego textum, dicitur  
 advocari diversa partis, & etiam iudices: Quis  
 adis tu, quod Glossa non ita viderit illum textum  
 sicut tu? Add. Zas. ad L. ult. pr. ff. de Reb. cret.  
 Bernb. Grev. L. 2. Pract. Conclus. 136. Cons. 1. 2.*  
 Nisi quidem hoc in Fulgoso propter temporum  
 horum simplicitatem, iudicesque, auctoritatis  
 iudicio excaecatos, in laudem prudentiz, genio-  
 culi & moribus inservientis, abeat. Nec vero  
 error iste constitit, sed temporis successu latius  
 vagandi sibi viam fecit, adeo, ut nonnulli dicitur  
 rum instar decernerent, in ambiguis, nullaque  
 ge liquido definitis casibus, cum pro utraque  
 te Doctores faciunt, sententias numerandas esse,  
 seposito rationum pondere, pro norma in iudic-  
 do, amplectendam eam partem, pro qua  
 Doctores propugnent; quae tam praecleara, si  
 placet, justum eruendi methodus ne fundam-  
 prorsus destitui videretur, gravem ejus elegant-  
 que rationem reddit *Knich. d. Vestit. Part. 6. 7. 8.*  
*4, quia nempe in hermaphroditis, utraque  
 prevaleant, spectatur; hinc in dubiis quoque*

quibus ad multitudinem Doctorum, qui utramque  
 partem defendant, respiciendum, atque ex majori  
 numero, quid æquum, justumve sit, metiendum  
 esse. Add. *Mich. Crassum in Præf. Sent. Recept.*  
 non tam absurda superiori tempore hæresis ani-  
 mos nonnullorum occupaverat, ut existimarent,  
 vel certe hominibus stultis atque simplicibus per-  
 gradere conarentur, judicem, qui, neglecta com-  
 muni opinione, ex veritate, Legumque præscri-  
 pto, casum obvenientem definiat, non minus li-  
 tum suam facere, quam si aperte contra jus, quod  
 vocant, in thesi sententiam tulisset; ut non tam,  
 quid verum, rectumque sit, quam quid vulgus  
 Doctorum suo calculo comprobaret, attendendum  
 esse, contenderent, propugnarentque; *Jason in*  
*Jov. Novissima n. 22. C. d. Inoff. test.* quæ inanis  
 superstitione cum ab aliis false perstricta est, tum ve-  
 ro præ cæteris limam *Heinr. Nebelkræ. L. 1. Dec. 1.*  
 merito subiit. *Alciarum* sæpe miratus sum,  
 cum *Lib. 4. Parerg. Jur. c. 17.* ita scripsit: *Sicut*  
*in consiliis publicis non potuit aliud constitui,*  
*quam, ut numerentur potius, quam ponderentur,*  
*sententia, etiamsi major pars meliorem vincat;*  
*ita in opinionibus Doctorum, licet possit unius*  
*orsan & deterioris existimatio, & multos, &*  
*maiores in aliqua parte superare, sacrosancta*  
*amen est opinio communis, h. e. quæ receptior est,*  
*& in quam plures auctores transferunt.* Quasi  
 vero, ut in illis Conciliis, sic in judiciis quoque  
 nulla ratio negotia, nisi ex placitis Doctorum,

expediendi superesset, nec potius obligatio iudicibus, controversias obortas secundum Leges terminandi, incumberet. Quid vero? Unde communiem, & in iudiciis receptam, sententiam tuam diminabis, cum quaelibet propemodum quaelibet utramque partem assertorum suorum patrocinatur? Illis enim Doctoribus, qui de communibus sententiis tam liberale testimonium praestant, non maiorem fidem haberi par est, quam si quis de abrogata Lege Groenevegium, aliosque subtilitatis fidei testes excitet. In iis enim, quae sensu a sensibus, ingenio, & iudicio constituuntur, ut mini simpliciter credulitas mancipanda est, praesertim, cum fori observantia nunquam fere assequibilis & constans sit, sed, quae ante breve tempus recepta, communisque opinio visa est, nunquam desinat, pluriumque Doctorum suffragiis confirmata, contrariae locum relinquere cogatur. Quae sententia, quaeso, ejusmodi est, ut in ea pro communi declaranda Interpretes conspirent, nec potius contrariam alii, vel aequae communem, vel etiam communioem, perhibeant? adeo, ut propemodum cujusque casus decisio, quam sapientissimi Doctorum suggerunt, apud alios, nitidissimae mathematicorum loquendi formula, in terminis nominantibus aliter, & contraria plane ratione composita reperiatur, & hinc inane aut culpabile non videatur institutum *Hieronymi de Ceulden*, qui libros aliquot communium opinionum contra communes congescit, Doctorumque vana

tem, nonnisi communes opiniones crepantium, in  
 apicum produxit. Accedit, quod novum hoc  
 servitutis genus jura ignorent, vel avertentur poti-  
 us, quippe quæ non, exemplis, sed Legibus, judican-  
 dum esse, ingerunt *L. 13. C. d. Sent. & interl. omn.*  
*jud. pr. L. de Off. Jud. Add. L. 15. pr. ff. ad Mun.*  
*Ord. Cam. P. 1. t. 13. pr. & §. 1.* A me sane frustra  
 aliquis expectet, ut, nisi rationibus, quas clare, di-  
 tincteque percepas habeam, mecum agat, cutem  
 ipsi cæco obsequio molliter defricem, & quas ex  
 suo ingenio peperit, produxitque, opiniones, citra  
 prævium examen, velut a Legislatore cum venera-  
 tione excipiam; cui judicandi facultatem excolere,  
 non præjudiciis corrumpere, & depravare, consti-  
 tutum est. Nec vero servile istud, cæcumque ob-  
 sequium aliud efficiet, quam, ut ad nonnullorum  
 Doctorum arbitrium tota justæ, injustique ratio re-  
 feratur, qui per sæpe non ex Legum auctoritate,  
 & genuinæ interpretationis regulis, sed ingenio suo  
 æquitatem metiri solent; quæ res multos eo per-  
 uxit, ut dicerent, *recte atque prudenter agere*  
*advocatos, & Procuratores, qui in suis allega-*  
*tionibus & informationibus reddant sibi judicem*  
*incensivolum, vocando eum doctissimum, acutissimum,*  
*xcellentissimum, & si quæ alia elogia sunt, quæ*  
*vanos, & prurientes homines titillare solent; quod*  
*gratis asserere videar, remitto Lectorem ad Co-*  
*as. L. 2. d. Commun. Opin. tit. 9. cas. 32. n. 172.*  
*Id. Mattheac. Lib. 2. d. Via Juris cap. ult. n. 15.*  
*illig. in D. E. L. 3. c. 23. lit. A. & L. 24. c. 19. lit. 9.*

Atque ex hoc numero *Albertus Galeottus* fuisse videtur, qui, ut sibi per omnem vitam parum constabat, ita, ut in contrarium consuleret, & saepe frequenter in eadem causa dissentiret, facillime adduci poterat. Sed si tamen de re ipsa iudicium ferendum sit, existimem, nullum facile tam arripitem, dubiumque casum occurrere posse, quod saltem probabili consecutione ejusdem decisionis Legibus particularibus, aut generali Romano Juris desumi possit. Quem in finem generalia Juris principia, & definitiones cognoscendae, atque in numero habendae sunt; ut, si quis rarior casus in interpretationem venerit, quem Leges expresse habere definiant, concatenato quasi nexu, & serie, ad ea recurrere, & si qua nova quaestionum difficultas occiderit, inde explicari possit. Quod si tamen hac quidem via confici possit negotium, ubi fontes Juris Naturalis & Gentium in promptu sunt, ex quibus, Lege positiva deficiente, quid moribus, quidve inter arbitraria reponendum sit, facile cognosci potest; nisi quod Doctores loco dictatorum naturalium tam cerebrinam saepe aequitatem substituant, ut non tam explicare praecipua Naturae, quam proprias ingenii sui productiones ostendant, magisque ad subtilitatem otiosam, & populares praesumptus, quam ad usum aliquem, finemque, in vita civili utilem, referre videantur. Quae ratio vana, & a bono viro aliena est, & infinitis, uti palam est, disputationibus, veluti spinis, saepebrisque Jurisprudentiam implicat, & corrumpit. Ex quo

-cile evenit, ut tot dissidentibus inter se Doctorum  
 -sententiis, tantaque difficultate objecta, retarden-  
 -ur juvenum animi, studiorumque desertores effi-  
 -iantur, vel certe mediocri quadam doctrina, &  
 -rudentia civili, qua in forensibus operis utcunque  
 -actentur, contenti ad interiorem, solidioremque  
 -uris scientiam haud adspirent. Nec vero hoc  
 -tempore, quo sua mole, & magnitudine Jurispru-  
 -dentia laborat, existis difficultatibus aliter eluctari  
 -sacet, quam, si, rivulis tantisper prætermisissis, ad  
 -sum fontem, atque adeo simplicem methodum,  
 -ab ipso Justiniano præscriptam, respiciamus. Cum  
 -nim duo sint scientiæ solidioris comparandæ me-  
 -dia, recte intelligere, & rerum seriem breviter ani-  
 -mo complecti, nulla vero propior ratio mentem  
 -legislatoris assequendi, quam ex ipsis ejus verbis  
 -detur; Leges ipsæ cum studio evolvendæ, earum-  
 -que ratio, & sententia perquirenda est; cumque  
 -nullus planior detur, quam a facilioribus, simpli-  
 -busque ad difficiliora progressus, ante omnia id  
 -peram omni contentione dandum est, ut Institu-  
 -ones Juris, quæ amplis Pandectarum Volumini-  
 -bus præmittendæ sunt, & recte intelligantur, &  
 -continua meditatione, Legumque ad casus appli-  
 -catione, in succum, quod ajunt, & sanguinem  
 -convertantur. Hujusmodi enim clara, exprompta-  
 -que positionum Juris memoria, quantum momen-  
 -t ad causas feliciter orandas expediendasque affe-  
 -rat, & res ipsa docet, & *Celeberrimus Bergerus*  
*Joster*, pro eo, ac solet, erudite, copioseque in



*Progr. d. A. 1691. ostendit. Quam viam cum olim Ludovicus Romanus, atque Franciscus Beronius iniissent, assiduitate relegendi cum cæteris juris textus, tum vero præcipue eos, qui Infimæ absolvunt, eo rem perduxerunt, ut, quamvis vobis lam magnopere curam scriptis Doctorum evolvere dis impendissent, inter omnes tamen cum admittione excellerent. &c.*

## IV.

## DE LOGOMACHIIIS.

**L**ogomachias, quæ nullum omnino usum habent, per omne Juris curriculum tot ac tantum deprehendere licet, ut laboris, in ejusmodi locis collocati, quemvis facile poeniteat, nec raro a nobis magnifice, excellenterque, nihil agi, Carminibus no more, clare, distincteque, intelligatur. Huius generis nugæ tamen sæpenumero præcipua locis feruntur; quia nempe non minus crumenis cæterandis, ac admirationi vervecum in patria elocanda, inserviunt, quam unde aliqua in vitam vitam redundat; & commodius longe per otium, & in via somnia, quam per negotia, gravesque occupationes, lardum generari, Medicorum, nisi labor, doctrina est. Nec vero dubito, ex illis hominibus plerosque fore, qui me valde simpliciter iudicent, quod ipsos ad ea, quæ generi humano utilia sunt, & plerumque magno cum labore, &

estisque conjuncta, vocem; cum ipsis in pingvi-  
 otio vivere, nec minus tamen inter amplissima tro-  
 pœa, ex Logomachiis suis excitata, ingenium o-  
 tentare, ac vulgo mortalium vilitatem, stuporem-  
 que exprobrare in proclivi sit; & ego hebetiori  
 portasse ingenio sum, quam ut de tam grandibus  
 nysteriis, quæ illi sæpe in syllabis, & apicibus  
 verborum, inveniunt, judicium ferre, aut occul-  
 tam vim, quam illa in acuendis animis habent,  
 perspicere queam. Quis vero neget, Herculeum  
 nos laborem sustinere, qui in lectulis suis defixi,  
 nova vocabula procidunt, & adversarium sibi ex  
 propria umbra excitare norunt; quem deinceps  
 aggressi, strenuo oppugnent, nec gutturi suo par-  
 entes, frequenti clamore laceessant? Ad cujus fa-  
 cinz pugnas non minus sæpe homines obstupe-  
 cunt, quam spectatores olim cruentorum prælio-  
 rum, quibus Romanos inter & Pœnos, super Im-  
 perio orbis, depugnatum fuit. Nec vero modicæ  
 sapientiz specimen est, aliis persuadere posse, in  
 horridorum quorundam vocabulorum cognitione  
 magnam vim eruditionis inesse, ac ut ea nos præ  
 cæteris scire credant, quæ tamen omnes pariter  
 ignoramus. Quam vero jucundum, solo pauca-  
 rum distinctionum murmure, sui venerationem in  
 inimis audientium excitare posse, quarum terror  
 adversariis, pugnam ausis, citius caligas, quam ora,  
 solvat? Quasve auro contra caras habendas pu-  
 em, nisi quod in Saxonia hodie ab *Exactoribus*  
*hexagenarum* eas in solatum accipi, nondum au-

diverim. Sine dubio autem majoris faciendum est in se seductum, & per varias abstractiones creatum, plurimisque vocabulis, nihil licet significantibus, exaggeratum ingenium, quam quod inter negotia generi humano proficua, ceu mera concretâ, velut humi serpit, & ictibus fortunæ, tamquam procellis, agitur. Sed nescio, quomodo insita quadam animi simplicitate a me impetrari non possum, ut sapientiam aliquam adorem, ac omnino magni faciendam putem, nisi: quæ generi humano proffit; eoque DEI gloriam procuret; nisi quod illæ de voculis concertationes per auctoritatem suam apud me non parum decorant, quod experientia compertum sit, haud minus homines illos, qui inter suas speculationes, ac Logomachias, magni Heroes sibi videbantur, ubi inceptis ad applicationem, ac res agendas, accesserint, repente pusillos homunciones fieri, nec ad primum negotiorum conspectum trepidare. Et sane; sicuti nemo Theologum jure dixerit, quæ doctrina rectam vivendi rationem sejungit, aut ledicum; qui Hippocratis, aut, si cum positionibus animabus mavis, Analyticorum Aristotelis locone turget, sed, si misera forte febris curanda, incertitudine consilii vehementius, quam ipse grotus, tremat; ita a finos ad lyram haud invito appelles, qui trices tantum & obsoletis questionibus innutriti, solidorumque principiorum rudes, causas in Judiciis vel orare, vel dicere, aggrediuntur; ac plerumque maximum laborem

beum non solum nasutioribus, sed ipsis etiam  
 scribis, ac formularum magistris, debent. Cetero-  
 rum sicuti Logomachia non unius generis sunt,  
 ita eas non omnes insuper haberi, sed multas in  
 apicum produci, publice omnino interest. Quo  
 in argumento cum late diffundi ratio instituti  
 haud sinat, unum tantum in praesenti exemplum  
 attulisse sufficiat; non, quod aliorum, quibus im-  
 genii eruditionisque laude libenter concedo, senten-  
 tiam damnare velim, sed ut cogitandi solum, an  
 aliqua Logomachiae species, verborumque capta-  
 tio, subesse videatur, uberiosem occasionem sub-  
 ministrem. Et primum quidem, quomodo Juris  
 Romani auctoritas a Lotharii Imp. & Irnerii, Icti,  
 temporibus in Italia primum resuscitata majora  
 subinde incrementa sumserit, & cum in ceteras Eu-  
 ropae provincias, tum vero in Germaniam cum-  
 primis, & ejusque fora irrepserit, in vulgus con-  
 stat. Quocirca vis Juris Romani apud nos omnia  
 non a promulgatione, quippe quae in Germania  
 nulla facta est, nec a Justiniano fieri potuit, sed a  
 sola receptione est, per Imperatorem deinceps ac  
 Status Imperii varie confirmata; ut hinc nemo,  
 qui in Lege aliqua Romana intentionis suae fun-  
 damentum collocat, opus habeat, ut ejus vim,  
 atque auctoritatem, probet. Sed an illo quoque  
 casu, quo in libello observantiam Legis allegat a-  
 ctor? Negant hoc, quod sciam, plerique, actor-  
 remque eo casu, quo, Legem observari, incautus  
 in libello asseruit, onere probationis adstringunt.  
 Sed fallor, aut sic contra actoris mentem ver-

bula quædam captantur. Observantia enim, quantumvis facti sit, tamen, cum de Legibus sermo est, præsumtive probata esse intelligitur, cum de earum, vel promulgatione, vel receptione, constat. Nec est, quod regeas, circumstantiam hæc libello insertam casus complecti, quibus sanctio Legis in actu secundo exercita fuerit; quos proinde par sit, ab allegante probari. Tales enim actus probari, haud necessarium; atque adeo tota hæc circumstantia superflua quidem est, non tamen actori nociva. Fac enim, actorem, qui Legem, ejusdemque observantiam simul & comparatim citavit, in hujus probatione deficere; non potest, reum propterea absolvi oportere, cum ad illius condemnandum sufficiat, de altero capite, Lex scripta, constare. Utile vero per inutile haud vitiosum tralatitium habetur. Neque verba libelli contententem, ac intentionem actoris captari oportet, qui, dum observantiam Legis allegat, non intendit intentionem suam in illis actibus, quibus observata Lex est, fundet, sed hoc solum velle intelligitur, quod Lex non abrogata, atque adeo per illam in casu præsentis judicandum sit. Prænotissimi Juris est, eorum libelli capitum, quæ nihil relevant, in probatione insonda, rationem nullam habendam esse. Atqui in horum classis observantia Legis allegationem merito referas. Quis enim interest, utrum observata Lex sit, hoc est, utrum casus habeantur, juxta Legis præscripta existant, nec ne? Si modo in contrarium nulli ex his, unde abrogationem Legis inferre liceat, non op-

nor, hanc, salva justitia, in pronunciando negligi posse. Qua in re quo altius cogitationem meam defigo, hoc evidentius perspicio, tantum abesse, ut actor tali casu probatione onerandus sit, ut potius communis illa opinio Legum auctoritatem non parum debilitet, atque convellat, eandemque, si verum fateri libet, ab arbitrio actoris, libellum hoc vel illo modo formantis, suspendere videatur. Quippe vi ejusdem Legis unus victoriam reportabit, alter vero causa cadet. Et cum idem plane factum, eademque illius circumstantiæ utrinque sint, unus fructum Legis sentiet, alter eodem destituetur. Qua ratione fieri potest, ut factio privatorum vis, atque auctoritas Legum perpetuo eludatur. Ponamus enim, Legem recentem a summo Imperante ferri, atque adeo nullum adhuc evenisse casum, quo secundum illam judicari potuit. Fac amplius, illos, qui ex ea Legge experiuntur, ad ejusdem observantiam provocare; quæ, cum nullo modo probari possit, Lex semper negligenda, ac insuper habenda, fuerit. Nec vero intelligo, quid roboris insit argumentis, quibus vulgaris illa opinio firmari solet. Quod enim rationem ab exemplo negatoriam actionis desumunt, ubi petitor, qui in præsumpta libertate haud subsistit, sed qualitatem possessionis adversarii libello inserit, eam probare tenetur, alias ab eo onere immunis; ea, ni fallor, exigui momenti, & alia omnino ipsoles memoratæ actionis est. Nam, qui prædium suum, a servitute liberum, non simpliciter asserit, sed simul eandem ab adversario viclam,

clam, vel precario, exercitiam allegat; is utique tætetur, actus libertati inimicos exercitos a recelle, quos, cum clandestinitatis, aliove vitio, laborare, contendit, illud quia non præsumitur, merito probare debet. Quod aliter longe in observantia legis allegata habet; quod quævis Lex in casibus eodem decisus observata esse tamdiu censetur, donec altera pars contrarium demonstrat. Quod ad *Cum venissent. X. d. Instir.* attinet, illud iterum sum, plane diversum, complectitur; quo nempe Archi-Episcopus in præsumptione Juris non subsistit, sed qualitatem possessionis, ac titulum aliquem concessionis, in personam tantum, adversario assignavit, quem, ceu præcipuum intentionis suæ fundamentum, probare debebat. &c.

## V.

### DE CAUTIONIBUS NONNULLIS IN STUDIO JURIS UTILITER OBSERVANDIS.

**C**um singulari quadam nostrorum temporum, & iis veluti propria felicitate evenerit, ut omnes propemodum artes, & disciplinae incredibilis ingeniorum contentione, & studio, ad fastigium suum propius accesserint, tum vero Jurisprudentiæ præsertim, antiquis temporibus oppressa, & inanis fabulis corrupta, caput extulit, præstinoque, quem apud veteres Romanos obtinebat, flore recepto, in speciem tam exquisitam adornata est, &

nihil ipsi, sive ad demonstrandi vim, sive ad puritatem, elegantiamque, & veluti nativum candorem suum, deesse videatur. Qua in re maxima divinx hujus scientiæ commutatio, conversioque facta est. Olim enim, præcipitante, senescenteque Imperii Romani fortuna, ejusque sede in Thraciam, tanquam in alium orbem, delata, Jus etiam vetus Civile antiquæ Romanorum Reip. accommodatum, consignatumque Latinis literis, populus Græcus, qui ejus sermonis usum minus callebat, paulatim de possessione dignitatis suæ dejiciatur; ita, ut civilis sapientia, passim contempta, neglectimque habita, magis in secessu, & otiosis disputationibus studiosorum hominum, quam in aliqua populari luce, usuque, & frequentatione iudiciorum, jactaretur. Sed feliciora deinceps tempora consecuta sunt, nec permiserunt fata, ut, cum ruente Imperio, Juris quoque disciplina, tanto labore, & studio, a pristinis Jctis exulta, & bene perfecta, collaberetur, atque succumberet. Quamobrem existimem, Divino quodam munere Justinianum ad emendandi, instaurandique Juris consilium, curamque, excitatum fuisse, ut discipline, jam prope expiranti, atque interituræ, vitam, lucem redderet, conservaretque. Sic ergo eam incredibili labore, & studio, supervacaneis subtilitatibus præcisus rejectisque, dubiis Juris articulis multiplicatis, pristinarumque altercationum strepitu oborto, ad usum forensem denuo accommodata, visque præsidii instructa, munitaque est. Quæ quantum ad lites definiendas, omnemque vi-

tam



tam civilem compendium attulerit, argumentum est, quod pleraque regna, quæ post occasum Imperii Rom. exorta, atque constituta sunt, Juris Romani reliquias, veluti morum magistras, optimæque disciplinæ effectrices, magna æmulatione receperint, ejusque summa æquitate cognita, persequætaque, non aliam, in dijudicandis controversis normam, viamque, sequi maluerint. Ex eo præsertim maximum Jurisprudentiæ decus, ornamentumque, accessit, quod aliqua nostra ætate ingenia, altiori velut spiritu acta, barbaram vulgarem Interpretum tractandi rationem omiserint, propriæque, & eleganti oratione Jus nostrum illustrægressa sint. At enim quantumvis maxima, quibusve meliora vix optari queant, ad excolendam hanc disciplinam, præsidia inventa sint, nescio tamen, quomodo pauci hodie ad veram, atque æquæ posteros duraturam ejus laudem perveniunt. Et primum quidem illud mihi maximam studio Juris Civilis remoram injicere, semper visum est, quod plerique hodie præclaris illis, quæ ad humanitatem pertinent, studiis, insuper habitis, neglectisque continuo, & illotis veluti manibus, ad Juris disciplinam festinant; qui, cum in magno errore sententur, milleque se difficultatibus implicent, nimis a recta se via aberrasse, intelligunt, & velut in oceano hujus studii jactati, nunquam felici cum successu ad portum perveniunt; nec sane eorum, qui elegantia hæc studia contemnunt, nihilque, aut saltem parum commodi, ad Juris studium referre volunt, insulsa oratio audienda est; cum viderentur

quid sibi desit, ostendere, quam rectam ingrediendi hæc studia viam aliis præscribere sciant. Experientia sane, stultorum quoque magistra, comperitum est, eos, qui harum artium doctrina, & exercitatione, ingenia exulta, & præparata, ad hanc disciplinam afferunt, incredibili celeritate alios præcurrere, neque ulla difficultate objecta, optatas in ea progressionem facere. Magnum præterea adjumentum, præsidiumque, ad excolendam civilem sapientiam negligunt, qui fontes Naturæ, ex quibus universum Civile Jus profluxit, atque in hanc se amplitudinem, vastitatemque diffudit, contemnunt, iique fere in firmis legum demonstrationibus reddendis, menteque & sententia Legum recte eruenda, sæpenumero hæzere solent. Vere enim, magno ingenio ita judicante, Leges hæ infirmæ, connatæque, reliquorum Jurium norma, & fundamentum sunt, quæ specialibus Juribus tantum dignitate antistant, quantum omne genus humanum una civitate, totiusque civitatis salus, & tranquillitas, singulorum civium incolumitate potior est. Sed rita hæc & pervulgata sunt, neque eadem pluribus exequi, angustia, qua circumscribor, permittit. Nam progrediendum mihi, & quæ obstacula in ipsa Juris Civilis tractatione occurrere soleant, breviter ob oculos ponendum est. Ubi ea difficultate plerosque implicari video, quod rude adhuc & exercitatum ingenium varia huc illuc divagante actione obruant, & in infinita illa rerum multitudine, tanquam oceano, sine certa via jactentur, ulatimque, cum immensum, prolixumque labo-


rem

rem felici successu destitui intelligunt, præcepta de  
 speratione langvescant, studiorumque, ut eos Im-  
 perator vocat, desertores efficiantur. Cui juvenis  
 errori idoneo remedio occurrendum est, ut summa  
 quasdam rerum, velut in corpus redactas, sibi pro-  
 ponant, ut totius operis veluti brevis forma sine  
 comprehendi, memoriaque recte teneri possit.  
 quo tamen novus scopulus, ad quem non parum  
 naufragium facere videas. Multi enim, ut recte  
 seriem iusta dispositione, quam sibi quidem figu-  
 rant, & persvadent, animo concipiant, genuis  
 fonte, h. e. ipsis Legibus relictis, neglectisque,  
 Methodicos libellos, qui maximo numero hoc  
 prodire solent, tanquam ad impuros puteos, & he-  
 tulenta stagna, dilabuntur, iisque innutriti, ne-  
 quam in casibus definiendis solidam rationem, quæ  
 pe quæ ex ipsis LL. petenda est, reddere norunt.  
 Quocirca ipsa potius vox Legislatoris audienda,  
 inque vastissimo hoc studio summæ rerum ex ip-  
 situ proponendæ sunt, ut intelligant juvenes, &  
 nitum Jus nostrum esse, ardentique studio, & per-  
 tinaci industria, facile pervestigari, atque cognosci  
 posse. Quam viam qui institerit, multo felicius  
 se progressum esse, tandem intelliget, quam cum  
 istos pragmaticos & desultorios lectores, qui nec  
 aliquem Juris textum, nunc glossam, modo decisio-  
 nes, jam consilia, & nescio quæ alia, magno labore  
 volunt, & versant, & nescio quid sibi consecuti  
 videntur, ceterosque, tanquam ἀναλφαβήτους, & ele-  
 mentarios, alto supercilio despiciunt. Qui homi-  
 nes Juris ignorantiam, in qua versantur, cum ali-

manifeste produnt, tum vero eandem occultare non possunt, quando de ancipiti, & difficili quaestione, quae infrequens in foro sit, iudicium in continenti ferendum fuerit. Nec sane hi in dubiarum Legum explanatione quicquam solide expediunt, sed servi instar pecoris, quo repertoria, & ordinariae, ut vocant, sectes eos ducunt, sequuntur, in iisque omnis eorum sapientia comprehenditur, & latet. Nec vero paulo majus obstaculum, impedimentumque Civilis Sapientia est, quod plerique in Legibus per congruam Analysin evolvendis, explicandisque bene ordine, nulloque materiarum ordine servato, versantur, seque haud raro in iis declarandis, demonstrandisque, & ab ultima historia repetendis persequunt, quae dudum contrariis Legibus antiquata a consuetudine recesserunt; in quo persequere eorum, qui ad vitam, & actiones forenses sua studia referre debent, simplicitatem, & miseram industriam mirari subit. Ego enim in omni vitae genere turpe esse existimo, difficiles habere vias, & stultus labor est ineptiarum, ut non nemo argute dicere consuevit; Multo enim plus mihi sapere ille videtur, qui ignorat, ex quo composito nullum neque ipse, neque alii fructum habituri sunt; quam illi, qui in eo eruendo, perdiscendoque, omnes animi nervos, atque laborem, stolide profundunt. Quamobrem in obsoletis istis Juris antiqui formulis, & perplexis, involutisque, veterum Jurisconsultorum disputationibus, non multum temporis collocandum esse, existimo;

mo; præsertim, quando nondum solida Jurisprudentiæ fundamenta jacta sunt, atque ad vitæ civilis usum omnis rerum cognitio conferenda est; cum nihil magis solenne hodie sit, quam ut juvenes e medio studiorum cursu ad civilem vitam revocentur, ut proinde in steriles, inutilesque, juris partes nonnisi delectationis fortasse causa deleri, in easque explorandi magis, quam committendi causa breviter aberrare liceat. Nec rem parum Juris difficultatem auget, quod plerique superioris ætatis Interpretes, quibus tamen carere non possumus, tenebris suorum temporum involuti, pleraque incondite, sine certo ordine, & æqua veluti luce tractent; plusque operæ passim verborum, quam rerum explicatione consumpserint; Qua ex re recentioribus quibusdam Interpretibus tantum fastidium obrepit, ut passim in scriptis suis confusas illas veterum Doctorum Interpretationes traducerent, exagitarentque; quævis hi, si verum fateri libet, persæpe plus ingenio suo, quam utilitati serviant, magisque ad ostentationem subtiliter contra veteres disputare, quam ad finem in vita civili utilem doctrinam suam præferre videantur. Juventus sane, quæ nondum in actum, confirmatumque judicium habet, in præsumptiva Interpretum lectione oneranda non debet, ne a fundamentis, recte, solideque, faciendis, alienissimo plane tempore revocetur, & abducatur. Provectoribus autem liberior campus aperitur, est, illique non parum suis rebus consulant;

nte, quam in forum ad causas orandas prodeant, auctorum, sed optimorum Interpretum scripta requirant, &, quomodo argumentorum copia eadem instruendæ, qua via judicum animi perveniendi sint, diligenter hauriant, addiscantque, in iis præsertim, quæ ad usum potiora sunt, amorentur, reliquas difficiles, implicatasque, rem hac ætate obsoletarum disputationes perfunctoria lectione dimittant; sic enim non parum se ad operam forensis recte, & cum clientum fructu, collocandam se adeptos esse, ubi in luce, & hominum celebritate, vivendum fuerit, intelligent. &c.





# INDEX RERVM ET VERBORVM.

Primus numerus Dissertationem, secundus Paragraphum seu Thesin, tertius vero paginam designat.

## A.

- A**bertus. *Hujus procuratio Juri Naturali* *versatur.* Diff. 8. §. 15. pag. 2
- Absens. *Quotuplici modo eidem aliquid promittatur?* 2. 7. 3
- Acceptatio *ad validitatem promissi ejusque efficaciam requiritur.* 2. 6. 5
- Actio *quid sit?* 7. 1. 202. *Quomodo differat a simplici motu?* *ibid.* *Tamdiu est differenda, donec accuratiore examine instituto, demum, quod faciendum, vel omittendum sit, liquido appareat.* *ibid.* 12
- Actio Humana *qua dicatur?* 2. 19. 50. *Humana tum qua talis homini imputatur?* *ibid.*
- Actio Indifferens *quid sit?* 11. 12. 39
- Actio Moralís *quid sit?* 11. proem. 347. 8 *ibid.* 12. 358. *Quotuplex sit?* *ibid.* 12. 359. *Quas involvat?* *ibid.* 360. *seq.* *De Actionum Morali*

# INDEX RERVM ET VERBORVM.

*lium materiali atque formali. Vid. tot. Dissert. 11. p. 346. seqq. In Actione Morali materiale necessarium nexum, & omnem, ad intrinsecum quiddam, respectum excludentem cum formali habet.* *ibid. §. 12. p. 362*

*Actio per se honesta quæ dicatur? 11. 12. 359. An dentur Actiones, sine respectu ad Legem, honestæ vel turpes? 11. 12. seqq. 362. seqq.*

*Actio per se turpis quæ? 11. 12. 359*

*Actus elicitus quinam dicantur? 7. 9. 217. Quot sint illorum, qui circa finem versantur? ibid. p. 218*

*Actus imperati quinam ita audiant? 7. 9. 218*

*Actus virtutum excellentiores & communem modum supergressi, reductivè ad Jus Naturale pertinent. 3. 14. 77*

*Adulter utrum a patre illius, cum quæ in flagranti crimine deprehensus est, impune occidi queat? 5. 15. 168. Num Adulter, a marito deprehensus, contra eundem vitam tueri possit? 6. 11. 185*

*Estimatio rei commodatæ, quæ perit, sed tamen non peritura fuisset, si apud commodantem permansisset, an a commodatario sit prestanda? 1. 14. 20*

*Aggressor quis dicatur? 6. 1. 170*

*Aggressus an peccet in naturalem Legem, si sui defensionem cum violenti & injusti aggressoris pernicie suscipiat? d. 4. sect. 3. qu. 2. p. 133.*

*Culpa reus est, si, vulnere accepto, aggressorem, fugam capeffentem, insequatur, eumque percutiat. 6. 22. 200*



## INDEX RERVM

- Alapa.** *An ob Alapa periculum injuria intentatis internecione repelli possit?* d. 6. §. 12. p. 181.
- Alimenta ut a parentibus liberis praestentur, ad illorum officium pertinet.** 8. 12. 247. *Quae usque liberis debeantur?* ibid. 13. 248. *Utrum omnibus indistincte liberis praestari debeant?* ibid. p. 249. *Eo annitendum, ne idem Alimenta corpori desint.* Diss. 4. s. 2. §. 10. p. 250.
- Num praestatio Alimentorum, quae a parentibus liberis debentur, suat ex debito perfecta, imperfecta?** 8. 12. 247.
- Animi Tranquillitas, Huic studendum.** Diss. 4. sect. 2. §. 12. p. 251.
- Apodictica moralium certitudo.** *De hac videtur.* Dissert. 1. p. 1. §. 1.
- Arma a subditis contra imperantem, praestant defensionis non sunt capessenda, quamvis imperator peccet, & in subditorum bona vitamque suam viat.** 5. 9. 158. *Utrum pro bonorum defensionem capi possint?* 5. 13. seq. 164. seq. *Utrum conservanda amicorum, hospitum, sociorum stringi possant.* 6. 18. 252.
- Auctoritas Juris Civilis quanta sit circa obsequia naturalia?** *Vid. tos.* Dissert. 13. p. 1. §. 1.

## B.

- Bannitus an impune a quolibet occidi possit, & tale statutum condi queat, quo promiscuus Bannitos occidendi licentia concedatur?** 6. p. 1. §. 1.

## ET VERBORVM.

- ona. Vid. infr. Res.*
- onum Morale quid sit? Diss. II. §. 7. seqq. p. 354. seqq.*
- onum Summum. Vid. infr. Summum Bonum.*
- rutum in aliquibus melioris homine conditionis est. 3. 3. seqq. 58. seqq. Quibus ex causis impellatur ad noxam inferendam? 3. 4. 59.*

### C.

- ædes pro patria aduersus instans periculum asserenda permissa est. 6. 17. 191.*
- alor iracundiæ an excuset a pœna homicidii commissi? 5. 6. 155.*
- apitis Diminutio Maxima quid operetur? 2. 2. 31.*
- apitis Diminutio Media. Quinam hanc patiantur? 2. 2. 31.*
- ausa Moralis quid sit? 11. 12. 359.*
- cautiones quædam, in studio juris utiliter observanda. Programm. 5. 492. seqq.*
- certitudo. De Apodictica Moraliū Certitudine, vid. tot. Diss. I. p. 1. seqq.*
- ivitates unde originem duxerint, & quibus pactis coaluerint? 13. 2. seqq. 407. seqq.*
- ommentatores, qui opus Grotianum de Jure belli & pacis, annotationibus illustrarunt. 12. 5. 379. seqq.*
- Commodatarius an rei, commodato acceptæ, que perit, sed tamen peritura non fuisset, si a*
- Kk 4 pud

## INDEX RERVM

- puđ commodantem permanſſet, eſtimatio ſi  
praſtanda? Diff. 1. §. 14. pag. 20*
- Conditio quid? 2. 7. 36. Quotuplex ſit? ibid.  
Qualem effectum in promiſſionibus producit?  
ibid. p. 37*
- Conditio Impoſſibilis quotuplex ſit? 2. 7. 36. Per  
eſt quandoque a Magiſtratu detrabi, & non  
non adjecta haberi, ut actus, cui eſt adjecta,  
validus exiſtat. ibid. 17. 4.*
- Conditio Poſſibilis quotuplex? 27. 3.*
- Conſcientia qua dicatur? 7. 5. 208. Quotuplex  
ſit? ibid.*
- Conſcientia dubia qua? 7. 6. 21*
- Conſcientia probabilis quid ſit? ibid.*
- Conſcientia recta qua dicatur? 7. 5. 21*
- Conſcientia ſcrupuloſa qua? 7. 6. 21*
- Conſenſus. Utrum in Conſenſu, obligationem pro  
ducente, omnimoda libertas requiratur, nec?  
1. 12. 11*
- Conſultatio quid ſit? 7. 13. 222. Quenam pro  
jecto habeat? ibid. & pag. ſeqq.*
- Contractus an ob fraudem incidentem, & pro  
jecto non niſi accidentale quid habentem, non  
datur nullus? Diff. 4. ſect. 3. qu. 9. p. 1. 1.*
- Contractus Innominatus ad ſui formam dationis  
vel factum requirit, nec mutua praſtationem  
opus eſt. 13. 21. 438. ſeqq. Utrum circa mar  
riam Contractuum Innominatorum Juri Civili  
cum Naturali conveniat? Diff. 13. §. 20. p. 431.*

ſeqq.  
Cox

- Corpus.** *Eo annitendum, ne Corpori idonea alimenta defint.* Diff. 4. sect. 2. §. 10. p. 130
- Creditor an secundum Legem Naturæ prius, quam fidejussor, sit conveniendus?** 12. 17. 393. seq.
- Cultus Divinus sit Dei attributis conveniens.** Diff. 4. sect. 2. §. 7. p. 129. *Cultus Divini sanctitas ex lumine naturæ deduci potest.* Diff. 4. sect. 2. §. 1. p. 122. seq. *An Cultus Numinis Divini publicus, certis solennitatibus peragendis, Jure Naturæ sit determinatus?* *ibid.* sect. 3. qu. 1. p. 132. seq.

D.

- Damnū, alteri datum, est resarciendum.** 2. 11. 42
- Defectus Virginitatis num conjugium irritum reddat?** 10. 15. 328
- Defensio quid?** 6. 1. 170. *Quotuplex sit?* *ibid.* *Quousque in statu naturali justa censeatur esse?* *ibid.* 21. 199. *Quousque Jure Civili sit licita?* *ibid.* 22. 199. seqq. *Num Defensio proximi, in periculo constituti, Jure Naturali nobis ita sit præcepta, ut, si eandem omittamus, contrahamus reatum culpæ, ob quam pœna imponi possit?* 6. 20. 195. seqq.
- Defensio Violenta an adversus aggressorem in casu necessitatis sit permessa?** 6. 2. seqq. 171. seqq. *Num etiam in foro humano, & in foro poli, atque consuetudinaria?* *ibid.* 7. 177. seq. *Utrum Jure Gentium, & Civili sit licita?* *ibid.* p. 179.

## INDEX RERVM

- De Violenta sui Defensione. Vid. tot. Dissert. 6*  
p. 170. seqq.
- Definitiones Juris Naturalis variz examinauit**  
3. 43. 73. seqq.
- Deus colendus ut unus. Diss. 4. sect. 2. §. 5. p. 118. §.**  
*Certo genere cultus ex animo est prosequendum*  
*ibid. §. 6. p. 129. An ea, quae Jure Naturae*  
*praecipit, vetare, & quae vetuit, praecipere pos-*  
*set? 11. 6. 353. Deum existere, firmissime cre-*  
*dendum. Diss. 4. sect. 2. §. 2. sqq. p. 124. sqq. De*  
*Deo nihil asserendum, nisi quod ipsius perfe-*  
*ctioni, & nostrae imbecillitati, congruat. ibid.*  
§. 8. p. 119
- Disciplina Juris Naturalis. De Hujus ortu acq.**  
*progressu vid. tot. Programm. I. p. 469. seqq.*
- Dispositio Juris. An Dispositio Juris Civilis, quae**  
*bonorum adventitiorum proprietate penes li-*  
*beros manente, eorundem usumfructum pari-*  
*addicit, versetur circa objectum morale, sit*  
*Jure Naturali jam determinatum? 1. 17. 3.*  
*Utrum Dispositio, quae habetur Levit. XIII. §.*  
*Juris Divini universalis moralis? 10. 10. 311. U-*  
*trum Dispositio Juris Civilis circa materiam*  
*contractuum innominatorum Juri Naturali §.*  
*adversa? 13. 20. 437. §.*
- Dissimulatio quid sit?** 9. 1. 28
- Distincta realiter inter se quae dicantur?** 11. 12. 339
- Divitiae an summum politici bonum sint?** 14. 7. 460
- Divortium quid sit?** 10. 17. 331. *An & quatenus*  
*Jure Naturali sit permissum? ibid. §. §. seqq.*  
*p. seqq. Vid. infr. Matrimonium, Doctr*

## ET VERBORVM.

**Domicilium.** *Vid. infr.* Jus constituendi domicilium.

**Dominium an marito in uxorem competat?** *Diss.* 10.

§. 7. p. 295. *Utrum secundum Jus Naturæ solis pactis transferri possit?* 13. 14. seq. 428. seqq.

*An Dominium rei, ex contractu dolo inito, tradita, in alterum transeat?* 2. 20. 52. seq.

**Dotis illatio ex Jure Naturali non est.** 10. 5. 294

### E.

**Ebrietas a pœna propter delictum, in ejusmodi statu commissum, non liberat.** *Diss.* 2. §. 9. p. 40.

**Ebrius an sit aptum obligationis subiectum?** 2. 9.

40. *An ob. homicidium commissum a pœna sit immunis.* 5. 4. 152

**Emtio Venditio an Juris Naturalis sit?** 3. 14. 77

**Error quotuplex sit?** 7. 11. 220. *An vim obligationum impediatur?* 2. 10. 41. *An vitiet matrimonium contractum?* 10. 15. 328

**Exhereditatio liberorum an Jure Naturali parentibus competat?** 8. 18. 255

**Existimatio quid sit?** 2. 1. 29. *Quotuplex sit?* *ibid.*

*Ex quibus causis varia Existimatio oriatur?*

2. 1. 29. *Existimatio alicujus in civitate non nisi per Magistratum imminui potest.* *ibid.* 3. 23.

**Existimatio intensiva quid sit.** 2. 3. 32. *Ex quibus causis oriatur?* *ibid.* seq.

**Existimatio simplex quotuplex sit?** 2. 1. 29

**Existimatio simplex absoluta que dicatur?** *ibid.*

*Quid per. hanc quis consequatur?* *ibid.* *Quo-  
vita*

## INDEX RERVM

- nitatur? ibid. p. 30. Quis eadem excidat?*  
*ibid.*
- Existimatio simplex hypothetica quid sit? Diss. 2. § 2*  
*p. 30. Unde oriatur? ibid. Quasnam ob causas de-*  
*ficiat?* *ibid. seqq.*
- Expositio infantum maximum & cum homicidio*  
*coincidens delictum est, ac Juri Naturali as-*  
*versatur.* *8. 16. 252. seq.*
- Extranei, quibus nulla, nisi humanitatis, Lege ob-*  
*stricti sumus, si in periculo fuerint constituti, a*  
*nobis recte defenduntur.* *6. 19. 194*

### F.

- Facta heroica ad Jus Naturale reductive perti-*  
*nent, & quenam talia dicantur?* *3. 24. 77*
- Factio Testamenti. Vid. infr. Testamenti Factio.*
- Facultas intellectus apprehensiva quae?* *7. 3. 204*  
*Quanam ad hanc pertineant? ibid. Non est*  
*libera, sed naturalis.* *ibid.*
- Facultas intellectus rationativa quid sit?* *7. 4. 205*  
*Circa quae versetur?* *ibid. p. 206*
- Facultas intellectus repraesentativa quae dicatur?*  
*7. 7. 207*
- Facultas voluntatis eligens quae?* *7. 9. 216. Qu-*  
*plex libertas hanc Facultatem comitem?*  
*ibid. seqq.*
- Facultas voluntatis determinans quae?* *7. 8. 213*
- Facultas voluntatis imperans quae dicatur?* *7. 10.*  
*219. Se non extendit ad facultatem nutriendi,*  
*augmentandi, sentiendi, generandi &c. ibid.*

Fina

## ET VERBORVM.

- Fama Nominis an summum politici bonum sit?**  
Diss. 14. §. 4. p. 452. seqq.
- Fidejussor an naturaliter, elapso debiti solvendi tempore, sed ante principalem tamen debitorem conventus, se tueri possit excusationis exceptione?**  
1. 15. 22. seqq.
- Filia an jure Naturali patri nubere possit?** 10. 10.  
305. seqq.
- Filius an a patre a successione in regnum arceri possit?** 8. 18. 255. Num, si a patre testamento ab hereditate fuerit exclusus, regni simul successione excidat? *ibid.* p. 256. An cum patre contractum valide ineat? *ibid.* §. 19. p. 257. Secundum Jus Naturae agere & conveniri potest, etiam tum, quando cum ipso patre res est. *ibid.* Num patrem injustum & violentum aggressorem (ut puta si ebrius sit, aut furore laboret,) moderamine inculpata tutela adhibito, etiam cum eade ipsius repellere possit? Diss. 8. §. 20. p. 28. Vid. *infr.* Liberi.
- Foemina an pudicitiam cum eade impuri invasoris defendere queat?** 6. 13. 186. seqq.
- Formale Actionis Moralis quodnam dicatur?** Diss. 11. *proem.* p. 348. & §. 12. p. 359.
- Frater an Fratrem aggressum, etiam cum aggressoris morte defendere possit?** 6. 16. 190. An cum Fratris filia matrimonio conjungi possit? 10. 10. 316
- Fraus. An Fraus incidens, & pro objecto non nisi acci-**



## INDEX RERVM

- accidentale aliquid habens, contractum reddit nullum?* Diff. 4. sect. 3. qu. 9. p. 140.
- Fur an peccet in Legem Naturalem, si in extrema inopia victus aut vestium, cum mortem efugiendi nullum aliud remedium superfit, et alienas auferat?* Diff. 4. sect. 3. qu. 6. p. 131.
- Num, illasa Natura Lege, ob quinque aurei surreptos suspendatur?* *ibid.* qu. 10. p. 141.
- Fur nocturnus num impune occidi possit?* 5. 14. 167
- Furiosus an sit aptum obligationis subiectum?* 9. 40. *Num ob homicidium commissum perire affici possit?* 5. 3. 5.

### G.

- Genus Vitæ. Vid. infr. Vitæ Genus.*
- Gloria an summum politici bonum sit?* 14. 4. 452. seq.
- Grotius in disciplina Juris Naturalis primogenitum fregit. 1. 1. 1. seq. & 12. 3. 376. Cur in statum suum inscripserit: de Jure belli & pacis?* 12. 3. 376. *Ad quasnam Religionum sectas inclinaverit?* *ibid.* p. 377. seq. *In quibus erraverit?* *ibid.* §. 4. p. 378. seq. *Quinam in Grotii Tractatum de Jure belli & pacis commutati sint?* 12. 5. 377

### H.

- Heres an sit obstrictus in conscientia, ut non de*  
*trahat*

## ET VERBORVM.

*tracta quarta Falcidia, aut Trebellianica, legata præstet, & hereditatem ejusve partem restituat?* 13. 10. 421. *Num Heres, in testamento, debitis solennitatibus alii hereditatem restituere jussus, ad illam restituendam in conscientia sit obligatus?* 13. 11. 422

**Hereditas quod devolvatur primo ad descendentes, deinde ad ascendentes, & demum, utrisque haud extantibus ad collaterales, Jure Naturali injunctum non est.** 1. 12. 18

**Historia philosophiæ moralis.** 1. 1. 1

**Hobbesius libello suo, quem Element. de Cive, inscripsit, Jus Naturale egregie illustravit.** 12. 7. 381. *seq. In quibus erraverit?* *ibid.* §. 8. *seq. p. 382. seqq. Quem in finem sua Elementa de Cive, conscripserit?* *ibid.* §. 9. p. 384. *seq.*

**Homicidium. De naturali Homicidiorum quorundam impunitate, Vid. tot. Dissert. 5. p. 148. seqq. Num Homicidium, in calore iracundiæ commissum, excusationem mereatur? 5. 6. 155. *Utrum quis sine Homicidii crimine in colluctatione & ludo, virtutis exercendæ causa recepto, aliquem occidat?* *ib.* §. 10. p. 161. *An Homicidium, in autore rixæ commissum, impunitatem præstet?* *ibid.* §. 11. *seq. p. 162. seqq.***

**Homicidium Casuale in foro conscientie nemini imputatur.** 5. 5. 154. *Quotuplex sit?* *ibid.* *Pro ratione circumstantiarum puniri potest.* *ibid.* *Quid ad illud requiratur, ut mere casuale sit dicendum?* *ibid.* p. 155

Homo

## INDEX RERVM

- Homo productus est a DEO, ut conservaretur non, ut periret. Diff. 1. §. 6. p. 10. Ab alio ut Homo, seu tanquam naturaliter ipsi equas tractandus. 2. 1. 29. In aliquibus deteriore conditione est. 3. 3. sqq. 58. sqq. & Diff. 4. sect. §. 2. p. 104. Ad socialitatem colendam & eius annexa munera exercenda productus est. Diff. sect. 1. §. 3. sq. p. 104. sqq. Homini non nisi actiones humanae quae tales, seu quatenus ab eius voluntate dependent, imputantur. 2. 1. 49. Hominum uatura quoad studium se ipsius conservandi a natura brutorum baud discrepat. 3. 2. 58. Cur homines in civitates coierint? 13. 3. 409. seqq.*
- Hostis an absolvatur, etiam in conscientia, Naturali Jure, si, capta per vim urbe, omnes indistincte, etiam feminas & tenellos infantes, occidat? d. 4. sect. 3. qu. 12. p. 146. Num in bello licite occidatur? 5. 11. A*

### I.

- Victus an ab aggressore prius sit expectandus, quam sese aggressus defendat? 6. 21. B*
- Idea quid sit? 11. 12. B*
- Ignorantia quotuplici modo considerari possit, seu quotuplex sit? 7. 12. B*
- Illatio Dotis. Vid. supr. Dotis Illatio.*
- Immutabilitas Juris Naturalis ex socialitate, quam homo productus est, fluit. Diff. 4. sect. §. 9. p. 11*
- Imp*

## ET VERBORVM.

imperans juxta Leges fundamentales, si que ad-  
sunt, potestatem exercere tenetur. *Diss. 2. §. 13.*  
*pag. 43.* An perfecte obligari possit subditis, ita,  
ut nolentem satisfacere suo officio, vel inten-  
tata in foro civili actione, vel per aliam vim  
adhibitam, compellere ad actus, qui in obli-  
gatione sunt, liceat? *2. 14. 44.* Utrum sit ob-  
strictus, ut omnibus Legibus Naturalibus civi-  
le presidium addat? *13. 7. 416.* Ea, quae  
Imperante lege haud iniqua injuncta, impigre  
sunt exequenda. *2. 15. 45.* Contra Imperantes,  
quavis peccent, & in subditos saeviant, tamen  
arma defensionis praerogativa, a subditis non sunt  
capessenda. *5. 9. 158.* *Vid. infr. Princeps.*

Imperium in quamplurimos, an summum politicum  
bonum sit? *14. 5. 456. seqq.*

Imperium maritale unde defendat? *10. 2. seqq.*  
*292. seqq.*

Imperium paternum qualem formam representet?  
*8. 20. 257*

Impuberes an ex contractibus, a se initis, obli-  
gentur? *Diss. 4. fact. 3. qu. 8. p. 139*

Impunitas quid denote? *5. 1. p. 148.* De naturali  
homicidiorum quorundam Impunitate. *Vid. tot.*

*Dissert. 5. p. 148. seqq.*  
Indicium objecti Juris Naturalis indifferentis. *1.*

*12. 18*  
Indifferentia. De his, quae Indifferentia Jure Na-  
turali sunt. *Vid. tot. sect. 3. Diss. 4. pag. 131.*

*seqq.*

L

Infans

## INDEX RERVM

- Infans non est aptum obligationis subiectum. Diss. 2. §. 9. pag. 40. An ob homicidium commissus pena affici possit? 5. 2. 177*
- Infantum expositio maximum & cum homicidio coincidens delictum est, ac Juri Naturali & versatur. 8. 16. seq. 252. 19*
- Injuria, An ob alapa infligenda periculum cumv ternesione intentantis repelli possit? 6. 12. 11*
- Intellectus per quasnam facultates sese potissimum exerat? 7. 3. 21*
- Inviolabilitas Legatorum ex quonam Jure originem ducat? 3. 14. 1*
- Iracundia an excuset a pena homicidii commissi? 5. 6. 177*
- Israëlitæ an ex Ægypto abierunt, & vasa aurea atque argentea ab Ægyptiis commedum accepta, secum asportantes, contra Jus Naturale egerint? • Diss. 4. sect. 1. §. 4. p. 119*
- Judicium de Ciceronis Libris de Officiis. 12. 2. 377*
- de Grotii Tractatu de Jure belli & pacis. ibid. §. 3. p. 376. de Oslandri Observationibus in Grotii opus de Jure belli & pacis. ibid. §. 5. p. 377*
- de Bæcleri Annotationibus in dict. Tractatum Grotii. ibid. de Ziegleri Notis ad eundem. ibid. de Gronovii Paraphrasi in eundem. ibid. p. 378*
- de Simonis Annotationibus in eundem. ibid. de Hennigis, & Job. a Felden Notis ad eundem. ibid. de Seldeni Tractatu de Jure Nat. & Gent. ibid. §. 6. p. 380. de Hobbesii libello, quem Element. de Cive, inscripsit. ibid. §. 7. p. 381. 177*

*de Pufendorffii Tractatu de Jur. Nat. & Gent.*

*ibid. §. 11. p. 385. seq.*

**Jus non nisi per verba presentium vel prateritorum perfecte in alterum transfertur.** 2. 5. 35

**Jus Civile Romanum an mutet Jus Naturale, dum ex eo solum pacto, quod vel vestitum a lege, vel contractui in continenti adjectum, jus agendi concedit?** *Diss. 4. sect. 1. §. 9. p. 121. Quo sensu dicatur corrigi vel suppleri a Pratore?* 13. 1. 405. *Num in definiendo modo transferendi dominium Juri Naturali sit adversum?* 13. 14. seq. 428. seqq. *An ratione contractuum innominatorum Juri Naturali sit adversum?* *ibid. §. 20. p. 437. De Autoritate Juris Civilis circa obligationes Naturales. Vid. tot. Dissert. 13. p. 397. seqq. Qua sit ratio Juris Civilis ad Naturale?* 13. 1. 405

**Jus constituendi domicilium penes maritum est, & uxor id tenetur sequi.** 10. 6. 294

**Jus Gentium an detur?** 3. 14. 78. seqq. *Quotuplex sit?* *ibid. p. 91. seqq.*

**Jus Naturale quousque quoad vim obligandi pateat, & quem effectum producat?** 1. 4. 7. *Quomodo comparatum esse oporteat?* *ibid. §. 5. p. 9. Quenam precipiat, quanam prohibeat?* *ibid. §. 6. seq. p. 11. seq. An a Jure Gentium differat?* 3. 14. 78. seqq. *In primævum, & secundarium, itemque in ius iuratum, & præceptivum, vel prohibitivum minus recte dividitur.* *ibid. p. 92. seq. Est immutabile.* *Diss. 4. sect. 1. §. 9.*

# INDEX RERVM.

*p. 117. seqq. Annon a Deo ob potentiam ipsius infinitam mutari queat? ib. p. 118. seqq. Primum idque adequatum Juris Naturalis fundamentum. 1. 6. 11. Juris Naturalis varia definitio diluuntur 3. 13. p. 73. seqq. Jus Naturale fore debere honesta, & dissuadere contraria, absolute asseritur. ibid. p. 74. Quatenus quaedam Civis reductive Juris Naturalis esse dicantur? ibid. §. 14. p. 76. Quenam proprie Juris Naturalis esse dici queant? ibid. Quenam de Jure naturali scripserint? Vid. tot. Diss. 12. p. 37. seqq. An fieri possit, ut Juri Natura Lex Civilis repugnet? 13. 6. 414. De ortu atque progressu Disciplina Juris Naturalis, Vid. tot. Progr. 1. p. 469. seqq. De utilitate Juris Natura in foro, Vid. Programms. 2. p. 474. seqq.*

**Jus parentum in liberos utriusque parentis sit potius?** 1. 16. 22. Unde ortum ducat? 8. 1. seqq. 228. seqq. De Jure parentum & liberorum secundum legem Natura. Vid. tot. Dissert. 8. p. 228. seqq. Vid. infr. Patria Potestas.

**Jus primogenituræ an introduci possit?** 8. 18. 201

**Jus Sepulturæ an ad Jus Geminum recte referantur?** 3. 14. 11

**Jus vitæ & necis num patri competat in liberis?** 8. 17. 254. an marito in uxorem? 10. 7. 21

**Juvenula an cum elumbi sene matrimonium legitime contrahat?** 1. 17. 24. & 10. 12. 71

L. 4

• L.

**Legati an sint inviolabiles?** *Diss.* 3. §. 14. p. 83. seqq.  
 & *Diss.* 4. sect. 3. qu. 3. p. 135. & *Diss.* 12. §. 13.  
 p. 388. *Vid. supr.* Inviolabilitas Legatorum.

**Leges Naturæ, seu Naturales, quomodo debeant esse comparatæ?** 1. §. 5. 8. *Omnes fluunt ex hac propositione affirmante: quicquid communis hominum conditio necessario infert, seu: quicquid habet necessarium cum societate nexum, id est præceptum Jure Naturæ; & ex illa negante: quicquid est contra communem hominum conditionem, id est prohibitum Naturali Jure.* 3. 7. seqq. 63. seqq. *Quatenus dicantur naturæ notæ?* *ibid.* §. 11. p. 71. *De genuina Leges Naturales & Gentium investigandi methodo.* *Vid. tot. Dissert.* 3. p. 57. seqq.

**Legislator an contra Jus Naturale aliquid præcipere, & Legibus suis Juri Natura derogare possit?** *Diss.* 4. sect. 1. §. 9. p. 120. seqq. *Quantum in subditorum animis efficere circa res religionis possit?* 7. 8. 215. *Nam sit obstructus, ut omnibus Legibus Naturalibus civile præsidium addat?* 13. 7. 416. seq. *An efficere possit, ut obligatio naturalis cesset?* *ibid.* §. 8. p. 418

**Levis notæ macula unde oriatur?** 2. 2. 17. *Quinam hæc aspergantur.* *ibid.*

**Lex quid sit?** 11. 12. 359. *Quomodo a Legislatore ferri debeat?* 1. 3. 6. *Multum differt a pacto.* 2. 15. 46. *An dicatur Lex, gentes obligans, &*



# INDEX RERVM

- Juri Naturali contradistincta? Dissert. 3. §. 14*  
pag. 78
- Lex Civilis, an fieri possit, ut Juri Natura repugnet?** 13. 6. 414. seq.
- Lex Commissoria, pignori adjecta, an, quatenus debiti quantitatem pignoris aestimatio excedat Juri Natura repugnet?** 12. 18. 33.
- Liberi an in casu necessitatis a parentibus vendi possint?** 1. 17. 24. & 8. 9. seq. 241. seqq. et parentibus, nimis precipiti iracundiae ferventi estuantibus, & fata ipsorum maturaturis, etiam cum internecione resistere possint? 6. 10. 15. seq. Num parentes e manibus invasoris, etiam cum ipsius occisione, liberare possint? ibid. §. 6. p. 188. An in tenera seu imperfecti judicii aetate sibi acquirant? 8. 7. 239. In tertio tempore, quando e patris familia excefferant, suo aetate agunt omnia, nisi quod honorem adhaerentissimum & reverentiam per omnem vitam exhibere teneantur, & in majoris momenti negotiis eum consulere. 8. 11. 144. Vid. sup. Fili.
- Libertas. Utrum in consensu, obligationem producente, omnimoda Libertas requiratur, an ne?** 1. 12. 19. Quotuplex Libertas facultatis voluntatis eligentem comitetur? 7. 9. 216. seq.
- An Libertas matrimonium contrahendi ita circumscribi possit, ut cui alterutrius sexus, vel expulso, vel ampliores sedes sibi libere quaerenti, matrimonium a certo populo cum ipsius vel faminis, vel viris interdici queat?** 10. 13. A
- Lib

**Libertas** quatenus *Juris Naturalis* esse dicatur? *Diss. 3. §. 14. pag. 76*

**Locatio Conductio** an *Juris Naturalis* sit? 3. 14.

77. *Utrum in Locatione Conductione propter incertitudinem proventus & fructuum, qui ex bonis locatis sperantur, aliquid de pensione ob improvisam & casu aliquo contingentem sterilitatem a locatore remittendum sit, nec ne; & an hæc questio Jure Naturali sit decisa? 1. 14. 21*

**Logomachia.** De his vid. tot. Programm. 4. pag. 486. seqq.

M.

**Macula levis notæ.** *Vid. supra* Levis notæ macula.

**Magistratus** an in *Legem Naturalem* peccet, si delinquentibus nonnullis suorum criminum veniam concedat? 1. 18. 25. *Sine crimine facinorosas de vita exturbat. 5. 8. 156. Quanam pœna afficiatur, si ex proeresi aliquem insontem occidi jufferit? 5. 8. 158*

**Malum Morale** quid sit? 11. 7. 354

**Maritus** an uxorem, in adulterio deprehensam, illesa conscientia confodere possit? 5. 7. 156.

*An uxorem, etiam cum internecione aggressoris, defendere possit? 6. 15. 189. seq. In rebus conjugii atque familie pro lubitu disponere potest, nisi vel Lege positiva, aliud determinatum, aut saltem pacto conveniunt sit. 10. 5. 294. An habeat jus vitæ & necis in uxorem? 10. 7. 295. Num uxoris sue defunctæ sororem ducere possit? ibid. §. 10. p. 319*

# INDEX RERUM

**Materiale Actionis Moralis quodam dicatur**  
 Diff. II. proem. pag. 348. & ibid. §. 12. p. 359.  
**An sine respectu ad Legem consideratum, ne-  
 ralitas in nonnullis actionibus involvat, et  
 vero sit indifferens?** ibid. §. 1. De Abiis  
 Moralium Materiali neque Formali. Vid. et  
 Dissert. II. p. 346. seqq. In nulla actione mo-  
 rali Materiale necessarium nexum, & omnia  
 ad inrensescum quiddam, respectum excluder-  
 tem cum formali habet. ibid. §. 12. p. 364.  
**Matrimonium quid sit?** 10. 8. 296. seqq. Utrum  
 Jure Naturali in certis gradibus sit prohibi-  
 tum, an vero uxorem sibi eligere famula  
 quancunque liceat? ibid. §. 10. p. 305. Quo e-  
 ratis anno imiri possit? ibid. §. 12. p. 322. seqq.  
**An ab elumbi fone cum vegeta licite sumit  
 hatur?** ibid. p. 323. Num ob errorem vicium  
 ibid. §. 15. p. 328. Utrum sit dirimendum, si q-  
 pareat, viro non constituisse pudorem integrum  
 ante matrimoniale foedus? ibid. p. 329. Num  
 ob metam concurrentem dissolvi queat? ibid.  
 p. 330. Ob sterilitatem non dissolvitur. ibid. §. 17.  
 p. 333. An dissolvi queat ob id, quod cont-  
 ad copulam carnalem plane sit incidens, ut  
 ut nulla super sit spes, cum ipso cohabitandi? ibid.  
 Num ob importunitatem aut savitiam conjugii  
 dissolvi possit? ibid. §. 19. p. 334. Utrum ob ur-  
 rum perveritatem in conjugio, & animum in  
 utroque disparitatem? ibid. §. 25. p. 342. An Ma-  
 trimonium fenum cum juvenca Jure Natu-  
 rali

- sic permissum? Diff. 1. §. 17. pag. 24. Matrimo-  
nium Abrahami cum Cethura quale Matrimo-  
nium fuerit? 8. 14. 251. Si contra prohibitionem  
Juris Naturæ, vel Divini, persona vetita nu-  
ptias de facto celebraverint, utrum Matrimo-  
nium irritum sit dicendum, an subsistat? 10. 11.  
320. seqq. An Matrimonium cum certi populi  
masculis, aut feminis interdici possit. ibid. §. 13.  
p. 325. In quibus forma Matrimonii consistat?  
ibid. §. 14. p. 326. Effectus Matrimonii in quo-  
nam consistat? ibid. §. 16. p. 331. Quot & qua-  
lia pacta in quolibet Matrimonio intercessisse  
presumantur? ibid. §. 17. p. 331*
- Matrimonium ad morganaticam quid sit? 8. 14.  
250. Quomodo alias quoque appelletur? ibid.  
Mendacium. Quotuplici modo hæc vox accipi pos-  
sit? 9. 1. 265*
- Mendicus an agere possit, si stipes ipsi denegetur,  
& an fraude aut per violentiam eandem elice-  
re queat? 2. 11. 42*
- Mente captus non est aptum obligationis subiectum.  
2. 9. 40*
- Mercen. Vid. infra. Penho.*
- Methodus investigandi. De genuina Leges Naturæ  
& Gentium Investigandi Methodo. Vid. tot.  
Dissert. 3. p. 57. seqq. & tot. Diff. 4. p. 99. seqq.*
- Metus an, si causam matrimonio dederit, ejus vim  
evernat? 10. 15. 330*
- Minæ. Utrum Minorum alterius de occidendo ef-  
fectum prævenire ipsius cade liceat? 5. 11. 163*

# INDEX RERVM

Minister Verbi Divini. *Vid. infr. Sacerdos.*

Ministri Principum *quando mentem suam gestum aut verbis, tanquam velo quodam, coningere possint?* *Diff. 9. §. 13. seq. pag. 283. seq.*

Modus Demonstrandi. *De Modo obligationem minimum qua talium mutuam scientifice demonstrandi.* *Vid. tot. Dissert. 2. p. 27. seq.*

Moralitas quid sit? *9. 1. 264. De Moralitate simulationis aulicæ.* *Vid. tot. Dissert. 9. p. 264. seq.*

Mos vulgo receptus de moralibus ita differendi, ut primo probabiles assertiones prolixè adducantur, deinde vis argumentorum obstantium opere elidatur, reprehenditur. *1. 11. seq. 17. seq.*

Motus Physicus, qui inter alia ad essentiam actionis humane seu moralis pertinet, quorūplex sit? *2. 19. §.*

Motus simplex quomodo differat ab actione? *7. 1.*

Mutatio Juris Naturalis, an sub objectum potentie Divine, utpote infinite, cadat? *Diff. 4. sect. 1. §. 9. p. 118. seq.*

## N.

Natura Hominum, quoad studium se ipsam conservandi, a Natura brutorum non discrepat. *3. 2. §.*

Naufragium. *An liceat tempore Naufragii, cum non levata navi, omnibus cento pereundam foret, ducta sorte, unum alterumve, etiam reluctantem, in mare projicere?* *Dissent. 4. sect. 3. qu. 13. p. 147.*

Nocturn

Noctambuli an ob delictum commissum puniri possint? Diff. 5. §. 3. p. 152

Nominis Fama an summum politici bonum sit? 14. 4. 452. seqq.

Q.

Obligatio quotuplex sit? 2. 8. 37. seq. & 13. 8. 418.

Obligatiōni, quam quis sibi incumbere sentit, est satisfaciendum, quamvis in foro civili non adigatur. 2. 8. 37. Ad Obligatiōnis validitatem præter alia quoque requiritur rationis usus. ib.

§. 9. p. 40. Ad Obligatiōnem producendam ad minimum requiruntur duæ personæ. ibid. §. 10.

p. 41. Circa quanam Obligatiōnes versentur? ibid. §. 17. p. 47. An in Obligatiōne illud genus

tutela sit, qua Jure Naturali ad proximi defensionem tenemur, ita, ut qui id omiserit, contrahat reatum culpa, ob quam pœna imponi

possit? 6. 20. 166. seqq. An Obligatiō, ex beneficio orta, jus agendi tribuat? 13. 9. 419. seqq.

Obligatiō Civilis an detur citra æquitatem naturalem? 13. 23. & 26. 443. seq. & 445. seqq.

Obligatiō ex nudo pacto quales effectus producat? 13. 12. 426

Obligatiō Matrimonialis. De Obligatiōne Matrimoniali secundum Legem Naturæ. Vid. tot.

Diff. 10. p. 289. seqq.

Obligatiō Mixta qua dicatur? 13. 13. 427. Ejus exempla. ibid. Quotuplex sit? ibid.

Obligatiō Naturalis quotuplex sit? 13. 8. 418. seq. Communiter sub obligatiōne civili latet. 2. 8. 38.

Qua-

## INDEX RERVM

- Quates effectus producat? Diss. 13. §. 12. p. 45 seq.* Obligationem Juris Naturalis oriri a natura objecti, & sese diffundere in præceptum, & e contrario obligationem Juris positivi oriri a præcepto, & sese diffundere in objectum, *ante recte dicitur.* 3. 13.
- Obligatio Perfecta quamam dicatur?* 2. 4. 3.
- Occisio. An Occisio aggressoris violenti & iniuste contra Jus Naturale? Diss. 4. sect. 3. q. 2. p. 133.* Nam minarum alterius de Occidendo effectum prævenire ipsius cada liceat? 5. 11. seq. p. 163. seq.
- Occultatio veri quando sit permessa?* 8. 7. 27.
- Objecti Juris Naturalis indifferentis indicium quod?* 2. 12. 11.
- Officium quid sit? 7. 1. 202.* A quibus principis interne dependet? *ibid.* & §§. seqq. Officia, quae Jus Naturale prescribit exequenda, quotuplicia sint? 3. 12. 72. Officia erga Deum & se ipsum, ex Jure Naturali deducta. *Diss. 4. sect. 2. §. 1. seqq.* De Principiis officiorum, humanarum internis. *Vid. tot. Dissert. 7. p. 202. seqq.*
- Opes an summum politici bonum sint?* 14. 7. 46.
- Opinio Communis. De hac & de profudicio & auctoritatis vid. tot. Programm. 3. p. 479. seqq.*
- Ortus hominum communis efficit, ut homo ad intendendam socialitatem sit aptior. Diss. 4. sect. 8. §. 2. p. 103.*

P.

*Factum malum differt a lege. 2. 15. 46. Publi-*

cua

cum hoste initum, a Principe est servandum. Diff. 2. §. 12. pag. 42. seq. An Pactum, dolo initum, sit vitiosum, ita, ut in arbitrio decepti sit, illud penitus dissolvere, aut lesionis pensationem exigere? *ibid.* §. 21. p. 53. Quot & qualia pacta sint, quae in quolibet conjugio intercessisse praesumuntur? 10. 17. 331. Pacta, quibus civitates coaluere, quanam sint? 13. 4. 412. seq. An secundum Jus Natura sola Pacta sufficere possint ad dominii translationem? *ibid.* §. 14. seq. p. 428. seqq. An Pacta, per vim extorta, sint valida? 13. 16. seqq. p. 431. seqq.

Parentes. Quinam eorum jus potius in liberos habeant? 1. 16. 22. An tam laxam in liberos potestatem habeant, ut ad eorundem se venditionem in casu necessitatis extendat? 1. 17. 24. Utrum liberos e manibus inuasoris, etiam cum ejus occisione liberare queant? 6. 15. 189. Num Parentibus, nimis precipiti iracundia fervore estuantibus in liberos, fata ipsi maturantibus, ab his, etiam cum internecione eorum, resisti possit? 6. 10. 183. seq. Ad Parentum officia etiam pertinet, ut liberis alimenta praestent. 8. 12. 247.

Pater utrum adulterum, aut stupratorem, in flagranti crimine cum filia deprehensum, impune occidat? 5. 15. 168. An in extrema inopia, cum ultima urgeat necessitas, neque ullum superest se, aut filium, servandi remedium, possit filium vel oppignorare, vel vendere? 1. 17. 24. & 8. 9. seqq. p. 241. seqq. An secundum Jus Naturale habeat

jus



## INDEX RERVM

- ius vita & necis in filium, quod saltem ob grave delictum commissum possit in eum exerceri?*  
*ibid. §. 17. p. 254. Olim apud Romanos habuit ius abdicandi, in cuius locum postea successit exheredatio. 8. 18. 255. Num filium arcenti successione in regnum possit? ibid. Quatenus ex conventionem filii teneatur? ibid. §. 19. p. 251 seqq. Utrum cum filio contractum valide in ea?*  
*ibid. p. 257. An permittente Jure Naturali filiam uxorem ducere queat? 10. 10. 305. seqq. An Pater injustus & violentus filii aggressor. (ut puta si ebrius sit, aut furore laboret,) possit a filio, moderamen inculpatae tutelae adhibente, etiam cum eade repelli? 8. 20. 251*
- Patria, etiam cum eade aliorum, defendi possit?**  
6. 17. 19
- Patria Potestas unde ortum ducat?** 8. 1. seqq. 24. seqq. *Utrum patri sit propria, an vero cum matre communis? ibid. §. 6. p. 238. Non an eodemque modo se exerit, sed ejus exercitium pro diversitate aetatis liberorum varias. ibid. §. 7. seqq. p. 239. seqq. Quonam sensu propria civium Romanorum dicatur?* 8. 20. 241
- Peccatum quid sit?** 11. 8. 7
- Pensio an penitus, aut pars ejusdem a locum conductori sit remittenda ob improvisam & casu aliquo contingentem sterilitatem? & an haec questio Jure Naturali sit decisa?** 1. 14. 2
- Penuria Esculentorum. An peccent in Naturali Legem, qui in summa Penuria Esculentorum**  
sum

## ET VERBORVM.

*sorte ductos, aut eos, qui sortem respuunt, extra eam jugulans? Diff. 4. sect. 3. qu. 13. p. 146*

**Periculum.** *An imminens Periculum a tyranno*

*Principe cum ipsius cade depelli recte possit? 6.*

*9. 182. Utrum Periculum alape insigende potestatem tribuat, injuriam cum intentantis caede repellendi? 6. 12. 183*

**Philosophia Moralis.** *Ejus diversissima fata, & historia. 1. 1. 3*

**Plures, si contraxerint, quomodo teneantur? 2. 16. 47**

**Pœna, ab Imperante legitime imposita, patienter est sustinenda.** *Diff. 4. sect. 2. §. 13. p. 131. seq.*

*An Pœna suspendii, illæsa naturæ lege, furi irrogetur? ibid. sect. 3. qu. 10. p. 145. Num Pœna homicidii propter supervenientem furorem remitti, vel sattem mitigari debeat? 5. 3. 152*

*Politicus quis dicatur? 14. 1. 449. seq.*

**Polygamia an jure naturali sit prohibita? 1. 15. 22. it. 10. 9. 299. seqq. & 12. 18. 395**

**Potentia an summum politici bonum sit? 14. 5. 456. seqq.**

**Potestas Domini in servum, an se extendat ad facultatem, eundem occidendi, ob grave delictum commissum? 1. 18. 26**

**Potestas Humana unde ortum duxerit? 13. 2. 407**

**Potestas Maritalis unde descendat? 10. 2. seqq. 292. seqq. Juxta quam regulam estimari debeat, ut constet, quousque se extendat? ibid. §. 7. p. 295**

**Potestas Patria. Vid. supr. Patria Potestas.**

Præce-

## INDEX RERVM

- Præcepta quænam Jure Naturali sint? 1. 6. seq.  
 11. seq. An tria illa Juris Præcepta, quæ ab Im-  
 peratore in §. 3. I. de J. & J. adducuntur, pri-  
 mum principium Juris Naturalis constituere  
 possint? Diss. 4. sect. 1. §. 1. p. 112
- Præcepta Juris Naturalis quatenus dicantur nat-  
 ræ nota. 3. 11. 71. Quo sensu dicantur esse a-  
 riæ veritatis. 11. 9. 355. seq. An omnibus Præ-  
 ceptis Juris Naturalis ab Imperante vis Legi  
 Civilis necessario sit addenda? 13. 7. 416. seq.
- Præceptores, in capitis aut fame periculis con-  
 stituti, a discipulis defendi possunt, ac debent  
 6. 18. 15
- Præjudicium. De Præjudicio auctoritatis, & op-  
 nione communis. Vid. tot. Programm. 3. p. 47.  
 seq.
- Præmium quid sit? 2. 18. 48. Quotuplici modo ter-  
 minetur? ibid. p. 49. Quotuplex sit? ibid.
- Primogenitura an introduci possit? 8. 18. 256. ibid.  
 de sit æstimanda? ibid.
- Princeps quomodo leges ferre debeat? 1. 3. 6. &  
 legibus suis Juri Naturali derogare, & eadem  
 aliquid contrarium præcipere possit? Diss.  
 sect. 1. §. 9. p. 120. seqq. Num venationem p-  
 vatis licite ademerit, sibi que adscripserit? ibid.  
 sect. 3. §. 94. 11. p. 145. seq. Quandoque mentem  
 suam gestibus, aut verbis, tanquam vultu quor-  
 dam, recte contegit. 9. 9. seqq. p. 275. seqq.  
 Non potest efficere, ut negotium, quod Jure Na-  
 turali obligationem producit, desinat obligari  
 D

## ET VERBORVM.

*Diss. 13. §. 8. pag. 418. Num. Princeps tyrannus, a quo subdito periculum imminet, etiam cum ipsius eade repelli possit? 6. p. 182. Vid. supra Imperans.*

*Principia. De Principis officiorum humanorum internis. Vid. tot. Dissert. 7. p. 201. seqq.*

*Principium Juris Naturalis ratione eorum, quae eodem praecepta, aut prohibita sunt. 1. 6. seq. 11. seq. Quodnam primum Principium Juris Naturalis sit? Diss. 4. sect. 1. §. 1. p. 102*

*Procuratio abortus adversatur Juri Nat. 8. 15. 252*

*Prohibita quanam Jure Nat. sint? 1. 6. seq. 11. seq.*

*Prohibitio graduum in matrimonio an Jure Nat. sit fundata? 10. 10. 305. seqq. Num Prohibitio matrimonii, Levit. XII. facta, sit Juris Divini universalis moralis? 10. 10. 312*

*Promissa, alteri animo obligandi facta, fideliter sunt explenda. 2. 4. 34. Requiritur etiam ad sui validitatem acceptationem ejus, cui promissio facta. ibid. 6. 35. Promissis, quatenus dolo elicita sunt, nemo stare tenetur. 2. 20. 52. An Promissa, per vim extorta, valida sint? 13. 16. seqq. 431. seqq.*

*Promissio quoruplex sit? 2. 4. 34. Quotuplici modo absenti fiat? ibid. 7. 36. An Promissio, ad quam quis meru compulsus est, sit valida? Diss. 4. sect. 3. qu. 5. p. 137. Diss. 12. §. 12. p. 387. seq. & Diss. 13. §. 24. p. 444. seqq.*

*Promissio Perfecta quanam dicatur? 2. 4. 34*

M m

Pro-

## INDEX RERVM

- Propositio fundamentalis Juris Naturalis, ejusque  
 Requisita. *Diss. 3. §. 7. seq. p. 63. seq.*
- Pudicitia an cum internectione impuri inraforide-  
 fendi possit? *6. 13. 186. seq.*
- Pufendorfius post Hugonem Grotium ea, qua  
 hoc in disciplina Juris Naturalis neglecta sunt  
 praeclare supplevit. *1. 2. 5. Judicium de eodem  
 12. 10. seqq. 385. seqq. Quos adversarios ha-  
 buerit? ibid. 11. 386. In quibus erraverit? ibid.  
 12. 387*

### R.

- Rationis usus ad obligationis validitatem neces-  
 sario requiritur. *2. 9. 46*
- Realiter inter se distincta qua dicantur? *11. 12. 39*
- Repressaliae quando sint adhibendae? *2. 8. 3*
- Res. An pro Rerum suarum defensione arma co-  
 pere liceat? *5. 13. seq. 164. seq.*
- Res alienae an in casu extremae inopiae vestium  
 vestium, si mortem effugiendi nullum aliud  
 medium supersit, domino citra peccatum in li-  
 gem naturalem auferri possint? *Diss. 4. sect. 3  
 qu. 6. p. 137*
- Res Commodata. An aestimatio Rei Commodatae  
 qua periit, sed tamen peritura non fuisset,  
 apud commodantem permansisset, a comoda-  
 tario sit praestanda? *1. 14. 19*
- Romani veteres an contumaces fuerint in reser-  
 vationis dictamen, dum certis temporibus cali-  
 bes ex formula censoria ad contrahendum vo-  
 trum

## ET VERBORVM.

*crimonium compulerint? Diss. 4. sect. 3. qu. 4.  
pag. 136. seqq.*

### S.

*Sacerdos an, si, dum sacro officio vacat, invada-  
tur, sanguine alterius cruentare manus, &  
postmodum interruptas res divinas ad finem per-  
ducere possit? 6. 14. 188*

*Evitia, an sit justa causa dissolvendi matrimo-  
nii? 10. 19. 334*

*Stus Reipublicæ an summum politici bonum sit?  
14. 8. 462*

*Incertitas cultus Divini ex lumine natura deduci  
poteest. Diss. 4. sect. 2. §. 2. p. 122*

*Idem de Jur. Nat. & Gent. recensetur. 12. 6.  
380. seq.*

*Scriptores, qui Grotii Tractatum de Jure belli &  
pacis, Annotationibus illustrarunt. 12. 5. 380. seq.*

*Scriptores Juris Naturalis precipui quinam sint?  
Vid. tot. Dissert. 12. p. 371*

*Uxor an eam juvenula matrimonium contrahere  
possit? 1. 17. 24. & 10. 12. 323*

*Sepultura. Vid. supr. Jus Sepulturæ.*

*Uxor quotuplicia sint? 9. 2. 264*

*Simulationis quid sit? 9. 1. 262*

*Simulationis aulicæ. De Simulationis aulicæ morali-  
tate. Vid. tot. Dissert. 9. p. 261*

*Societas quid sit? 10. 2. 291. Quotuplex sit? ibid.*

*Socialitas primum principium Juris Naturalis est.*

*Diss. 4. sect. 1. §. 1. seqq. p. 101. seqq.*

M m 2

Soror

## INDEX RERVM

- Soror uxoris defunctæ an a viduo duci possit? *Diff.*  
 10. §. 10. 148. 349
- Spontaneitas comitatur facultatem voluntatis ob-  
 gentem. 7. 9. 216. Non solum pertinet ad actio-  
 nes voluntarias, sed etiam ad mixtas se exten-  
 dit. *ibid.* p. 217. Desiderat intrinsecum imp-  
 sum. *ibid.* Exerit se per actus duplices: ca-  
 citos & imperatos.
- Status hominum, quæ aliquem ab existimatione  
 simplici hypothetica arcet, quotuplex sit? 2. 2. 3
- Statutum an ita condi possit, ut promiscua co-  
 cidendi licentia concedatur? 6. 8. 14
- Sterilitas non est causa matrimonii dissolvenda.  
 18. 3
- Studium Juris. Cautiones nonnullæ in hoc studio  
 utiliter observanda. *Programm.* §. p. 6
- Stuprator an a patre illius, cum qua in flagitio  
 crimine deprehensus est, impune occidi possit?  
 5. 11. 103
- Subditus an a nexu & pena Legis, cujus sum-  
 tiam non recte percipit, sit immunis? 1. 3. 6. 11
- Summum Bonum quodnam dicatur? 14. 2. 4
- Summum Politici Bonum an detur? 14. 2. 4  
 In quonam consistat? *ibid.* §. 4. seqq. 45. 14  
 De Summo Politici Bono. *Vid.* loc. *Diff.* 14  
 p. 448. 149
- Superior quomodo leges ferre debeat? 1. 3. 6. 11  
 Juri Naturali legibus suis derogare, & eidem  
 contrarium quid præcipere possit? *Diff.* 4. 149

§. 9. pag. 120. seqq. *Ea, que a Superiore lege  
bana iniqua inuncta sunt, impigre sunt exe-  
quenda.* Diff. 2. §. 15. pag. 45

*Ὁυκάδαγμα quid in contractibus innominatis  
completatur?* 13. 21. 440

T.

*Testamenti factio an Juris Naturalis sit?* 3. 14. 77

*Franquillitas animi, an summum politici bonum  
sit?* 14. 8. 46a. *Tranquillitati animi est studen-  
dum.* Diff. 4. sect. 2. §. 12 pag. 130

*Transfuga an impune occidatur, si capi non pos-  
sit?* 5. 15. 168

V.

*Valor rerum unde aestimetur?* 2. 18. 48. *Quom-  
plici modo determinetur?* . . . . . *ibid. p. 49*

*Vegeta an cum elumbi sene matrimonium licite  
contrahat?* 1. 17. 24. & 10. 12. 323

*Tenatio an licite privatis sit adempta, & a Prin-  
cipe sibi adscripta?* Diff. 4. sect. 3. qu. 11. p. 145

*Venia delicti commissi quibus ex causis concedi  
possit?* . . . . . 1. 18. 26

*Verum quando licite occultari possit?* 9. 7. seqq.  
272. seqq.

*Vires corporis non sunt atterendæ.* Diff. 4. sect. 2.  
§. 11. p. 130

*Virginitas. Vid. supr. Defectus Virginitatis.*

*Virgo an pudicitiam, etiam cum impuri in vaso-  
ris cade, defendere possit?* . . . . . 6. 13. 186. seqq.

*Vita Contemplativa, nullam omnino praxin pro-  
M m 3 . . . . . scopo*



# INDEX RERVM ET VERBORVM

- scopo habens, contra naturam est, & ii, qui talem vitam sectantur, contumaces in recte rationis dictamen sunt.* Diff. 3. §. 8. p. 65
- Vita socialis principium Juris Naturalis est.** Diff. sect. 1. §. 2. seqq. p. 101. seqq.
- Vitæ Genus aliquod, idque honestum est amplectendum.** Diff. 4. sect. 2. §. 9. p. 112
- Usucapio an Juris Naturalis sit?** 3. 14. 77
- Usuræ an secundum Legem Naturalem ab extreme egenis hominibus exigi possint?** Diff. 4. sect. 3. qu. 7. p. 138. seqq. 7. 10. 218
- Volitio quid sit?** 7. 8. 213. Abie in tres facultates, & quænam ille sint? ibid. Quotplex sit? ibid. §. 10. p. 218
- Voluptas Corporis an summum politici bonum sit?** 14. 6. 458. seqq.
- Uxor num a marito in adulterio deprehensa puniri possit? 5. 7. 156. Num autem aggressum, etiam cum eade aggressoris defendere possit? 6. 15. 190. Sequi tenetur domesticum mariti.** 10. 6. 294. seqq.

S. D. G.



) a (



